BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
B
34
NAPOLI

8.

~~XIII. G. 18~~

V
3.
34.

~~XV~~
~~13.~~
~~19~~

TUBA ALTERA
MAJOREM CLANGENS SONUM,

Ad Sanctiſſimum D. N. Papam

CLEMENTEM XI.

IMPERATOREM, REGES,

PRINCIPES, MAGISTRATUS OMNES, ORBEMQUE UNIVERSUM,

De neceſſitate longè maxima reformandi

SOCIETATEM JESU

Per Eruditiſſimum Dominum

D. LIBERIUM CANDIDUM

S. Theologiæ L. L.

Biblioteca Nazionale V. E. III – NAPOLI

ARGENTINÆ.
MDCCXIV.

Clangetis ululantibus tubis. *Num.* 10. 9.

In die illa clangetur in tuba magna. *Iſaiæ* 6. 13.

Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. *Iſaiæ* 58. 1.

MONITUM.

PErſonat Tuba altera. Ad prioris clangorem obturatæ & obduratæ ſunt Sociorum aures. Dum *percutiebat David citharam, refocillabatur Saul, & levius habebat;* Tubicinis clangorem *audientes* Lojolitæ, *diſſecantur cordibus ſuis, & ſtrident dentibus in eum.* Quæ non convicia & probra in eum vibrat Societatis Apologiſta Huylenbroucq in ſuis Vindiciis? Ut phreneticus curantem ſe percutit: *Colligit furorem ſuum in eum, & comminans illi, infremit contra eum dentibus ſuis.*

Sed quid aliud ſunt, quæſo, Vindicationes illæ, niſi Societatis proditiones? Neque enim Huylenbroucquio cura eſt, à Societate ſua amovere vitia, quæ exhibet reformanda Liberius Candidus: unicè ingenium & mentem confert, ut probet inſtrumenta in Tuba laudata, vel non ſcripta ab iis quorum ferunt nomina; vel autores illos apertos Societatis hoſtes.

Demus Scioppium acerbiori in Clericos Societatis fuiſſe animo. Num ideo falſa quæ profert adversùs illos, quæ aliunde probantur, quæ famâ publicâ conſtant? Sophiſma eſt Jeſuitis familiare: *Non amat Societatem N. ergo falſa ſunt quæcumque de illa profert. Hæreticus eſt N. ergo hæretica ſunt quæcumque docet.* Sæpius

 in

in decurſu hujus operis detectum eſt hoc ſophiſma: detegit & aliud Liberius Candidus in ſuo Præloquio ad Huylenbroucq. Palafoxii Epiſtolam poſt Annatum & Tellerium ſuppoſitionis incuſat, nulla habita ratione eorum quæ Illuſtris Doctor Arnaldus tomo 3. Moralis Practicæ protulerat, ut demonſtraret illam Palafoxii eſſe genuinam. Demonſtrationes eſſe manifeſtas nemo mente & affectu ſanus negare poteſt. Judicabit lector ex iis quæ Candidus profert in ſuo Alloquio: & ex iis inferet quæ fides habenda Huylenbroucquio, qui nihil morans jam dudum dicta, & probata, antiquas cavillationes ut novum ſui ingenii fœtum producit.

Suffecit Liberio Candido unum aut alterum exemplum harum Huylenbroucquii tricarum exponere, ut lector de toto Vindicationum libro poſſit judicare.

Nobis animus fuit aliquam Huylenbroucquio, quantum veritas patiebatur, ſatisfactionem dare. Quicumque demùm ſit autor *Monitorum ſecretorum Societatis Jeſu*, ea ex hac editione expuncta ſunt ob rationes allatas ad finem Clangoris XIII. pag. 178. ad illas Jeſuitas & lectorem remitto; omnibus, ut puto, ſatisfactum erit. Aſt Monitorum loco alia in Appendice congeſſimus non contemnenda.

I. Et primò quidem prodit; *Protocataſta-*

ſis,

ſis, ſeu Prima Societatis Jeſu Inſtitutio reſtauranda, ſummo Pontifici propoſita, ſub nomine Theophili Eugenii. Ex ſtilo & aliis conjectant aliqui eam eſſe Theophili Raynaudi Jeſuitæ, ut in prioris editionis monito diximus. Vult Huylenbroucq eam eſſe Guilielmi Pachelini Burgundi. Si quis accuratè legat quæ ex hac Protocataſtaſi excerpit Apologiſta, eum & in hoc Societatem prodidiſſe fateatur neceſſe eſt. Adeo illa conveniunt cum iis quæ omnibus patent. Quæ reprehendit autor Protocataſtaſis, ab ipſis Præpoſitis Generalibus reprehenſa ſunt. Cùm illius & autoris Tubæ unum ſit conſilium, hic ſcriptum illud attexere maxime conveniebat.

II. Idem eſto judicium de Danielis Hoſpitalii Conſultatione, ubi de cauſis & modis conſervandæ & amplificandæ Societatis argutè diſputat.

Conſultationem hanc vult ab omnibus deſpicatui haberi Huylenbroucq: ut lectores ipſius ſtent judicio, hæc verba excerpit. „ P. „ Generali latiſſime imperandi cupiditas eſt, „ ut ſcilicet omnes Societatis homines de ſe „ pendentes nutumque ſuum obſervantes videat: extra Societatem verò optimum & „ maximum quemque ſibi obnoxium ac pro„ pe devotum habeat: *In multitudine* ſcilicet „ *populi ſubjecti eſt dignitas Regis; & in pauci„ tate plebis ignominia Principis*: ut Prov. 14. affir-

„ affirmat Salomon." *Opportunè atque eruditè!* cum Huylenbroucquio exclamare poſſum: *neque ſcio an locus alius* magis *adduci potuiſſet* ad fidem conciliandam Conſultationi.

III. Conſultationem excipit Diſputatio Fortunii Galindi *de cauſis publicis erga Jeſuitas odii.* Hanc ut ſtultam traducit vindex Huylenbroucq: vereor ne ſtultitiæ ipſe arguatur ab iis qui legent quæ ex ea depromſit: adeo concinunt cum iis quæ in omnium ſunt animis.

IV. Sequuntur Libelli ſupplices Clementi VIII. oblati, è quibus videre eſt Societatem tunc temporis inter ſe diviſam; & non paucos ſocios illius reformationem efflagitaſſe. Diviſionis illius meminit Melchior Inchofer in ſua Monarchia Solipſorum.

V. Si Huylenbroucquio credimus, ſummo Pontifici & Auguſtiſſimo Cæſari injurioſus eſt libellus Archiepiſcopi Pragenſis, Cardinalis ab Harrach. Eccur, quæſo? Nempe deteguntur technæ quibus uſi ſunt Jeſuitæ, ut à Pontifice extorquerent Bullam, quâ in ipſorum favorem ſpoliatur dictus Cardinalis juriſdictione ſua in Academiam Regni Bohemici. Sua velle tueri adverſus Jeſuitas, eſt in Pontificem, in Reges, in Superiores omnes rebellare. Eſt libellus hujus Cardinalis, immenſæ & infinitæ ambitionis dominandique libidinis Jeſuitarum illuſtriſſimum documentum.

VI. Num-

VI. Numquam antehàc edita eſt, ut puto, Patris Nicolai Cauſſini Epiſtola ad ſuum Generalem Mutium Viteleſcium, quam hìc damus. Ex illa & ſequenti Narratione elucet quo ſpiritu aguntur, qui omnia in Societate moderantur. Ne videar velle lectorum animum circumvenire, nihil ex illis prælibabimus.

VII. Etiam jam primò, quod ſciam, typis ſubjicitur, *ſuccincta Narratio eorum quæ P.* THYRSUS GONZALES *geſſit in Hiſpania apud Superiores ſuos & apud Pontificem* INNOCENTIUM XI. *ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, cum brevi explicatione rationum ob quas anno* 1691. *edidit tractatum ſuccinctum de hoc argumento, & difficultatum quæ circa ejus publicationem ſupervenerunt.* Si illius autor non ſit ipſe Generalis; certè fidus quidam illius amicus eſt & conſiliorum conſcius. Quî ad manus noſtras pervenerunt hæc duo ſcripta, parum intereſt hìc enarrare. Sufficit non auſurum Huylenbroucq ea falſi inſimulare. Ex manuſcriptis eruta ſunt parum accuratè exaratis, inde fieri poteſt varias in editione irrepſiſſe mendas. Dum hæc ſcribo occurrit pag. 613. lin. 32. *Elator*, ubi legendum, *Procurator*, & pag. 626. lin. 4. à fine lineam excidiſſe video: ſic reſtituendam, *cùm tamen certum ſit Congregationem Procuratorum non poſſe ſuffragium ferre, an ſit publicandus*

dus liber ille nec ne , neque poſſe in hoc ſe ingerere, niſi Pontifex novum condens jus &c.

VIII. Collectionem nunc claudit Monarchia Solipſorum. Scriptum hoc eſſe Melchioris Inchoferi Jeſuitæ, conſtans fama eſt, licèt id in dubium revocet Huylenbroucq. Sed quid non audeat ? Manifeſtiſſima & demonſtrata negat hominum audaciſſimus. Paucis de Inchofero dixerat Liberius Candidus (hic. pag. 9.) „ Romæ eum à ſuis clam abreptum „ Papam de manibus ipſorum excuſſiſſe ſer- „ vaſſeque incolumem. „ *Quo teſte* , ait Huylenbroucq, *ex quibus tabulis hæc enuntientur, fruſtra quæſieris. Quod cuperent eſſe, ſcribunt fuiſſe : ſuo teſtimonio Accuſatores , Teſtes, Judices.* Quod cuperet non eſſe, ſcribit non fuiſſe. Teſtem habemus Doctorem Sorbonicum, cui nomen Bourgeois, ad ſanctam Sedem delegatum à viginti Galliæ Epiſcopis pro defendendo libro *de frequenti Communione.* Quo ſucceſſu id fecerit norunt Jeſuitæ. Ab anno 1694. exaratæ ſunt tabulæ, Relatio, inquam, ſapientiſſimi illius Doctoris, viri integerrimi , à quo procul aberat aut conſcientiam prodere aut veritatem velare. Tabulas has quærat Huylenbroucq , ſeu potius non ſimulet ſe illas non habere. Accuſator eſt ſacerdos vitæ probatiſſimæ, qui Patre Inchofero familiariter uſus eſt: teſtis Roma ipſa, ubi ſcena peracta eſt: judex ſit univerſus orbis.

Præter

Præter hæc ſcripta in Appendice adjecta, Clangores quatuor novi in ipſo opere additi ſunt, nempe qui nunc ordine XVIII. XIX. XX. & XXII. Jam monuimus alia in decurſu reperiri ad confutandas cavellationes Apologiſtæ, ſed ipſum Liberium Candidum in ſuo ad Huylenbroucquium alloquio audiamus.

PRÆLOQUIUM

Ad R. P. ALFONSUM HUYLENBROUCQ: *è Societate Jeſu.*

AD majorem Dei gloriam non ſcripſiſti, R.P. Alfonſe Huylenbroucq, dum per Vindicationes tuas, id eſt, per gerras, ineptias, cavillationes, mendacia & calumnias (Jeſuitis non inſolitas) adniteris obtundere aures Sociorum tuorum, ut non audiant veritatem, luce meridiana clariorem, neceſſitatem utique magnam reformandi Societatem, ut Eccleſiæ proficua, non noxia ſit, & ut ipſa Societas ad primævum redeat Sanctiſſimi Fundatoris ſui Ignatii ſpiritum, & inſtitutum, à quo ipſam magnopere defeciſſe, tot viri ſapientiâ & ſanctitate illuſtres, nihil niſi veritatem, communemque Eccleſiæ, ipſiuſque etiam Societatis utilitatem amantes, teſtificantur.

Hunc in finem *Tuba magna* multiplici clangore perſonavit vitia certe grandia, non in Sociis quidem omnibus, ſed in eorum parte non modica dominantia, quæ niſi reformentur, non modò periculum eſt, ne Societatem ipſam evertant, ſed & ne Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia adferant detrimenta.

Verùm ad tanta mala præcavenda non ſolum obturaſti aures tuas, ne ſonitum audirent tam ſalutarem, ſed ad nihil aliud collimare videntur frivolæ illæ, atque in valde multis mendaces villicatones

tuæ,

tuæ, niſi ut & Conſociorum tuorum aures obtundas & obdures, ne & ipſi ſonitum illum audiant, & audiendo, Eccleſiæ & Societatis bono conſulant.

Non hoc profectò ad majorem Dei, imò nec ad majorem Societatis gloriam. Nec enim ad majorem Dei vel Societatis gloriam negas veritatem factorum, ſalientem in oculos ſenſatorum omnium, oculos non præſtigiatos habentium. Nec ad majorem Dei gloriam faciunt tot Sophiſmata, tot convicia, tot calumniæ & mendacia, quibus ſordeſcunt tuæ illæ vindicationes.

Mendacium eſt craſſiſſimum (præter alia quamplurima) quod aſſeris pag. 15. & 16. *te demonſtrare, conſtanti furto, atque ex* ære Scioppiano *totam Tubam conflatam eſſe.*

Scioppii libros non exſcripſit tibi inviſus Tubicen; alios à ſe nominatos, omni exceptione majores, factorum teſtes habet, quorum teſtimonia inconteſtabiliter demonſtrant reformandæ Societatis neceſſitatem maximam. Habet celeberrimos ex Sacro Prædicatorum Ordine, La Nuza, Colladum, Navarretum &c. Habet ſanctiſſimos Epiſcopos, Palafoxium, Solminihacum, Cauletum &c. Habet B. Martyrem Sotelum. Habet commendatiſſimos Germaniæ & Congregationis S. Vanni Benedictinos &c.

Ex iſtis, aliiſque præclaris Authoribus Tuba magna conflata eſt, non (ut calumniaris) conſtanti furto ex Scioppio; de quo Tubicini modica cura eſt. Tametſi dum in jura Dei, (qui ſolus eſt ſcrutator cordium) involando, de ipſo aſſeris ex implacabili adverſus Societatem odio ſcripſiſſe, quæcumque adverſus Societatem ſcripſit (quæ cantilena Sociis eſt familiaris) in eo ipſo, dum ipſum

 taliter

taliter judicas, te ipſum condemnes de implacabili adverſus ipſum odio.

Sed quæcumque tandem ratio Scioppium moverit ad ſcribendum adverſus Sociorum multorum vitia & mores, conſequens non eſt falſa eſſe quæcumque ſcripſit; cùm & ex iis plurima teſtificati ſint laudati Scriptores, & ipſimet Socii tantis laudibus Scioppium extulerint, quamdiu nonniſi adverſus Proteſtantes, Scaligeros & Philologos ſcripſit. Ipſe quoque Romanus Pontifex, Imperator, Reges, Principes tam magnificis encomiis ipſum collaudarunt, ſcilicet Urbanus VIII. in Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum, Ferdinandus II. Imperator, Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, Florentiæ & Mantuæ Duces. Bellarminus quoque, aliique Jeſuitæ plurimùm collaudarunt acumen ingenii ipſius, doctrinam, eloquentiam, zelum, virtutem, integritatem, pietatem, fidem, prudentiam, & tam profundam in perſcrutando exponendoque S. Scripturæ ſenſu eruditionem, ut non defuerint, qui ipſi ſub hac ſcripſerunt epigraphe: *perilluſtri viro Gaſpari Scioppio, eruditorum Regi.* Ergone credibile eſt, quod mutatus ab illo, in tantum ſubito tranſierit nebulonem, qualem ipſum depingis? Verùm quidquid de eo fit, nec tu ſaltem probandus, in eo quod ipſum velut notorium falſatorem depingis, in iis quæ cum ſupra memoratis teſtibus omni exceptione majoribus ſcripſit.

Longe minus probanda obſtinata garrulitas tua, quâ poſt tot irrefragabiles demonſtrationes, perſiſtis in ſuperbia, cum Forero tuo, Annato, Tellerio &c. quâ humiliter agnoſcere recuſatis, epiſtolas glorioſi Martyris Soteli ad Romanum Pontificem (qui tunc erat Urbanus VIII.) & ſanctiſſimæ memoriæ Joan-

Joannis de Palafox Epiſcopi Angelopolitani, de die 8. Januarii 1649. ad Innocentium X. verè ab ipſis ſcriptas eſſe. Et quam ob cauſam earum veritatem humiliter agnoſcere recuſatis? quia vitia magna detegunt plurimorum Sociorum, ipſorumque litteræ ſunt Tubæ magnæ, tam ſenſibiliter demonſtrantes neceſſitatem pluſquam magnam reformandæ Societatis, ut ex iis aures ut audiant non habere inconteſtabiliter (uti dixi) demonſtrentur, qui ex tam vehementi ſonitu de neceſſitate illa non convincuntur.

Fruſtra ergo imples paginas decem, ut probes epiſtolam Martyris Soteli eſſe ſuppoſititiam, dum teſtes omni exceptione majores de ipſius veritate teſtimonium perhibent, non ſoliti ipſi ſcripta ſuppoſititia pro veris producere, quemadmodum Socios frequenter facere, ad oculum demonſtrat Moralis practicæ tomus tertius & ſequentes, quos non attigit Romana proſcriptio duorum priorum tomorum, quorum Authorem fuiſſe Magnum Arnaldum, falſo comminiſceris.

Teſtis imprimis, quòd epiſtola illa verè ſit martyris Soteli, eſt Seraphicus Ordo S. Franciſci, in quo veritas iſta in dubium revocata nunquam fuit. Et quis ex iſto Ordine de iſta veritate melius informatus eſſe potuit, quàm famoſus Hiſtoricus ipſius, Lucas Wadingus, qui Romæ ſcripſit librum de Scriptoribus Ordinis ſui, quos inter Sotelum accenſet, ob iſtam præſertim epiſtolam, quam *gravem, Chriſtianam & doctam* appellat.

Ne ipſi quidem Sinenſes Socii veſtri auſi ſunt contradicere veritati ipſius, utique Japoniæ nimis vicini ut hoc auderent; quinimo verè ipſius eſſe faſſi ſunt, ſed ab ipſo retractatam fuiſſe, mendaciter confinxerunt, uti teſtatur Illuſtriſſimus Navar-

varretus, Archiepiſcopus S. Dominici to. 2. tr. 7. pag. 366. ubi refellens Jeſuitam Brancati (qui mendaciter dixerat, Philippinarum Epiſcopos retractaſſe Epiſtolam à ſe datam ad Sanctiſſimum Dominum) *novum non eſt* (inquit) *Societatis Religioſos ſimilia comminiſci, ad ſalvandum Societatis honorem. Epiſtolam quoque à S. Martyre Sotelo è carcere conſcriptam, hiſce in partibus ſimiliter dicunt, Patrique Antonio à S. Maria dixerunt, ab ipſo ante mortem revocatam fuiſſe, & retractatam. Idem mihimet ipſi de alio Religioſo Franciſcano dixerunt, qui neſcio quid contra Socios ſcripſerat. De P. Ferreyra, qui apoſtataverat in Japonia, mihi quoque Pater Amaya Jeſuita dixit, quòd in fine vitæ converſus, pro fide mortuus fuiſſet. Id ipſum P. Govea mihi dixit de Patre Morales, ipſum, me præſente, ſanctum Martyrem vocans. Nobis tamen compertum eſt, quòd cùm de eo teſtimonium à Joanne Acoſta Binuchio poſtulaſſet, pro reſponſo repulſam acceperit, eo quod ſciret, quod mortuus eſſet velut canis. Anno* 1668. *è Macam teſtimonia extorſerunt* (à veritate prorſus aliena) *quod negotiationem non exercerent, & à noſtris Miſſio Sinenſis eſſet deperdita. Quâ conſcientiâ ſimilia audent?*

Ecce quomodo in omnem ſe partem vertunt Jeſuitæ, ut Sociorum ſuorum vitia magna tegant, Societatis Apoſtatas in Apoſtaſia mortuos velut canes, ſanctos Martyres aſſerendo; ſancti Martyris Soteli epiſtolam in Japoniæ vicinia, verè ipſius eſſe fatendo, ſed ab ipſo retractatam mentiendo; in Europa verò fictitiam & ſuppoſititiam conclamando. Prorſus digni quibus pro ſe fides nulla detur. Imò qui, ut ſuprà eſt dictum, falſatores habeantur, qui veridicos teſtes falſatores appellant.

Ecce etiam, quomodo non ſolus Seraphicus Ordo

Ordo S. Franciſci, ſed & ſacer Ordo S. Dominici, cum Sinenſibus è Societate Miſſionariis, epiſtolam, (de qua in præſenti quæſtio) indubitanter agnoſcit, verè eſſe S. Martyris Soteli. Et quomodo non agnoſceret, quandoquidem originale ipſius, à S. illo Martyre manu propria ſubſcriptum, in manus Sanctiſſimi D. Urbani VIII. tradiderit, vel tradi fecerit zeloſiſſimus ejuſdem Ordinis in partibus illis Miſſionarius, & Miſſionariorum Superior, Didacus Collado, qui & ipſam typis Matritenſibus publicam fecit, in fide ſacerdotis certificans, eam, quæ typis illis data eſt, originali eſſe conformem, paucis verbis exceptis, ſenſum non alterantibus.

Ipſius quidem teſtimonium nihili faciunt Jeſuitæ, Forerus, Tellerius & Huylenbroucquius, Colladum velut mendacem, impoſtorem, & falſatorem traducentes. Aſt Jeſuitis familiare eſt conviciosſum iſtud effugium, etiam dum ipſimet mendaces, impoſtores & falſatores ſunt, quemadmodum centies innumeris demonſtratum eſt exemplis; Adverſus ipſos namque apoſtolica inſonat tuba, *in quo alium* judicatis, vos ipſos condemnatis. Quodque tales ſint Forerus, Tellerius, & Huylenbroucquius, dum ſine indiciis ſeu argumentis evidentibus, Colladum velut talem impudenter traducunt, non ſine injuria magna ſanctæ Religionis S. Dominici, in qua ipſe zeloſiſſimus Miſſionarius fuit, ſuo Generali & ipſi etiam ſuæ Sanctitati acceptiſſimus. Quod (inquam) eo ipſo mendaces conviciatores eſſe convincantur, ex magno Doctore Auguſtino probatur, qui in lib. de unit. Eccleſ. c. 5. dicit, quod quiſquis ſimilia alteri objicit (maxime tali, qualis fuit inſignis ille Miſſionarius) niſi *manifeſtis incidiis* probet, *conviciante magis ſe*

vi-

vitate, quàm convincente veritate objicere, quis mediocriter ſapiens ignorat? Deſcende ergo in arenam, Huylenbroucqui, indiciiſque ſeu argumentis evidentibus proba, Colladum eſſe mendacem, impoſtorem, & falſatorem, niſi Auguſtini & ſapientum omnium judicio conviciator audire velis. Taliane, id eſt manifeſtè probantia, ſunt argumenta duo, quibus id te ſatis probare putas? Minimè gentium. Primo, inquis, Collado aliàs graviſſimis in rebus falſarius fuit. In quibus (obſecro?) Riſum teneatis amici: in Hiſtoria Provinciæ S. Roſarii, de Inſulis Philippinis, dicitur Generalem ſuum rationibus ſeu allegationibus falſis ſubreptitiè in ſuam pertraxiſſe ſententiam. O ludicrum argumentum! Inter Hiſtoricum, ſeu iſtius Hiſtoriæ authorem, nonnulloſque alios iſtius Provinciæ Religioſos, ex una parte, & Colladum ex altera, graviſſima exorta erat conteſtatio (non infrequens in ipſis quoque reformatiſſimis Religionibus) an Provincia illa S. Roſarii in duas eſſet dividenda? Dividendam cenſebat Colladus, exiſtimans id expedire ad majorem fidei propagationem. Verum in hoc ipſi, cum aliis vehementer adverſabatur Hiſtoriæ Author, moleſtiſſimè ferens, quòd per rationem illam, & alias ejuſmodi (quas arbitrabatur falſas) Generalem ſuum in ſuam pertraxiſſet ſententiam. Non te pudet Huylenbroucqui, Colladum velut falſatorem traducere, propterea quod Hiſtoricus ille, in iſtius Provinciæ Hiſtoria, declaraverit id quod putabat, rationes falſas Generali ſuo à Collado enarratas fuiſſe? An non in ejuſmodi conteſtationibus pars una falſum putare ſolet, quod altera bona fide credit eſſe verum? An pars bona fide credens eſſe verum (prout haut dubie Colladus credidit) ab altera (quæ putat eſſe falſum) ſine conviciante levitate traduci poteſt velut mendaciter fallens, quamdiu manifeſtis

feſtis id non probat indiciis? An partis adverſæ de eo judicium, vel teſtimonium, ad alteram taliter traducendam ſufficere poteſt? Quis mediocriter ſapiens id aſſerat? Vide ergo, an in eo vel mediocriter ſis ſapiens, Huylenbroucqui? Vide an non potius calumniator ipſe ſis & impoſtor.

Alterum argumentum tuum petis ex Manuele de Camara Capitaneo Generali in China, dicente quòd Colladus typis mandavit librum falſa continentem adverſus honorem Societatis. Verùm quis ſapiens dixerit, quòd vel opinio, qua Capitaneus ille ea credidit eſſe falſa, quæ Colladus, de factis Jeſuiticis meliùs informatus, non dubitavit eſſe vera, vel declaratio, quam fecit conformiter ad præconceptam ſuam opinionem, ſit evidens indicium quòd Colladus eo in libro falſator fuerit? Ubi bonus ſenſus tuus, Huylenbroucqui? Ubi ſobrietas & gravitas judicii? An non potius evidenter ſe prodit levitas convicii tui? An non, inquam, evidenter apparet, te *conviciante* magis levitate, quàm convincente veritate Colladum velut mendacem, impoſtorem & falſatorem propterea traduxiſſe? Quid ſi declaratio, vel teſtificatio illa, de numero ſit earum, quas Jeſuitæ ſubinde extorquent à ſibi devotis, ipſis fallaciter perſuadendo, vel factum non eſſe, quod factum eſt (quomodo à Macamitis extorſerunt teſtimonium falſum quod non negotiarentur) vel factum eſſe, quod non eſt factum, quomodo ab iiſdem teſtimonium extorſerunt, quòd per Dominicanos cauſata eſſet amiſſio Miſſionis Sinenſis?

Sed gratis dato quòd talis non ſit, ex ea ſolùm conficitur, quòd Capitaneus ille bonam de Sociis ſibi notis opinionem habuerit, non quòd Colladus ea mendaciter ſcripſerit (adeoque falſator fuerit) quæ

quæ Capitaneus falſa exiſtimavit ; maxime cùm non probetur, nec probari queat, ipſi notos fuiſſe Socios omnes, actaque omnia ipſorum, ſine qua notitiâ teſtis idoneus eſſe non poteſt falſitatis eorum quæ Colladus in libro illo ſcripſit, multò minus malæ fidei, quæ ſcripſit. De eorum namque veritate, bonaque fide Colladi, teſtimonium perhibet ſuprà memoratus Illuſtriſſimus Navarrete to. 1. pag. 459. (de omnibus illarum Regionum Jeſuitis, & actis ipſorum, ſine dubio melius informatus quàm Capitaneus ille) ibi namque Colladi librum ſeu Memoriale Philippo IV. præſentatum, teſtatur eſſe *fide dignum*. Doctor quoque Ceuicos, ſacræ Inquiſitionis in India ſeptentrionali Commiſſarius, & Eccleſiæ de Ilaxcala Canonicus (cujus teſtimonium recuſare nequeunt Jeſuitæ, cùm ipſum pro ſe teſtem adferant) in declaratione, in fide ſacerdotis à ſe facta die 10. Octobris 1628. teſtimonium perhibet, *ſibi Patrem Colladum Ord. Prædicat. ſemper viſum hominem ſincerum & probum*; ex adverſo graviter conquerens de Jeſuitarum inſinceritate, quâ in Relatione typis mandatâ, quam juramento firmarunt, ipſi impoſuerunt falſum teſtimonium, velut ab ipſo datum, quod à ſe nunquam fuiſſe datum, ſub juramento declarat. Cum ipſis celebris Author Leo Allatius, in libro quem inſcripſit *Apes urbanæ*, magno encomio Colladum exornat, recenſitis operibus ipſius. Quod profectò non faceret, ſi in illis ipſum haberet pro mendaci falſatore, prout habent & calumniantur Jeſuitæ. Quid plura? Colladum ab ipſo etiam Sanctiſſimo Domino Papa habitum fuiſſe virum fide dignum, meliorisque fidei & ſinceritatis, quàm Jeſuitas, exinde cordatus lector facile colliget, & Huylenbroucquium, velut ea in re ineptientem,

ex-

exſibilabit, quod cùm Romæ ageretur de ſolemni Apotheoſi Franciſcanorum anno 1597. in Japonia propter Chriſti confeſſionem Crucis Martyrio affectorum, iſtique Apotheoſi ſeſe per inſipientem zelotypiam opponerent Jeſuitæ; informationem ſuper eorum martyrio Sanctitas ſua Jeſuitis non commiſit, ſed Collado, quam cum in forma juridica ſuæ Sanctitati tradidiſſet, Jeſuitarum oppoſitione neglecta, Franciſcanos illos Sanctiſſimus veros Martyres declaravit. Vide infrà fol. 77.

Denique de veritate epiſtolæ à Sotelo ad Sanctiſſimum ſcriptæ, quam per ſe, vel per alium Colladus Sanctiſſimo tradidit, teſtimonium perhibet Rdus P. Petrus Baptiſta in ſcripto, Romæ extante, à ſe ſubſcripto Hiſpali 10. Junii 1628. cujus inſcriptio eſt, *Epitome de las Razones, que ſe contienen en un Memorial, que dio en Roma el Padre Fray Pedro Bautiſta, Procurador General della Provencia de las Frayles deſcalces de Philippinas* &c. Audebiſne teſtimonium ipſius rejicere, Huylenbroucqui? Non potes, tum quia ipſummet pro te teſtem producis, eo quod viſus aliquando fuerat dubius de Sotelanæ epiſtolæ veritate, eo quod oſtenſa ſibi ſola epiſtolæ ſignatura, non epiſtola ipſa, ſeipſum certificare non potuiſſet, ipſiſſimam eſſe ſignaturam Soteli. Tum quia ad ipſum tamquam præſentis controverſiæ Judicem remittit Tellerius veſter Defens. novor. Chriſt. pag. 425. hiſce verbis: *P. Petrus Bapt. præſens eſt Matriti, ſolaque ipſius depoſitio ſufficit ad decidendum fundum hujuſce negotii, nec non ad judicandum qua ex parte ſtet fallacia. Quidni ad ipſum recurritur?*

Ad ipſum ergo tanquam ad Judicem inappellabilem recurramus, juxta hanc Canonici juris Regulam: ***ab electis judicibus non licet appellare.*** Ipſe

ergo

ergo in fine illius Epitomes declarat, *quòd ſibi Romæ exiſtenti ſola oſtenſa fuiſſet Sotelanæ iſtius epiſtolæ ſignatura* (abſque ipſiusmet epiſtolæ communicatione) *ut recognoſceret, num ſcriptura & manus ipſius eſſet, quodque ſignaturâ illa conſideratâ, eam non recognovit, id eſt, ſeipſum ſatis certificare non potuerit, quod eſſet ipſius, ut de ea juratum teſtimonium* (*quod ab ipſo exigebatur*) *reddere poſſet. Verùm quod viſâ poſtmodum Matriti epiſtolâ ipſâ, totum quod in ea dicitur, viſum ipſi adeo conforme veritati, & à ſe ſæpius auditis ex ore proprio Patris Soteli, quocum hiſce de rebus ſæpius contulerat, ut nullum ipſi dubium ſuperfuerit, epiſtolam illam verè eſſe Sancti iſtius Martyris.* Et addit, quùd viſâ Romæ ſolâ ſignaturâ, ipſum fefellerat defectus ſufficientis reflexionis, quòd ſignatura accurate facta, dum perſonis admodum qualificatis ſcribitur, non parum differre queat ab iis quæ ordinariè oſcitanter fiunt.

Ecce ergo cauſa iſta finita eſt. Judex à Sociis electus pro veritate epiſtolæ ſancti Martyris Soteli, adverſus calumnias, & impoſturas ipſorum ſententiam tulit. Supereſt ut & epiſtolam Palafoxii, Angelopolitani Epiſcopi, de 8. Januarii 1649. verè ab ipſo ad Innocentium X. ſcriptam fuiſſe demonſtremus. Quia namque ipſius Epiſtola ad oculum demonſtrat reformandæ Societatis neceſſitatem, ob vitia certe magna, licèt non omnium, ſaltem plurimorum filiorum ipſius: in omnem ſe partem vertunt Socii, Annatus, Tellerius, Huylenbroucquius &c. ut eam abnegent ſancto illi Epiſcopo, cujus ſanctitatem quia non diffitentur, ipſum mendaciter & per impoſturam illa ſcripſiſſe aſſerere non audent; ſed fruſtra paginas ſuas multiplicant, ut perſuadeant epiſtolam illam eſſe ſuppoſititiam; cùm certiſſimè ſit ipſius; nec mirum ſit,

tantæ

tantæ molis viſum eſſe Jeſuitis, cœlum terrámque movere, ad perſuadendum, quod epiſtola non ſit ſancti illius Epiſcopi; cum eâ viſâ, animo non præoccupato, ſed convicto quod vere ipſius ſit, valde difficile, ſi non impoſſibile ſit, viros cordatos, eam de Societate honorabilem æſtimationem habere, ut reformatione magna non indigeat.

Itaque epiſtolam illam, latino idiomate ad Innocentium X. conſcriptam, certiſſimè eſſe ſancti illius Epiſcopi ſequentia demonſtrant argumenta.

1. Quia Doctor Santamoreus, qui eam Diurno ſuo inſeruit, teſtatur illius copiam ſe Romæ accepiſſe à D. Coſimo Ricciardi, magni meriti, inſigniſque pietatis, atque eruditionis Viro, apud Eminentiſſimum Cardinalem Chigi (qui paulò pòſt fuit Alexander VII.) commendatiſſimo: qui eam accepit à Doctore Magano, laudati Epiſcopi cauſam apud S. Pontificem agente. Vel ſolum iſtud teſtimonium ad id viris cordatis perſuadendum ſufficeret, tametſi alia argumenta deeſſent. Neque enim credibile eſt Santamoreum, apud Sorbonam & Galliæ Epiſcopos, probitatis & agnitæ ſinceritatis Doctorem, epiſtolam illam doloſe fabricaſſe; utpote cui poſſibile non fuit ſcire magni iſtius negotii particularia omnia, quæ ea in epiſtola continentur. Eam igitur ab alio acceperat, nec ullâ ratione probari poteſt, ab alio accepiſſe, quàm ab inſigni illo Domino Coſimo Ricciardi, quem ſua magna virtus incapacem demonſtrat doloſæ & fictitiæ declarationis, quòd eam ab Agente Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Palafoxii accepiſſet. Cùm ergo præſumptio ſinceritatis pro ipſo ſit, quemadmodum & pro Santamoreo, dum ipſorum teſtimonium velut falſatorum Jeſuitæ rejiciunt, falſationem probare debent; cùm *vis & poteſtas præ*

ſum-

ſumptionis ea ſit, ut eum, pro quo ſtat, liberet probandi neceſſitate, eamque transferat in Adverſarium. Taldenus in Commentario ad Codicem Juſtinianeum tit. de probat. n. 14. Idque naturalis æquitas & ratio dictat, & pro regula ſervatur in litibus, in quibus pars pro ſe præſumptionem habens, in partem adverſam rejicit probationis onus. Et ſecundum juris regulam, *qui allegat malam fidem & dolum, is probare debet.* Tuldenus ibidem n. 18. Probent igitur Jeſuitæ, probet Huylenbroucquius, memoratam Santamorci declarationem eſſe mendacem, ipſumque eſſe falſatorem & impoſtorem, probet (inquam) evidentibus indiciis, ſi Auguſtini & omnium vel mediocriter ſapientium judicio ipſimet audire non velint conviciante levitate mendaciter hoc dicere.

At, inquit Huylenbroucquius, Santamorei Diurnum *mendax* eſt *opus*, *& Romæ proſcriptum: mendaciorum ipſum arguit & convicit Cardinalis Albizius.* Imponis, Huylenbroucqui, dum conviciſſe aſſeris, nec proferre audes argumenta ipſius prætenſe convincentia, unde receptible non eſt teſtimonium Albizii de mendaciis Santamoreum arguentis, utpote teſtimonium notorii inimici ipſius, partialiſſimique patroni veſtri, artibus vobis ſolitis in partes veſtras ſeducti; & ideo ab undecim Illuſtrioribus Galliæ Epiſcopis (de præcipuis) ob notoriam partialitatem in Cenſorem recuſati, maximè, cùm & ipſe conviciantis levitatis Auguſtini judicio reus ſit, niſi argumentis probet redargutionem ſuam; Santamoreus namque in Diurni ſui præfatione, coram Eccleſia univerſa proteſtatur, in Diurno nihil à ſe ſcriptum, niſi quod vidit & audivit, *ſibique ſemper propoſitum fuiſſe, nihil niſi verum dicere, nihil quod de menda-*

cio,

cio redargui poſſet, non ſolùm coram hominibus, ſed & maximè coram Deo. Unde nec ipſum unquam de mendacio redarguit Clerus Gallicanus, nunquam Sorbona, nunquam in Gallia aliquis omni exceptione major. Pro ipſo ergo ſtat præſumptio. Et ideo Jeſuitarum eſt argumentis evidentibus ipſum demonſtrare mendacem. Non demonſtrat certè Huylenbroucquius, futilibus argutiolis ſuis. Cur, inquit, Santamorei Diurnum, anno 1654. compoſitum, non prodiit niſi tribus annis poſt Palafoxii obitum? Rationem idoneam ipſe reddit, eadem in præfatione. Vide ibi, Huylenbroucqui, & deſine ineptire. Si Romæ proſcriptum fuerit Diurnum (quod ad notitiam meam hactenus non pervenit) videant Socii an non ſubreptitiè per ſolitas Sociorum & ſibi devotorum mendaces informationes &c.

Quidquid de eo ſit, certum eſt ob mendacia non proſcribi quæcumque opera, ubi proſcribuntur, nec attentis præmiſſis credibile eſſe Diurnum ob ea proſcriptum niſi hoc, in Decreto proſcribente exprimatur.

2. Ipſimet Jeſuitæ Hiſpani, in Memoriali Catholico Regi præſentato, epiſtolam illam agnoſcunt vere eſſe Palafoxii, de eaque, velut Societati injurioſâ, apud Regem conqueruntur, de iiſque punctis in particulari conqueruntur, quæ in ſola epiſtola Latina de 8. Januarii 1649. continentur: nec Epiſcopus, in *defenſa* ſua *Canonica*, eam negat eſſe ſuam (tametſi ad præcludenda litis incidentia, id expreſſè non fateatur) imò plurima dicit, ex quibus prudenter conjicitur, id ſaltem implicitè fateri, prout ſolidè demonſtrat laudatiſſimus à Romanis, etiam à Sanctiſſimo Domino Innocentio XI. Arnaldus, Moralis practicæ to. 4. p. 3. per totam.

totam , frivolas & mendaces Tellerii in contrarium allegationes adeò ſolidè refellens, ut abſque ulla replica ipſi factâ , Tellerius hactenus obmutuerit. Vidit namque omnes cavillationes, vitilitigationes, & imbelles adinventiones ſuas, ab ipſo tam validè profligatas, ut quod replicaret non habuerit.

Enimverò niſi indubitatum ipſis fuiſſet epiſtolam illam (qua per Epiſcopum tam ſanctum Societatem inhonorari cenſebant) verè eſſe ipſius; cùm epiſtola illa per Hiſpaniam ſpargi cœpiſſet, facile ipſis fuiſſet, ab ipſo ex India in Hiſpaniam jam reduce, ad conſulendum honori Societatis ſuæ, teſtimonium exquirere & obtinere, quòd eſſet ſuppoſititia, ipſique falſò adſcripta, quemadmodum ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Malacenſi teſtimonium exquiſierunt & obtinuerunt, quòd Theatrum Jeſuiticum ipſi eſſet perperam adſcriptum. Si facile ipſis fuiſſet (quemadmodum certiſſime fuit) facere profectò oportuiſſet. Tum quia ſummi momenti erat, hoc modo indubitatum facere, quòd epiſtola illa Sancti Epiſcopi Angelopolitani non eſſet; ne præjudicium faceret Societatis honori; & ne quis impoſterum eam Societati objiceret. Tum quia ſuppoſito quod epiſtola revera ſuppoſititia fuiſſet, ſanctus Epiſcopus ille de eo teſtimonium vobis ad primam petitionem haud dubie dediſſet, utpote ad id obligatus pro honore ſuo (ne Societatis conviciator audiret) ſicut & pro veritatis & Societatis amore, ſine quo nunquam fuit. Pro indubitato ergo Hiſpanienſes Socii habuerunt epiſtolam illam ſuppoſititiam non eſſe, nullam proinde ſibi ſpem eſſe poſſe , memoratum teſtimonium ab ipſo contra agnitam veritatem obtinendi. Maluerunt ergo certam veritatem agnoſcere, quàm cum Sociis Gallis & Flandris contra agnitam veritatem.

viti-

vitilitigare, nihilque niſi ineptias & cavillationes objicere.

3. Epiſtola illa ad Innocentium X. de die 8. Januarii 1649. propria manu ipſius, non quidem ſub nomine Joannis Palafoxii Epiſcopi Angelopolitani (quomodo ſe ſubſcripſerat in epiſtola ad eundem ſcripta 25. Maji 1647.) ſed ſub ſolo nomine *Epiſcopi Angelopolitani* (quam ſubſcriptionem ſufficere exiſtimavit cùm nomen proprium antè ſubſcripſiſſet) originaliter extat in Archivis S. Congregationis, & copia ipſius Authentica Matriti in Archivis Definitorii Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, cum aliis ſcriptis Authenticis ejuſdem Illuſtriſſimi Epiſcopi, in quibus cum ipſemet fidem faciat, epiſtolam illam à ſe veriſſime eſſe conſcriptam, nimis effrontes eſſe oportet Jeſuitas, dum pertinaciter negare pergunt eſſe ipſius; nimis quoque ſuperbos, dum id ea ſolùm de cauſa negare pergunt, quòd contra Societatis honorem ſuæ Sanctitati notos faciat execrabiles exceſſus Sociorum multorum, Societati parum honorificos, & inde conſectarium neceſſitatem magnam reformandi Societatem, quaſi non ſint ſicut cæteri hominum, Societatiſque Religio non ſit ſicut cæteræ Religiones, quæ (licèt ſanctiſſimæ, & Sanctorum Religioſorum ubertate divinitus illuſtratæ) ex humana nihilominus fragilitate in pleriſque à primævo flore paulatim deficientes, reformationis neceſſitatem paſſæ ſunt.

Igitur in Archivis laudatorum Carmelitarum extat epiſtola ſanctiſſimæ memoriæ Illuſtriſſimi D. Joannis de Palafox, Epiſcopi tunc Oxomenſis, antea Angelopolitani, de data Oxomæ 1657. ad R. Ad. P. Didacum à Præſentatione, Generalem Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, propria

manu ipſius ſubſcripta, in qua declarat, ad ipſum ſe tranſmittere ſcripta ſua, libroſque, unà cum epiſtolis ſuis, inter quas reperitur epiſtola illa *Latina* ad Innocentium X. data 8. Januarii 1649. quam ipſiſſimam eſſe, quæ ad eundem Generalem ab eodem Palafoxio miſſa, in dicto Archivo ſervatur in pixide ſingulari clave obſerata, fidem omni exceptione majorem facit R. P. Antonius à Jeſu, tunc Generali ſuo à ſecretis. Eandem verò in papyro ſcriptam, in quarto eſſe complicatam, & in pergameno compactam, abſque ipſius quidem Palafoxii ſubſcriptione, ſed Secretarii ipſius manu ſcriptam eſſe teſtatur Pater Magiſter Joſephus de Palafox, Ciſtercienſis Ordinis Religioſus, illuſtriſſimi Palafoxii conſanguineus, certificans illam ipſius epiſtolam in manus habuiſſe, ſibique ab ipſo prælectam fuiſſe.

Inter memorata ejuſdem Illuſtriſſimi ſcripta, eodem in Archivo extantia, continetur inſuper originalis epiſtola, ab eodem 5. Decembris 1657. ſcripta ad Doctorem Joannem Mangano, Eccleſiæ Oxomenſis Canonicum, ſuum antea Agentem in Curia Romana, cum originali Reſponſo Mangani, quibus amplius demonſtratur ſupradictam ad Innocentium X. epiſtolam verè ipſius eſſe, non ſuppoſititiam.

Epiſtolæ ad Manganum verba ſunt iſta: *Cùm in votis habeam aſſervare copiam epiſtolæ, quam ad ſuam Sanctitatem ſcripſi, ad reddendam ipſi rationem controverſiarum, quas R. R. P. P. Societatis mecum habuerùnt in cauſa Epiſcopatus mei, in qua rationem reddebam omnium quæ contigerunt, quam etiam tibi Romam tranſmiſi, ut eam traderes in manus ſuæ Sanctitatis, opto ut mihi in charta, cum copia illa aſſervandâ, deſcribas ea quæ tunc contigerunt. Quia epi-*

ſtolam

ſtolam illam ſcribendo, & copiam ipſius aſſervando, nihil alius in intentione habui, niſi majorem Dei gloriam, bonumque publicum, ſpecialiter iſtius ſanctæ Religionis, quæ hactenus Eccleſiæ tam utilis fuit, & adhuc utilis eſſe poterit, dummodo ſe contineat intra legitimos terminos, Inſtituto ſuo proportionatos. Deus te conſervet, die Mercurii 5. Decembris 1657. Joannes Epiſcopus Oxomenſis.

Ad hanc epiſtolam hiſce verbis Mangano reſpondit: *Excellentiſſime Domine, ut Excellentiæ veſtræ paream voluntati, ipſi dicam, quòd ſtatim atque ipſius epiſtolam accepi, nulli diligentiæ peperci, ut eam traderem in manus proprias ſanctiſſimi Domini fœlicis memoriæ Innocentii X. Verùm cum infirmæ eſſet valetudinis, id tam citò non potui, tametſi ad dies aliquot epiſtolam ſervaverim, viſurus an non convaleſceret. Videns tamen hoc trahi in dies nimis multos, ſecuriori uſus occaſione, eam tradidi Domino Cardinali Panzirolo, tunc ſtatus Secretario. Quod mihi tam fœliciter ſucceſſit, ut cùm eam ſuæ Eminentiæ dediſſem hora tertia poſt meridiem, eam Papa ipſo veſperi habuit, & duobus pòſt diebus, cum mandato miſit ad Congregationem Angelopolitanam, ſic vocatam, quia eam Sanctitas ſua inſtituerat pro negotiis & controverſiis exortis inter Excellentiam veſtram, & Patres Societatis Angelopoleos, & Provinciæ Mexicaniæ, cujus Caput ſeu Præſes erat Cardinalis Spada, in cujus manus Epiſtola primùm devenit; poſt cujus lecturam ab ipſo factam, deinde tranſivit in manus Cardinalis Sachetti, à quo tranſmiſſa fuit ad D. Cardinalem Ginetti, & ab ipſo miſſa ad D. Cardinalem Carpegna, à quo remiſſa fuit ad D. Cardinalem Franciotti, à quo tranſivit ad D. Farneſium, qui eam tradidit Fagnano, qui copiam* ILLIUS CONFICI FECIT PER UNUM EX LECTORIBUS SUIS ECCLE-

SIASTICIS, *quorum opera indigebat, eo quod cæcus eſſet. Habita illius copia, epiſtolam remiſit ad D. Pauluci, qui & ipſe eam copiari fecit per duos Officiarios, quos apud ſe habebat tanquam Concilii Secretarios, quos vidi copiam illius conficientes. Ea facta, eam remiſit ad D. Alberici, qui de Angelopolitana Congregatione fuit poſt mortem D. Maraldi, Brevium Secretarii. Nec mihi defuerunt indicia, quod omnes illi Domini de Congregatione epiſtolæ copiam ſibi retinuerint, tametſi non viderim.*

Adjiciam particularitatem unam Excellentiæ veſtræ, quòd cùm D. Proſper Fagnanus eſſet cæcus, ipſi furto ſublata fuerit ſua copia; cumque poſt ſex menſes eam repeteret ab Eccleſiaſticis illis, Lectoribus ſuis, reperibilis non fuerit. Unde commotus, me ad ſe vocavit, rogans, ut eam ipſi reperirem quoquo modo, cum ea carere non poſſet. Una mihi copia ſupererat, quam ſumptibus meis copiari feci per bonum copiſtam. Copiam ab ipſo factam detuli ad D. Fagnanum. Hoc eſt quod Excellentiæ veſtræ dicere poſſum de Epiſtola Latina, quam ex Indiis miſit mihi, Papæ à me præſentandam. Cujus originale tandem rediit ad Eminentiſſimum Spada, Angelopolitanæ Congregationis Præſidem. Cui addere poſſum, ab omnibus Dominis illis mihi teſtificatum eſſe, quòd unum eſſet ex pulcherrimis ſcriptis à ſe viſis in tota vita ſua. Haud dubito epiſtolam illam extare in Bibliotheca Vaticana cum aliis ſcriptis Excellentiæ veſtræ; eamque exiſtimo habituram effectus optimos ad promovendum Dei ſervitium. Quem rogo ut E. V. conſervet &c. Ipſius manus humiliter exoſculor, famulorum Capellanorumque tuorum minimus, Doctor Joannes Maugano.

Duo priora argumenta pluſquam ſufficiebant, ad Annatos, Tellerios, Huylenbroucquios, cæteroſ-

roſque Socios convincendos de veritate epiſtolæ, de qua agitur, cùm in rebus hujuſcemodi ad convincendos amatores veritatis, probationes ſufficiant reſultantes ex variis circumſtantiis, quæ ſimul junctæ, moralem faciunt demonſtrationem, dum nihil convincens opponitur in contrarium. At tertium vel ſolum ſufficit ad id inconteſtabiliter demonſtrandum. Jeſuitarum genium cognoſcens, præviderat Illuſtriſſimus Palafoxius, quod (poſt tot & tam inſundatas conteſtationes ipſi dum viveret factas) poſt obitum ſuum pro ſuppoſititiis habenda Socii prætendere poſſent ſcripta, quæ pro ſuæ dignitatis & jurium Epiſcopalium defenſione contra Societatem facere compulſus fuiſſet: ad hoc præcavendum, & ad ſuſtollendum de eorum veritate omne dubium, nihil melius ipſi viſum fuit, quàm toties memoratam epiſtolam, aliaque à ſe in ſui defenſionem conſcripta, per modum depoſiti Carmelitarum Diſcalceatorum Monaſterio tradere cuſtodienda, à quibus de eorum veritate teſtimonium reddi poſſet, dum id occaſio poſtulaſſet.

Hoc itaque fecit: de eorum veritate Religioſi illi teſtimonium reddiderunt, dum de eo fuerunt requiſiti, illiuſque epiſtolæ copiam R. P. Franciſcus à Conceptione, tunc iſtius Ordinis Procurator Generalis, tradidit Illuſtriſſimo Domino Doctori Franciſco Ramos de Manzano, Philippi IV. Catholici Regis quondam præceptori, eam ab ipſo depoſcenti; copiam (inquam) epiſtolæ *Latinæ*, adeoque de 8. Januarii 1649. prior namque ad Innocentium X. epiſtola de 25. Maji 1647. ſcripta fuit Hiſpanico idiomate, non Latino, nec Innocentio X. rationem reddidit *omnium quæ acciderant* (prout loquitur in epiſtola ad Manzanum) ſed nonnullorum duntaxat, nec in ea mentionem fecit de

ſcandaloſa maſcarata ſtudentium apud Socios Angelopolitanos, è domo ipſorum egreſſa die 31. Julii 1647. in deriſum dignitatis Epiſcopalis (de qua ſe loqui in epiſtola ad Innocentium X. apud Carmelitas Diſcalceatos depoſita, fidem ipſemet facit in epiſtola ad ipſorum Generalem) ſed in ſola epiſtola de die 8. Januarii 1649. Nec certe in priori illa epiſtola illius mentionem facere potuerat, quia necdum contigerat. Attentis ergo omnibus hiſce circumſtantiis, reſultat probatio moraliter certa, tam de veritate epiſtolæ Palafoxianæ, apud Carmelitas Diſcalceatos ab ipſomet Illuſtriſſimo depoſitæ, quàm de falſitate futilis effugii, quo Tellerius, & Huylenbroucquius deridiculè contendunt, Illuſtriſſimum Palafoxium, tam in epiſtola ad Generalem Carmelitarum Diſcalceatorum, quàm in epiſtola ad Manganum, mentionem non facere de epiſtola Latina ad Innocentium X. de die 8. Januarii 1649.

Ea namque, quæ ad id probandum allegant, vel futilia ſunt, vel omnino falſa. Quippe allegant primò, Palafoxium aſſerere, quòd effectus iſtius epiſtolæ fuerit emanatio Brevis, quo Jeſuitis fere totum negatur, quod poſtulabant. Breve verò iſtud datum fuiſſe Romæ 16. Aprilis 1648. Nec aliud Breve in Bullario reperiri. 2. De epiſtola illa ad Innocentium X. data Palafoxium pœnituiſſe. Prima allegatio frivola eſt, quia per Breve (de quo ibi Sanctus Epiſcopus) non intelligit illud de 16. Aprilis 1648. ſed aliud, ideo nobis incognitum, quia in Bullario non contentum, veriſimiliter illud quo expreſſè facultas ipſi conceditur Breve illud anni 1648. ubique vulgandi; ut pote per ſanctam Congregationem bis confirmatum, annis ſcilicet 1652. & 1653. vel certe intelligit binam iſtam con-

confirmationem ſibi per Eminentiſſimum Spada, nomine ſuæ Sanctitatis notificatam.

Altera vero allegatio manifeſte eſt falſa, palpabiliterque demonſtrat, Tellerium, & Huylenbroucquium, de cauſæ ſuæ bonitate diffiſos, à deſperatis agere. Cùm ex teſtamento ſancti illius Epiſcopi (quod ex integro refert, deſcribitque Gonzales de Roſende in vita ipſius) ad oculum pateat concontrarium. Nam poſteaquam dixit, ſe *multa paſſum pro ſuæ juriſdictionis, dignitatiſque Epiſcopalis defenſione*; *non ſolùm non dicit, ſe ex cælesti lumine recognoviſſe, quod iſta controverſia proceſſiſſet ſecundùm rei fundum ex ſecreta ſuperbia*, prout ipſi Annatus, Tellerius, & Huylenbroucquius mendaciter imponunt, imo contrarium expreſſe declarat, dicens, quod iſto in negotio *nihil aliud intendiſſet, niſi Dei ſervitium, dignitatis Epiſcopalis, Epiſcopaliumque jurium defenſionem, & ipſummet bonum, & honorem Communitatum, quibuſcum fuerat in controverſia.* Quod & manifeſtiùs adhuc exprimit in vita ſua, quam publicam fecit ſub hoc titulo, *vita interior peccatoris pœnitentis*, uti proxime videbitur.

Aſt, inquit Huylenbroucquius, Abbas Pelicotius, in eo libro quo Paleſoxii vitam eſt proſecutus, poſteàquam retulit de controverſiis in Indiis agitatis, quibus vir illuſtriſſimus implicitus fuerat junior, ſubjungit in hæc verba „ Omnibus hiſce „ in controverſiis multa hinc inde contigerunt, „ quæ hic neceſſe non eſt recenſere. Judicium „ quod de iis hic fieri poteſt, iſtud eſt, quod Do„ minus Oxomenſis zelo moderatiore minuſque ex„ ceſſivo uti potuiſſet, nimium ardorem teſtatus „ in iſtius litis proſecutione. Et hoc agnovit ip„ ſe in Hiſpaniam redux, ibi namque veræ pœ-

„ nitentiæ dolore tactus de omnibus quæ dixerat, „ fecerat & ſcripſerat contra ſibi adverſantes, & „ ſpecialiter contra unum è celebrioribus Ordini-„ bus qui ſunt in Eccleſia Dei, hiſce verbis lo-„ quitur in obſervationibus ſuis ad epiſtolam 65. „ vitæ S. Tereſiæ.... agens de ratione cujus dux „ eſt amor proprius: *Ut plurimum ſic adhæremus rationibus falſis, quas amor proprius nobis ſuggerit ad defendendam cauſam malam, ut non parum difficile ſit eas ab imaginatione avellere, & ſe ad veritatem reducere. Omni momento miſeria iſta nobis accidit, & ipſemet mihi principaliter accidiſſe fateor, quadam in occaſione. Nec refert quod de eo palam agnoſcam culpam meam, cùm peccaverim ante oculos totius mundi.* Accidit ergo in ejuſmodi materia *quod mihi occurrerent rationes opponendi me certo cuidam negotio.* Sic habet Palafoxius, non ut Tellerius falſo & mendaciter imponit, *opponendi me adverſariis meis*, hoc eſt, inquit, impoſturam continuando, *impediendi, ne Jeſuitæ, aliique Religioſi continuarent operas ſuas, ſuiſque fruerentur privilegiis, eo modo quo fecerant, ſub prædeceſſoribus*, (Epiſcopis) *quæ mihi apparebant bona & ſancta: ſed revera non proveniebant niſi ex animo vano & præſumptuoſo; ſiquidem poſtea, divino lumine illuſtratus, cognovi, id quod mihi viſum fuerat eſſe à Deo, omninò contrarium eſſe Dei ſervitio, falſamque illam credulitatem meam, procedere ex amore proprio, mea paſſione, mea ſuperbia, mea vanitate, mea præſumptione.*

Hæc Pelicotius, (proſequitur Huylenbroucquius) *neque Hiſpanus fuit, qui his contradiceret.* Sed ſive ex ſe iſta libro ſuo Pelicotius inſeruerit, ſive accepta ab Annato (non auſus importunæ ſollicitationi ipſius obſiſtere) eidem libro inſeri paſſus fuerit

(nec enim Jeſuitis inſolitum eſt ſimilia à ſibi de-
tis extorquere) manifeſtè errat, &, non abſque
juria ſanctiſſimi Epiſcopi, falſum ipſi imponit
iiſquis inſeruit. Neque enim Palafoxius in lau-
tis obſervationibus, per *certum negotium* (cui ſe
ppoſuit) de illo loquitur, quod cum Jeſuitis ha-
uit, & de quo ſe pœnituiſſe dicit (prout Pelico-
us (ex Annato) abſque fundamento ullo, & abſ-
ue ulla veri ſpecie prætendit, nam cùm id nulli-
i Palafoxius inſinuaverit, nec id Pelicotio Deus re-
velaverit, in eo temerarius eſt ſcrutator cordis, &
infundatus Interpres dicti ipſius) ſed de illo, quo
ex Angelopolitana ſede ad Oxomenſem à Rege e-
vocatus, iſti tranſitioni per duos annos ſe palam
oppoſuit. Quippe de hac oppoſitione ſe accuſat
Hiſpanus Palafoxius in ſupradicta vita, nullibi de
oppoſitione facta Jeſuitis, in defenſionem ſuæ di-
gnitatis & jurium Epiſcopalium. Sic enim loqui-
quitur vitæ ſuæ interioris c. 35. *Quo tempore pec-
cator iſte in Regio Indiarum Conſilio laborabat pro
ſuæ dignitatis defenſione, Rex volens ipſius in A-
mericum reditum, eo quòd ipſius opera uti vellet in
Hiſpania, ipſum ad Oxomenſem Epiſcopatum nomi-
navit. Hoc ipſi pœnoſum fuit, quia valde diligebat
Eccleſiam ſuam Angelopolitanam, quæ tot ipſi labo-
ribus & moleſtiis conſtiterat, & cui ſe ſpecialiter
obſtrinxerat, per votum à ſe factum de ipſa non
derelinquenda, ut aditum præcluderet tentationi ad
altiorem Eccleſiam per humanam ambitionem tranſ-
eundi. Quam ob cauſam Mexicanum recuſaverat
Archiepiſcopatum, ad eum à Rege nominatus. Ea
etiam de cauſa tranſitionem recuſavit ad novam
iſtam Eccleſiam. Fatendum interea, peccatoris i-
ſtius motivum eam recuſandi, ita purum haud fuiſ-
ſe, quàm fuerat votum non deſerendi primam. Quip-*

pe ſubintrabat ſecreta propriorum meritorum præſumptio, vanaque ſervitiorum ſuorum æſtimatio, quæ ipſi videbantur malè remunerata. Verùm in animo ſuo cauſam quærebat, qua conſiderationem illam propriæ æſtimationis juſtificaret, purioremque & magis ſpiritualem redderet. Et quia peccator in damnum ſuum ſemper eſt ſubtilis & dexter, tot ipſi convenientiæ rationes occurrebant, quæ ſibi apparebant bonæ & ſanctæ, ut ſibi (ô quàm fallax eſt amor proprius!) videretur peccatum, eſſe humilem; & culpa, reſignatum eſſe. Ad hoc non parum juvabant conſanguinei mei: cùm enim cæcum haberent amorem elevationis honoriſque iſtius peccatoris, (majori ulna, ut vulgo dicitur, merita ipſius metientes) moleſtè ferebant quod par meritis non eſſet ipſius compenſatio. Multos quidem veros doctos ac ſpirituales deſuper conſuluit; ſed juxta modum, quo caſum ipſis propoſuit, amori ipſius conformis ordinarie fuit reſolutio ipſorum. Et hoc pacto ſe aſſecurabat conſcientia ipſius, non ſine periculo ſuæ perditionis; cùm certum ſit, quòd iſti ſenſui adhærere, ſit ſe infinitis tricis, faſtidiis, & inquietudinibus, à vita ſpirituali (quæ dicit ad Deum) abalienantibus, implicare.

Iſtis ergo cogitationibus occupatus, die quadam ingreſſus Oratorium ſuum, ad Deum orandum, & adorandum Crucifixum, cui magna cum devotione afficiebatur; oculis in Dominum cum fide conjectis, ſe protinus illuſtratum ſenſit radio cæleſtis luminis.... quo factum eſt, ut ex animo ipſius illico abſcederet ſententia cui tam tenaciter priùs adhæſerat, eodem tempore repletus cogitationibus veritatis & humilitatis, cor ſuum ſenſit tanto cum guſtu iis inflammatum, ut ſe condemnans, ſibimet ipſi diceret : **Ergone inſenſatus eras? Quanta erat cœcitas tua?**

Poſ-

Poſſibilene eſt, quòd reſiſtere velis divinæ ordinationi? An non Deum Rex tuus repræſentat? Qualia ſunt merita tua, qualia ſervitia, quæ ſint remuneranda? Tandem, mutatione tali facta in corde, & in animo ſuo, cùm iretur ad menſam, voce firma dixit omnibus domeſticis ſuis, quòd pro capitali ſuæ quietis inimico à ſe habendus eſſet, quicumque ipſi malè locuturus eſſet de Eccleſia ad quam nominatus erat, ab eaque acceptanda ipſum averſurus. Poſtea ad Regios accedens Miniſtros, ipſis planè aliter locutus fuit, quàm hactenus fecerat, omniaque concluſa fuerunt cum magna hinc inde lætitia. Ab eo tempore Dominus, vel pro remuneranda ipſius reſignatione, vel pro ſolo nutu & motu voluntatis ſuæ, ſua ipſi adauxit lumina; dimiſſiſque omnibus occupationibus, in quibus tanquam Miniſter fuerat, ad novam ſuam ſe reddidit Eccleſiam. Et ibi gratiam divinitùs accepit, totum tempus ſuum tranſigendi in devotis exercitiis orationis & mortificationis, ſive in Miſſa, ſive in Menſa, ſive in Oratorio.

Ecce ergo ipſiſſimum illud negotium, de quo locutus fuit in obſervationibus ad Litteras S. Tereſiæ; ipſiſſimum (inquam) cùm hic id ipſum quoad ſenſum, iiſdem pene verbis, dicat, quod in obſervationibus illis dixerat, ut manifeſtum videtur ſequentia conferenti.

Ibi: accidit in ejuſmodi materia quòd mihi occurrerent rationes opponendi me certo cuidam negotio.	Hic: deſignat rationes quas habebat ſe opponendi nominationi ad Eccleſiam Oxomenſem.
Ibi: rationes iſtæ mihi	Hic: huic peccatori

 vide-

videbantur bonæ & ſanctæ.

occurrebant rationes convenientiæ, quæ ſibi videbantur bonæ & ſanctæ.

Ibi: ſed revera non proveniebant, niſi ex animo vano & præſumptuoſo.

Hic: ſed motivum iſtud non erat ita purum, quia ſubintrabat ſecreta de propriis meritis præſumptio, vanaque ſervitiorum ſuorum æſtimatio.

Ibi: poſtea illuſtratus cœleſti lumine, cognovi id quod mihi viſum fuerat eſſe à Deo, omnino contrarium eſſe Dei ſervitio.

Hic: oculis in Crucifixum conjectis ſe ſenſit protinus illuſtratum ratio cœleſtis luminis, & ſe condemnans dixit, poſſibilene eſt, quod reſiſtere velis divinæ ordinationi?

Ibi: non erat niſi effectus amoris proprii.

Hic: viri ſpirituales à me conſulti reſpondebant conformiter ſuo amori proprio... O quàm fallax eſt amor proprius!

Ibi: culpam meam publicè confiteor, quia peccavi in oculis omnium.

In vita ſua publico data, publicè ſe peccaſſe confitetur per duos annos, in oculis omnium, ſe opponendo tranſitioni ſuæ ad Epiſcopatum Oxomenſem.

Quid

Quid ad hæc, Huylenbroucqui? Adhucne di-
s, objecta à te verba de *certo quodam negotio*, à
mine, qui fallere non velit, intelligi poſſe de
ius tranſitionis negotio? Imo ipſemet fallere vis,
oc dicendo, nec niſi fallaciter intelligenda præ-
ndis de negotio litis, quam contra Socios, veſtros
abuit, de quo nec in vita ſua, nec alibi ſe pœni-
uiſſe dicit, imò nunquam pœnituiſſe, ſatis de-
onſtrant verba ipſius à Gonzales de Roſende
elata; nam quomodo de Actis iſto in negotio hoc
iceret, qui iſto in negotio dicit, ſe nihil in in-
entione habuiſſe niſi Dei ſervitium, dignitatis
Epiſcopalis, & Epiſcopalium jurium defenſionem,
pſum etiam bonum, & honorem Communita-
tum, quibuſcum fuerat in controverſia. Et in vita
ſua interiori (quam tribus annis poſt obſervationes
in litteras S. Tereſiæ, anno ultimo vitæ ſuæ, ſcri-
pſit) c. 23. dicit, quòd in punctis graviſſimi mo-
menti *maximis quidem cum fatigationibus defenderit
Concilium Tridentinum, dignitatem ſuam, & Epiſco-
palia jura; ſed quòd eas toleraverit cum lætitia, per-
ſuaſus quòd cauſa quam defendebat, & obſequium
quod Domino noſtro præſtabat, non ſolùm merebatur,
ut pateretur, ſed & ut pro tali cauſa vitæ ſuæ, ſi
opus fuiſſet, jacturam faceret. Seque à divina Ma-
jeſtate fatigationum ſuarum remunerationem accepiſſe,
per fœlicem magni iſtius negotii ſucceſſum, & victo-
riam in eo reportatam, per hoc etiam quod Deus
ipſum in vita conſervaverit tempore neceſſario ad
cauſam iſtam agendam, ſeptem annis defendendam,
evincendam.*

Et ut evidenter appareat Pelicotium à veritate
aberraſſe, dum ipſum de nimio redarguit ardore,
zeloque exceſſivo, iſto in negotio; c. 26. reco-
gnoſcit *divinæ bonitatis ac miſericordiæ, gratiæque*

ſingularis, ipſum in cauſa tam juſta adjuvantis, effectum fuiſſe, quòd tot inter moleſtias, perſecutiones, animam ſuam ſervaverit abſque ulla turbatione, & abſque ullo prorſus odio adverſus hoſtes ſuos, adauctâ è contra ſuâ erga ipſos dilectione. Unde factum eſt ut poſtea tractatum ediderit, de afflictionum utilitate, & inimicorum dilectione. Et addit, quòd etiamſi infinitæ adverſus ipſum ſatyræ diſſeminatæ fuerint, permittere noluerit, ut quiſquam iis reſponderet, eo quòd nullam inde pœnam habuiſſet, ſed ſincerum deſiderium benefaciendi facientibus ſibi mala.

Adhucne poſt hæc, dicet Huylenbroucquius Palafoxium de iſto negotio, in quo tam ſanctè ſe geſſit, pœnituiſſe? Vah mendacem impoſtorem, fallacem declamatorem, ineptum Sociorum ſuorum vindicem, imo & deceptorem! dum ipſos ſuperbus ipſe avocare nititur, ab humili confeſſione neceſſitatis, ad primævum S. Ignatii ſpiritum, per ſalutarem reformationem, ipſos revocandi, à quo tantopere defecerunt, per ſuperbiam ſuam, avaritiam, innocentes (etiam ſanctiſſimos Epiſcopos) calumniandi licentiam, frequentem ad ipſa etiam Pontificia Decreta (dum ipſis videntur adverſantia Societatis honori) inobedientiam, aliaque vitia magna, argumentis & exemplis ſole meridiano lucidioribus comprobata. Ea tu quidem pervicaciter negas, Huylenbroucqui, ſed in eo factus imitator Scribarum & Phariſæorum, Chriſti redargutiones aſpernantium, quia ob excæcantem ſuperbiam ſuam tales ſeſe non exiſtimabant, quales eos Veritas demonſtrabat. Et ideo ipſis propoſitum erat ſeſe non emendare, ſed adverſùs Chriſtum ſe vindicare, ſicut tu adverſus Tubicinem facis, per tot injurias & calumnioſa improperia,

quibus

quibus exiſtimaſti te ad clangores ſingulos ſatis reſpondiſſe, cùm iis nihil niſi gerras & ineptias oppoſueris, ut aliquid reſpondiſſe videreris. Tibi ergo dictum puta, quod Auguſtinus l. 4. contra Creſconium Grammat. cap. 65. olim dixit: *Cernis quàm inaniter dixeris, quod videaris tibi ad omnia reſpondiſſe quæ in mea* tuba magna *continentur. Si autem propterea reſpondiſti, ut ea quæ à nobis* (ex charitate propter commune Eccleſiæ & Societatis bonum) *dicta ſunt evacuares, video te quidem ad multa reſpondiſſe, ſed nihil te video refelliſſe.*

Atque ex his cordatus lector, cognoſcens ex ungue leonem, ſibi facile perſuadebit, nihil ſoliditatis eſſe in cæteris vitilitigationibus ipſius, ad demonſtrandamque reformandæ Societatis neceſſitatem tanto magis ſufficere argumenta hic producta, quanto certius ad eam demonſtrandam ſufficiunt vel ſola teſtimonia irrefragabilia Sancti Martyris Soteli, ſanctæque memoriæ Epiſcoporum Lanuzæ, Palafoxii, & Solmniachi. Maximè cum vel ipſe ſanctiſſimus Innocentius X. viſa epiſtola Illuſtriſſimi Palafoxii, Societatis reformationem plurimùm exoptaverit, ſed veritus ne, ex nimia Sociorum apud Principes potentia, magna Eccleſiæ perturbatio ob eam exoriretur, ad integram reformationem Socios non compulit, ſed paulò pòſt ad chorum, & Miſſas decantandas; quod aliquanto tempore in Italia ſervatum fuit, quemadmodum Palafoxius ipſe in epiſt. ad Generalem Carmelitarum Diſcalceatorum ab uno ex Agentibus ſe accepiſſe dicit, qui ipſi teſtificatus eſt ab uno ex primariis ſuæ Sanctitatis Miniſtris ſe hoc accepiſſe.

Faciat ergo Deus, ut à vitiis magnis, de quibus à memoratis Sanctis Jeſuitæ arguuntur, reformationi

tioni ſibi tam neceſſariæ ſe ſe opponendo, per ſuperbiam inemendabiles non efficiantur, ob laudes, quibus Societatem ſubinde præconizant nonnulli Sancti, & ipſimet Romani Pontifices; cùm alios etiam Ordines, S. Benedicti, S. Dominici, S. Franciſci &c. tam Romani Pontifices, quàm nonnulli Sancti, ſimiliter præconizent, iiſque non obſtantibus, ob deficientiam non parvam plurimorum à primævo ſuo Inſtituto, neceſſe fuerit ipſos reformari. Et cui ſenſato dubium eſſe poteſt, Jeſuitas in eo eſſe ſicut cæteros homines, cùm id manifeſtum faciant experientia & Sanctorum teſtimonia ſuprà allegata?

Credite ergo, Reverendi Patres, credite veritati, per tot Tubæ magnæ clangores ad aures veſtras perſonatæ. Si enim clangores tam ſalutares nihili faciendo, Tubicinis erga vos charitati, calumnias & injurias (more veſtro) rependere pergatis, videte ne Tuba maxima ad aures veſtras ſonitu vehementiori perſonando, inſipientiam, ſuperbiam, impœnitentiam veſtram tandem confundat, maledicentiamque veſtram retundens, calumnioſam eſſe coram Orbe univerſo, uſque ad Garamantas & Indos manifeſtis probet argumentis. Quia, ut D. Baſilius ait epiſt. 65. *ad calumnias tacendum non eſt, ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus, aut eos, qui ſubducti ſunt, damno inhærere ſinamus.* Et, ut D. Athanaſius in Apolog. *Qui lapide ictus eſt, quærit medicum: ictus autem calumniæ gravius quàm lapides feriunt. Eſt enim calumnia clava, & gladius, & jaculum incurabile. Sed his veritas mederi poteſt, quæ ubi negligitur, vulnera acerbiora fiunt.*

Ne vehementiores illos ſonitus audiant aures veſtræ, eas (prout hactenus) obturantes, & corda etiam

m veſtra obdurantes, per potentiam veſtram
gnam, & inſanias falſas, Tubæ proſcriptionem
è impetrabitis. Bene, optime, tunc Tuba di-
, *ubi auditus non eſt* , *non effundas ſermonem.*
elius eſt enim hoc dicere cum Eccleſiaſtico,
àm dicere cum Laurentio Forero Jeſuita, Theſi·
.. de Abbate, *plures eſſe deciſiones vel declaratio-*
Cardinalium, quæ placent Urbi, non Orbi.

I N-

INDEX

Clangorum & Scriptorum in hoc volumine contentorum.

Clangor I. Reformandæ Societatis neceſſitatem maximam perſonant, dum vitia maxima detegunt Viri doctrina, pietate & vitæ ſanctimonia celebres. Pag. 1

Clangor II. Neceſſitatem longè maximam reformandi Societatem, manifeſtam faciunt vitia maxima, in ea dominantia. 19

Clangor III. Neceſſitatem valdè magnam reformandæ Societatis demonſtrant in generali vitia valde magna, quæ in Societate dominari teſtis domeſticus, fide digniſſimus, Mariana, teſtatur in lib. de morbis remedio indigentibus in Societate. 23

Clangor IV. Præter vitia illa, à Mariana magni nominis & meriti viro enarrata, de quibus Clangore præcedenti, imprimis reformanda eſt in Jeſuitis ſuperbia; nimis certè magna. 28

Clangor V. Secundò, reformanda in Jeſuitis nimia ſupra cæteros omnes extollentia. 38

Clangor VI. Tertiò, reformanda in Jeſuitis erga alios invidia & zelotypia. 65

Clangor VII. Quartò, reformanda in Jeſuitis avaritia. 85

Clangor VIII. Quintò, reformandus eſt in in Jeſuitis aulicifmus. 116

Clangor IX. Sextò, reformanda Jeſuitarum adverſus inviſos ſibi Epiſcopos inſolentia, abſque veneratione Epiſcopalis dignitatis ipſorum. 123

Clangor X. Septimo, reformandus in Jeſuitis contemptus cenſurarum Epiſcopalium. 144

Clangor XI. Octavò, reformanda Jeſuitarum inobedientia & contumacia, adverſus Eccleſiæ, ſummorumque Pontificum Decreta, Sociorum votis adverſantia. 150

Clan-

:GOR XII. Nonò, reformanda in Jeſuitis privile-
orum ſingularitas, ob eorum abuſum. 166
NGOR XIII. Decimò, reformanda eſt Jeſuitarum
gotiatio. 173
NGOR XIV. Undecimò, reformandus in Jeſuitis
odus prædicandi infidelibus Evangelium, parum
poſtolicus. 180
NGOR XV. Duodecimò, in Jeſuitis reformanda
ſt effrænis mentiendi & alios ſibi inviſos calum-
iandi licentia. 192
NGOR XVI. Reformandam in Jeſuitis mentien-
i calumniandique licentiam pluribus aliis exemplis
emonſtratur. 205
NGOR XVII. Reformanda ſeu potiùs deprimenda
imia Jeſuitarum potentia. 242
NGOR XVIII. Reformandæ in Jeſuitis fallaciæ
x doli mali in repræſentandis ſub odioſa larva alio-
um ſibi adverſantium ſententiis, chriſtianæque ſin-
eritatis defectus in palliandis ſuorum exceſſibus. 269
ANGOR XIX. Reformandus in Jeſuitis Chino-Jan-
enifmus ſeu eluſiones Deciſionum S. Sedis quas
Janſeniſtis Jeſuitæ objiciunt. 273
ANGOR XX. Reformanda eſt in Jeſuitis inſinceri-
as, ſicut in dictis, ſcriptis & informationibus ſuis,
ic & in promiſſionibus ac proteſtationibus, etiam
ummo Pontifici factis. 281
ANGOR XXI. Reformanda in Jeſuitis nimia opi-
nandi licentia. 327
ANGOR XXII. Reformandæ doloſæ artes, occultæ
technæ, malignarum ſuggeſtionum cuniculi, calum-
nioſæ impoſitiones, iniquæ molitiones, & turbu-
lenta media quibus Moliniſmum defendere ac pro-
pagare Socii à ſæculo annituntur. 342
ANGOR XXIII. Adverſus ea quæ Jeſuitæ objiciunt
ut Societatem nullius reformationis indigere per-
ſuadeant. 382
ANGOR XXIV. Epiſtola Illuſtriſſimi viri, Joannis
de Palafox, ad ſummum Pontificem Innocentium X.
de Jeſuitarum Societate extinguenda vel ſtrictè re-
formanda ob venerabilis Eccleſiæ bonum. 385

Clangor. XXV. Epiſtola Fratris Ludovici Soteli, S. Ord. S. Franciſci, Regis Oxenſis ad Sedem Apoſtolicam Legati, & in Regno iſto Miſſionarii Apoſtolici glorioſique Chriſti Martyris, de Eccleſiæ Japonicæ ſtatu ad S. D. N. Urbanum VIII. 433

APPENDIX.

I. Protocataſtaſis, ſeu prima Societatis Jeſu Inſtitutio reſtauranda ſummo Pontifici Latino Gallica Expoſtulatione proponitur Theophili Eugenii zelo. 464

Prima Ordinis Societatis Jeſu inſtitutio ſancta & reſtituenda. 465

Præſentem Societatem à prima ſua inſtitutione in aliam declinaſſe. 470

Præſentis Ordinis Jeſuitarum gradus & jura & ejuſdem ad primum inſtitutum reformatio ac reductio petitur. 475

Pauli III. prima primi inſtituti Societatis Jeſu approbatio, cum reſtrictione numeri ad perſonas ſexaginta duntaxat. 479

Primæ Societatis laus in muneribus obeundis. 485

Theophilus ſummo Pontifici primæ Societatis Jeſu ſtatuta reſtauranda aſſerit. 487

Imperatori Auguſto, Francico Regi Chriſtianiſſimo, Hiſpaniæ Regi Catholico omnibusque Principibus Chriſtianis pro reformatione Ordinis Jeſuitarum. 500

II. Danielis Hoſpitalii ad Reges Principeſque Catholicos Conſultatio de cauſis & modis conſervandæ & amplificandæ Societatis Jeſu, ut perpetuò durare, deque Eccleſia Dei & Regnis ac Rebuſpublicis Chriſtianis præclarè ſemper mereri poſſit. 507

III. Fortunii Galindi Cantabri de cauſis publici erga Jeſuitas odii Diſputatio. 539

IV. Varii Libelli ſupplices ſummo Pontifici Clementi VIII. oblati à pluribus Societatis Jeſu Provinciis, pro reformatione obtinenda in eadem Societate. 553

V. Il-

luſtriſſimi & Reverendiſſimi Principis,Domini Car-
nalis & Archiepiſcopi Pragenſis, Legati nati,&c.
ıdicium & Cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæ-
:i oblatæ, Cæſareâ ac Regali authoritate firman-
:, pro erectione Carolo-Ferdinandææ Academiæ.
560
Epiſtola R. P. Nicolai Cauſſini Societatis Jeſu
ıeologi Presbyteri, Regis Chriſtianiſſimi Ludovici
.II. Confeſſarii ad Reverendiſſimum Patrem Mu-
ım Viteleſcium ejuſdem Societatis Præpoſitum
:neralem. 571
Succincta Narratio eorum quæ P. Thyrſus Gon-
.les geſſit in Hiſpania apud Superiores ſuos & apud
mmum Pontificem Innocentium XI. ad cohiben-
ım opinionum probabilium abuſum, cum brevi
plicatione rationum ob quas anno 1691. edidit
actatum ſuccinctum de hoc argumento, & diffi-
ıltatum quæ circa ejus publicationem ſupervene-
ınt. 605
:. Lucii Cornelii Europæi Monarchia Solipſorum ad
rum Clariſſimum Leonem Allatium. 629
. I. 630
. II. Occaſio adeundi Regni Solipſorum. 632
. III. Qui ſucceſſus in Regia Solipſorum. 635
. IV. Antiquitas Monarchiæ Solipſorum. 637
. V. Nomen, & Sacra Solipſorum. 639
. VI. Gymnaſia, & ſtudia Solipſorum. 641
. VII. Varii Solipſorum mores. 646
. VIII. Magiſtratus, & forma regendi Solipſo-
ım. 650
. IX. Status Monarchiæ Solipſorum. 652
. X. Leges Solipſorum. 656
. XI. Conſiderationes quædam circa leges Solip-
orum. 659
. XII. Judicia Solipſorum. 663
. XIII. Conſiderationes circa Judicia Solipſorum
667
. XIV. Comitia, & Conſultationes Solipſorum.
674

CAP

INDEX.

Cap. XV. Inductio Soliſforum in Monarchia propaganda. 679
Cap. XVI. Varii rerum apud Soliſos eventus. 682
Cap. XVII. Salini Geniloſii ex Europa littera. 685
Cap. XVIII. Conjugia Soliſforum, & liberorum educatio. 690
Cap. XIX. Redditus Soliſforum. 692
Cap. XX. Bella à Soliſis geſta. 694
Cap. XXI. Rebellio Abſciſſianorum. 697

TU-

TUBA ALTERA
AJOREM CLANGENS SONUM.

De neceſſitate longè maxima reformandi Societatem Jeſu.

C L A N G O R P R I M U S.

Reformandæ Societatis neceſſitatem maximam perſonant, dum vitia maxima detegunt Viri doctrinâ, pietate & vitæ ſanctimoniâ celebres.

PRimus occurrit Melchior Canus, Epiſcopus Canarienſis, celebris Doctor ſacri Ordinis Prædicatorum, dum Orlandino fatente in Hiſtor. Soc. Jeſuitis adaptat verba iſta Apoſtoli 2. Timoth. 3. *Scito quòd in noviſſimis diebus... erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi.... ſine pace, criminatores... habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes... nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.... Reſiſtent veritati.... Sed ultra non proficient: Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus.* Vitia illa Jeſuitis valdè multis convenire, experientia manifeſtè docet; & revera convenire, adeo certum exiſtimat magnus ille vir, ut in epiſt. ad Patrem Regla, Ord. S. Auguſtini, Carolo V. à ſacris Confeſſionibus, dicere non dubitet: *Utinam & mihi, quod olim Caſſandræ, non accidat: cui non eſt data fides, donec Troja incendio periiſſet. Si quo pede cœperunt Patres Societatis, pergere permittantur, faxit Deus, ne tempus*

 tan-

tandem adveniat, quo Reges eis obſiſtere velint, nec poſſint. An non tempus iſtud adveniſſe conſpicimus? Ne ipſi quidem Romani Pontifices ipſis obſiſtere poſſe videntur, nec ipſos ad obedientiam compellere, prout videbitur infrà.

Deinde Arias Montanus, S. Jacobi Eques, Philippi II. Catholici Regis Bibliothecarius, divinis in Scripturis, rebuſque Theologicis verſatiſſimus, qui pietatem magnam pari cum eruditione conjunxit, in Comment. de var. Hebr. Libror. ſcriptione, Regiis Bibliis anno 1572. Antverpiæ editis inſertâ, de Jeſuitis ſic loquitur: *Cùm ſoli ſapere, ſoli benè vivere, Jeſumque propiùs inſequi & comitari ſibi videantur, atque id palam profeſſi jactitent, me, qui minimum, atque adeo inutilem Jeſu Chriſti Diſcipulum ago, odio habuerunt gratis. Atque hi, quòd neminem, qui aliàs benè audiat, palam improbare audent; aliorum, quos ad eam rem occultè inducere poſſunt, ingeniis & nominibus abutuntur.... Utuntur quidem illi magno & inacceſſibili ad ſuas agendas res myſterio; ſed quod facilè iis, qui ſimpliciùs apertiùſque agere volunt, pelluceat; quod non poſt multos annos tandem aperiendum ſit.* Velut prophetico ſpiritu Arias Montanus prædixit, quod in dies videmus adimpleri. Videmus, inquam, Jeſuitas ſuis ſe intereſſatis agendi-modis notos facere, & ſic notos, ut in epiſt. ad Philippum II. anno 1571. ſcripta, *tanquam fidelis*, inquit, *& obligatus ſervus, ſecundùm ſimplicitatem Chriſtianam, & pro fide in omnibus illis debita, quæ ad Dei veſtræque Majeſtatis ſervitium, & ad rectam rerum publicarum ipſi ſubjectarum adminiſtrationem pertinent, ut eo nomine, quantum in me eſt, ſatisfaciam, teſtor ac moneo, unam illarum rerum, quas Majeſtas veſtra Gubernatori, ac Miniſtris qui in Belgio ſunt, aut poſteà erunt, ſeveriſſimè debet injungere, eſſe iſtam, ut caveant Jeſuitis commiſceri, nec quidquam negotiorum cum illis communicent, neque ad id quod nunc habent autoritatis, vel opum, in his provinciis ullam acceſſionem faciant. In ſpecie autem, ut Gubernator Belgii nemine illorum pro Prædicatore vel Confeſſario uti audeat. Deo enim & conſcientia*

ſcientia teſte, perſpectum habeo, tam hoc quàm quicquam aliud referre ad rem Majeſtatis veſtræ, & ad liberam executionem boni regiminis harum provinciarum. Et Majeſtas veſtra pro certo habeat, perpaucos in Hiſpania inveniri extra ipſorum Societatem, qui pluribus & certioribus, quàm ego, argumentis perſpectum habeant, quæ ſint illorum prætenſiones, ſeu ſtudia, qui fines (omnes utique ad Societatis gloriam & emolumenta tendentes) *quantoque ingenio & conatu ad fines ſibi propoſitos connitantur..... quantumque nocumenti, & quàm tectas exerceant inimicitias contra minoris authoritatis homines, quos quovis modo rerum ſuarum quicquam non ſatis ex ſua libidine adtingere intelligunt &c.*

Melchiori Cano, & Ariæ Montano accedunt domeſtici teſtes, hodie benè multi, ſuæ Societatis mala ingentia ſatis deplorare non valentes. Poſt Joannem Marianam, Floravantium, duoſque Societatis Generales, S. Franciſcum de Borgia & Claudium Aquavivam, accedunt & Joannes Baptiſta de la Nuza, Ord. Prædic. Aragoniæ Provincialis, exinde Epiſcopus Balbaſtrenſis & Albaricenſis, Martyr Sotelo, & ſanctæ memoriæ Epiſcopi, Joannes de Palafox, Angelopolitanus, & Alanus de Solminihac Cadurcenſis.

Joannes namque Mariana, unus ex antiquiſſimis Societatis Patribus, vir (teſte Eminentiſſ. Card. Baronio to. VIII. ad annum Chriſti 688.) *Veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo manum appoſuit Rer. Hiſpan. Hiſtoriæ, Hiſpanus ipſe, ſed affectu privato carens, dignus Profeſſor Soc. Jeſu*, in libro Hiſpanicè, Latinè, Gallicè, & Italicè (poſt obitum ipſius) edito, *De morbis Societatis, eorumque cauſis ac remediis*, ingentia Sociorum ſuorum mala, reformatione prorſus indigentia, graphicè depingit, atque ipſiſſimis hiſce verbis librum ſuum abſolvit: *Multam mihi fiduciam ſumpſi in detegendis Societatis malis, & publici regiminis erroribus: iiſque potiſſimùm, quæ cùm communiter approbantur, libentiùs fiunt. At quid ergo? Candidè loquor, & ſine fuco ac ſpe quacumque: rem quiſque ut libuerit æſtimabit. Verùm quod in me eſt, quo propiùs*

ingraveſcente ætate ad extremum judicium accedo, eo certiùs aſſevero, Societatem noſtram, quæ ex Deo dubio procul eſt, in præceps ruere, ac brevi etiam caſuram omnino, niſi Deus ipſe det opem, ejuſque filii, pro ſuo in matrem pietate, omnique privati commodi ſtudio ſepoſito, præſens auxilium adferant, & ad vivas uſque partes circumcidant, ſi ita opus, ne ultra peſtis incedat. Librum illum *omnes Principes, & Societatem ſalvam cupientes, diligentiſſimè legere deberent*, inquit Fr. Juniperus de Ancona, ſeu Autor ſcripti cui titulus: *Conſultatio de cauſis & modis Religioſæ diſciplinæ in Societate Jeſu inſtauranda*, in hâc & ipſe reformandæ Societatis neceſſitatem pluribus demonſtrat argumentis, rationemque reddit, cur Marianæ liber ſolummodò poſt obitum ipſius luci publicæ datus fuerit; eo quòd utique eum non eo conſilio Mariana ſcripſerit, ut in vulgus ederetur, ſed ut aliquando in Societatis Congregatione, ad corrigenda, quæ in Societatem irrepſerant vitia, uſui eſſe poſſet. Eum quidem è Societate nonnulli à Mariana ſcriptum negant: ſed ipſius eſſe, res eſt longè clarior, quàm ut negari poſſit. Nec eſt quiſquam, qui Marianæ ſcripta legerit, qui ſtylum ipſius, acrimoniam, & junctam libertate prudentiam eo in libro non ſtatim agnoſcat. Eum Franciſcus Soſa, Ord. Minor. Generalis, poſt Auximenſis Epiſcopus, & Statûs Hiſpanici Conſiliarius, cum cæteris Marianæ Codicibus, eo tempore ſubduxit, quo Mariana carcere tenebatur, ob librum anno 1609. Coloniæ editum, in quo de Monetæ in Hiſpaniis mutatione diſputans, Miniſtrorum Hiſpanorum fraudes perſtrinxit, Hiſpanicoque Imperio exitioſas eſſe demonſtravit. Quo Dux de Lerma ſe ſugillari intelligens, hominem in vincula popoſcit, in iiſque annum vertentem continuit. Eo itaque tempore Illuſtriſſimus Soſa, juſſus Marianæ ſcrinia excutere (ut ſi quid in iis reperiretur, quo vel Regis oſcitatio, vel Lermæ artes ſugillarentur, aboleretur) librum, de quo in præſenti, propriâ Marianæ manu ſcriptum invenit, inventumque cum amicis multis, nominatim cum Illuſtriſſimo D. Conrio Thuamenſi in Hibernia Archiepiſcopo,

copo,

›o, cumque Reverendiſſimo P. Nicolao Riccardio, ri Palatii Apoſtolici Magiſtro, prout ex ipſo ſe acce- ẻ Juniperus de Ancona teſtificatur, communicavit. ndemque librum Pater Floravantius, ſummi Pontifi- Confeſſarius, priſci moris ac veterioris notæ Jeſuita it, & nimis vera eo contineri, cum gemitu faſſus fuit, nmumque Pontificem propterea magnopere inter- lavit, ut ad inſtaurandam Societatem animum ap- leret: nec enim verbis poſſe ſe exprimere, quàm à priſtina virtute ſua degeneraſſet, quamque omnis igioſa diſciplina in ea collapſa, in meram ſæculari- em deveniſſet, *velut mihi primarius quidam Pontifi- familiaris ex ipſius ore acceptum retulit*; verba ſunt niperi loco laudato.

Ecce igitur non Marianæ duntaxat, ſed & inſignis al- ius Jeſuitæ Floravantii, ſuæ Sanctitatis Confeſſarii, de ormandæ Societatis neceſſitate teſtimonium.

Nec diſſimile fuit judicium S. Franciſci de Borgia, tii Societatis Generalis, in epiſt. *ad Patres & Fratres iet.* editionis Iprenſis anni 1611. ſive *ad Patres & ıtres Provinciæ Aquitaniæ*, ne Alphonſo Huylenbroucq ı vanè cavillandi anſa præbeatur: in cujus gratiam ſtituimus & conditionalem propoſitionem, quam nqueritur omiſſam in priori noſtra editione. In ea ;o Epiſtola, *De mediis conſervandi ſpiritum Societatis vocationis noſtræ*, prophetico ſpiritu deſignat tem- s in quo conſtitutam jam Societatem conſpicit Orbis iverſus: *Si nulla*, inquit, *habita ratione vocationis & ·itus, quo quiſque impulſus accedit, litteras modò ſpe- mus, & alia exteriora talenta ac dona, veniet tem- ſ quo ſe Societas multis quidem occupatam litteris, ſed e ullo virtutis ſtudio intuebitur: in qua tunc vigebit ›bitio, & ſeſe efferet ſolutis habenis ſuperbia, nec à o contineatur & ſupprimatur habebit* (idipſum eſt, od prædixit Melchior Canus) *quippe ſi animum con- ·terint ad opes* (quemadmodum convertiſſe noto- ım eſt)..... *intelligent illi ſe quidem..... opibus affluen- , ſed omnino virtutum copiis deſtitutos..... Atque uti- m jam non antè hoc totum experientia ipſa ſæpius teſta-*

ta docuiſſet! Quàm multi veniunt ad nos, conqueſtus eſt idem Franciſcus de Borgia, teſtante Generale Vitelleſchi, *ut fiant ditiores; quàm pauci ut fiant meliores*

Quid verò Claudius Aquaviva, quintus Generalis ejuſdem Societatis? In libro qui inſcribitur, *Induſtria pro ſuperioribus Societatis ad curandos animæ morbos,* Romanis typis anno 1616. edito c. 15. *Sæcularitas,* inquit, *&* AULICISMUS, *inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, morbus eſt in Societate, & intra & extra periculoſus. & iſtis qui eum patiuntur, & nobis* (Superioribus) *ferè neſcientibus paulatim ſubintrat, ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obſequium hujuſmodi homines Societati, juvandi proximos &c; ſed revera quærimus interdum nos ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus.* Et in *Inſtructione pro Superioribus, ad augendum in Societate ſpiritum cap.* 1. EST *& alia malorum radix longè periculoſiſſima, eoque periculoſior, quo minus vulgò noxia cenſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occupatio nimia, in quam ſuperiores, ut plurimùm, ac variis nominibus ſupra modum effundi ſolent. Per ſpeciem proximos lucrifaciendi Societati multis ſe viſitationibus implicant, iiſque non modò non neceſſariis, ſed parùm etiam utilibus, atque ita in his verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſcedant.*

Subjiciendus hìc venit alter Societatis Generalis Mutius Vitelleſchi: non quidem ut hiſtoricus rerum quæ in illa aguntur; ſed ut teſtis locupletiſſimus querelarum adverſus Jeſuitas fieri ſolitarum: „ Querimoniæ „ porro communiores, ad hæc capita revocantur: inquit Epiſt. 1. de Oratione, ad Patres & Fratres Societatis; „*ſuperbos nos eſſe; huc nos tendere ut omnia per* „ *nos adminiſtrentur, ex nobis pendeant univerſa*, „ *de* „ *noſtra nos ſapientia amplè magnificéque ſentire, ceteros* „ *parvi facere, modico in pretio habere.* Hoc primum „ eſt caput. Alterum eſt, vitæ commoditates nos im„ penſè ſectari. Tertium, cupidos nos eſſe, & quærere „ quæ noſtra ſunt. Quartum denique prudentes nòs ho„ mines eſſe magis & politicos, quàm ſolidè ſpirituales.

Non

Non quidem fatetur Vitelleſchi hæc cum veritate in ſietatem vibrata, ſed nec rejicit quaſi in eam maliè commenta: „ Verùm, inquit, ut ut ſe res habeat, demus rumores iſtos atque obtrectationes nullo veritatis fundamento niti, nullâ culpâ noſtrorum. Prudenter id non diſcutit Pater Generalis: illi ſatis eſt monere & exhortari: „ Curemus, inquit, omnes vulgò plane pervideant, nullius nos alterius rei, quàm noviſſimi loci ambitione teneri, utque tempore ſumus ac nomine poſtremi minimique (nimirum noſtis Societatem ab iis qui eam conſtituerunt Patribus Minimam appellatam) ita nequaquam quæſitæ, ſed germanæ veræque demiſſionis laude, ut omnium maximi & principes ſimus, enitamur.... Ne commoveamur ſi contemptim, ſi minus honorificè, ſi minori in pretio habiti nobis videbimur: ſed patienter ſilentio feramus; animorum potius lucris quàm plauſibus neſcio quibus mortalium oblectemur: ne in aulas nos inſeramus; ad ſpiritualem pauperum opem toto pectore incumbamus. Epiſcopis, eorumdem Vicariis, iis qui præſunt omnibus... intimam ex animo ſubmiſſionem atque obſervantiam deferamus Ne umbram quidem noſtra, ſeu dicta ſeu facta, præferant, unde oriri ſuſpicio queat audere nos cum iis pœne ex æquo contendere, nihil non velle pervincere: ne alienis nos rebus immiſceamus.... de omnibus... honorificè atque officiosè loquamur: ſtatimque haud ampliùs vulgò nos cenſeri ſuperbos deprehendetis.

Eadem ratione, proſequitur Vitelleſchi, " Si in vitæ commoditatibus procurandis minus ſeduli; ſi in itineribus, miſſionibus, xenodochiis, ergaſtuliſque luſtrandis, diu noctuque ad piè mortem obeundam juvandis pauperibus nonnulla ſciemus ſtatuemuſque perferre; ſi in corporis cultu atque veſtitu pauperes & eſſe & vederi geſtiemus, neque veſtibus erubeſcemus detritis & conſarcinatis uti, novas remiſſionum atque oblectationum animi formas minimè excogitabimus; externorum menſas, optimatum in

„ primis refugiemus, neque tam iis nos oblectari, „ quàm fatigari ſignificabimus; quæ erat altera quere„ la conticeſcet, omneſque factum ſibi ſatis per nos „ eſſe fatebuntur.

Ad tertium querimoniarum punctum hoc præſcribit remedium ſapientiſſimus Generalis: „ Ad hæc ſi à li„ tibus abhorrebimus, rationem agendi veritatis & fi„ dei plenam, ab artificio neſcio quo, & apicibus pu„ ram ſequemur; pacta, promiſſa ad amuſſim ſanctè „ ſervabimus; teſtamentis condendis intereſſe ex regu„ larum noſtrarum præſcripto recuſabimus, quod „ tantopere ſuis etiam fratribus inculquat B. Bonaven„ tura: denique ſi nos ita geremus, ut omnes per„ ſpiciant hominum animos non marſupia nos quæ„ rere, neque id agere, ut iſta nobis, verùm ut illos „ Deo lucremur, quis nos intimulare valeat avidi„ tatis?

„ Hoc caput, in quo nonnulla quæ ad linguam per„ tinent perſtringere neceſſe habeo, gaudeo in poſtre„ mum hunc locum cecidiſſe, quod cupiam omni„ bus quæ hactenus recenſui, altiùs iſta cunctorum „ cordibus imprimi ſempiternis notis. Ne, quæſo, „ nobis, Patres Fratreſque, blandiamur; non pauci „ hoc in genere valido freno egent; nemini parcunt; „ nimia agunt libertate & licentia, non ſine gravi ca„ ritatis juſtitiæque interdum injuria, dum aliena ſeu „ dicta, ſeu facta, nunc amplificata augent, modò „ ultro citroque renuntiant, nunc in deteriorem par„ tem accipiunt; ad motus animi, atque conſilia Deo „ reſervata dijudicanda progrediuntur; haud ſcio an „ dicendum ſit, res neque geſtas unquam, neque per „ ſomnium quidem oblatas comminiſcuntur & ja„ ctant.... *Hoc vitium latiùs quàm opus eſſet ſerpere* „ *per Societatem deploramus omnes.*

Placuit hæc paulò fuſiùs exſcribere, ut lectores videant quàm bellè Jeſuitæ admonitionibus & exhortationibus Generalis Vitelleſchi acquieverint. Scilicet! Quis etenim non perſpicit illos multò nunc eſſe modeſtiores, minus inflatos, minus elatos? Submiſſionis ſuæ

erga Cardinales, Epiſcopos, Vicarios Apoſtolicos tam in Europa quàm in China præclara quotidie præbent exempla. Principum aulas ut angues horreſcunt: toti ſunt in inſerviendis pauperibus: de omnibus, etiam adverſariis, cum caritate & veritate loquuntur. Abſit ut interſint condendis teſtamentis, etiam oblatas hæreditates reſpuunt: paupertatem unicè laudant & ſectantur. Homines toti ſpirituales: quid homines dico, *Societas eſt potius Angelorum!* Quàm mutati ab illis qui tempore Vitelleſchi in vivis erant! *Si ſic renovatam hoc in genere Societatem illi daretur intueri; omni* nunc *ſanè animi ardore inclamaret:* NUNC DIMITTIS.

De Vitelleſcho ſatis: Videri etiam poteſt Generalis Oliva tom. 3. conc. 19. parte 2. Melchior quoque Inchofer in Monarchia ſua Solipſorum, ubi Societatis ſuæ ſpiritum nativis coloribus exhibet. Virum iſtum ob animi candorem, doctrinæ puritatem, & morum ſanctimoniam ſummo Pontifici charum, Romæ à ſuis clam abreptum, Papa de manibus ipſorum excuſſit, ſervavitque incolumem.

Hieronymus Baptiſta de la Nuza, Ord. Prædicat. Epiſcopus Balbaſtrienſis & Albaricenſis, tantâ vitæ ſanctimoniâ illuſtris, ut ob heroïcas virtutes ſuas, canonicam ipſius apotheoſim omnes Arragoniæ Regni Ordines ab Innocentio XI. poſtularint, de ipſoque in Actis Capituli Generalis ſui Ordinis, anno 1629. celebrati, extet hoc elogium, Romæ Urbano VIII. permittente typis datum: *In omni vita ſua Conſtitutiones ad unguem ſervavit; jejuniis, cateniſque ferreis carnem maceravit; orationi & ſacræ lectioni quotidie vacavit; prophetico ſpiritu claruit; ſecreta cordium, multorumque ſtatum in purgatorio, egreſſumque ab eo cognovit; dono ſapientiæ & intellectus, in ſacris præcipuè ſcripturis exponendis, divinitùs (Sancti Ludovici Bertrandi, ejus Magiſtri teſtimonio) eximiè præditus fuit: quod ejus opera præclarè demonſtrant. Quinquaginta annis in prædicationis munere conſumptis, non ſemel facie ſplendidus apparuit. Paupertatem in Epiſcopatu ſummopere coluit;*

omnibus ſuis, uſque ad lectulum, pauperibus erogatis. Sanctorum Epiſcoporum æmulator, ab omni lethali labe immunis (Confeſſario teſte) ſeptuagenarius in magna ſanctitatis opinione ex hac vita migravit, anno 1625.

Epiſcopus ergo ille tam ſanctus in Memoriali anno 1612. dato ad Paulum V. c. 2. §. 1. dicit, quòd cùm eſſet *unius planè labii univerſa Theologorum Schola* (circa divinæ gratiæ, & æternæ prædeſtinationis controverſias) *ſubintrarunt viri novitatis cupidi, & Sanctorum Patrum vaniſſimi contemptores, qui ſparſis hinc inde libellis totum pene Orbem novitatibus infecerunt..... ex inanis gloriæ cupiditate, & dominandi deſiderio, ut & cæteris eminere, & altiora cæteris inveniſſe viderentur.* Nec in theoricis duntaxat, ſed & in practicis (teſte eorum Generale Vitelleſcho in epiſt. ad Superiores Soc. de 4. Januarii 1617.) *Nonnullorum ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ*, adeo exitioſæ ſunt, *ut non modò periculum eſſet ne ipſam evertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia adferant detrimenta*, SYLLEPSIS *eſt*, inſulsè animadvertit Huylenbroucq, *ſenſus eſt minùs hiſtoricus, quàm exhortatorius, aut admonitorius.*

Proſequitur La Nuza, & §. 2. dicit, quòd *omnibus adulari, indulgere omnibus ſtudent..... illi paucorum dierum homines.* Quódque *doctrinam ſuam interdum novam jactitant Auguſtino in caligine poſito imperviam, ut viris novitatum amatoribus adulentur. Antiquam è contra nonnunquam appellant, atque ex primæva Patrum traditione derivatam, ne viris avitæ doctrinæ retinentioribus ſtomachum faciant. Familiaris eſt illa hæreticis omnibus aſtutia*, quemadmodum ex Baſilio oſtendit & Baronio.

Ipſos redarguit §. 3. de tanta vanæ gloriæ cupiditate, ut hæreticorum more, *Victoriam ſibi ſemper accinant, quo etiam tempore cauſâ cadunt.* Qua in re *juſto judicio percelluntur: quia cùm non veritatis ſtudio, ſed popularis gloriæ cupiditate ducantur, nihil aliud adnituntur, quàm ne damnati videantur..... Damnatâ quippe Roma à Clemente VIII. ipſorum ſententiâ de confeſſione*

feſſione per literas & internuntium, illico extra urbem, ac potiſſimùm in Hiſpania, in Scholis paſſim & pulpitis conclamarunt, ſe eo judicio Pontificio nequaquam petitos eſſe, ſed alios de quibus ipſimet apud Apoſtolicam Sedem expoſtulaverant, & ad ſententiam ferendam adduxerant. Quo caſu mille fabulas riſu dignas egere &c.

Alia quoque Sociorum vitia maxima deſcribit in Commentario ſuper prophetiam S. Hildegardis, quæ ſequentis eſt tenoris apud Bzovium to. xv. Annal. Eccleſ. ad annum 1415. q. 39. *Inſurgent gentes, quæ comedent peccata populi, tenentes ordinem mendicum, ambulantes ſine rubore..... Diabolus in eis radicabit quatuor vitia, ſcilicet adulationem..... invidiam.... hypocriſim...... & detractionem, ut ſeipſos commendent, & alios vituperent, propter laudes hominum, & ſeductionem ſimplicium. Sine devotione, ſine exemplo martyrii* (niſi admodum raró, comparativè ad alios Mendicantium Ordines: ſiquidem Confeſſores eſſe malunt, quàm martyres) *prædicabunt inceſſanter Principibus Eccleſiarum, abſtrahentes ſacramenta*, ſeu eorum adminiſtrationem *à veris Paſtoribus*, in eorum locum per detractiones ſuas ſeſe, vel ſibi devotos intrudendo; *rapientes eleemoſynas pauperum, miſerorum & infirmorum, trahentes ſe in multitudinem populi, contrahentes familiaritatem mulierum, inſtruentes qualiter blandè maritos & amicos decipiant, & res proprias eis furtivè tribuant. Tollent enim res injuſtas, & malè acquiſitas, & dicent: Date nobis, & nos orabimus pro vobis....... propter vitam delicatam..... omnia erunt eis apta. Populus verò de die in diem durior erit, & expertus erit eorum ſeductiones...... Væ vobis, filii mœroris, vos mundus ſeduxit, diabolus infrenavit ora veſtra, & corda veſtra. Sine ſapore mens veſtra vaga fuit, oculi veſtri delectabuntur in vanitatibus, pedes veſtri veloces ad currendum in malum. Mementote quòd eratis non boni æmulatores, ſancti hypocritæ, mendici ſuperbi, petitores effrontes, Doctores inſtabiles, humiles elati, pii duri, dulces calumniatores, pacifici perſecutores, amatores mundi, deſideratores honoris...... ſeminatores diſcordiarum, mar-*

tyres delicati, confeſſores lucri, ordinatores commodi...... Quòd altiùs aſcendere non poteſtis, tunc cecidiſtis, ſicut Simon Magus... Sic Ordo veſter contritus eſt propter ſeductiones & iniquitates veſtras. Ite Doctores perverſitatis, Patres pravitatis, filii iniquitatis, ſcientiam viarum veſtrarum ſcire nolumus. Iſta omnia in Jeſuitas quadrare, deque Jeſuitis à S. Hildegarde prædicta fuiſſe La Nuza per ſingulos articulos oſtendit in Commentatio ſuprà memorato, & revera quadrare ex dictis & dicendis experientia videtur manifeſtum facere.

Porrò Commentarium illum ab ipſomet La Nuza ſcriptum fuiſſe, in Theatro Jeſuitico pag. 183. teſtificatur Jaonnes de Ribas S. Th. Magiſter Ord. Prædicatorum (à ſuis plurimùm commendatus in honorifico elogio poſt obitum ipſius ipſi facto, atque à ſexdecim Religioſis ſui Conventus Cordubenſis ſubſcripto, in libello cui titulus: *Planctus lugubris Regii Conventus S. Pauli Cordubenſis, pro amiſſione illuſtris filii ſui Reverendi P. Magiſtri Fr. Joannis de Ribas*, compoſito per R. P. Fr. Thomam Cano, ejuſdem Conventus filium) aiens Commentarii iſtius Autographum anno 1654. (quo Theatrum ſcripſit) in Conventu Cæſar-Auguſtano Prædicatorum extitiſſe, ex eoque narrationem ſuam ſe fideliter extraxiſſe; licèt inde poſtea ſubductus fuerit, in eoque Conventu inventus non fuerit anno 1686.

Poſt laudatiſſimum Hieronymum de La Nuza, Ludovicus Sotelo, Seraphici Ordinis S. Franciſci, Apoſtolicus in Japonia Miſſionarius, qui & ibi vivicomburio glorioſus Chriſti Martyr 24. Auguſti 1624. occubuit, in epiſt. ad Urbanum VIII. poſtmodum deſcribenda, multa de Jeſuitis reformatione digniſſima, magno cum animi ſui mœrore conqueritur, ac teſtificatur, ingentem utique ipſorum ſuperbiam, invidiam, zelotypiam admodum ſcandaloſam, qua ferre non poſſunt Evangelium Chriſti ab aliorum Ordinum Miſſionariis, etiam à Sede Apoſtolica miſſis, inſidelibus prædicari, converſis ſacramenta miniſtrari, aliaſve functiones Eccleſiaſticas exerceri, confraternitates ab Eccleſia

cleſia probatas erigi, cruces vel numiſmata benedicta diſtribui &c. idque totum ſub commentitiis prætextibus, quorum vanitatem falſitatemque, recenter converſis valdè exitioſam, experientia docuit: cùm ab adventu aliorum Religioſorum Miſſionariorum Japonii firmiores effecti fuerint in fide, ad martyriumque pro ea ſubeundum conſtantiores quàm antè fuerant. Longè etiam meliùs inſtructi, quàm dum à ſolis inſtruebantur Jeſuitis, qui catechumenos ante baptiſmum non inſtruebant de primis fidei principiis, nec monebant de reſtituendis malè acquiſitis; nec baptizabant cum ritibus Eccleſiæ ſolitis; omnibus inſuper permittebant extra neceſſitatem baptizare, quemadmodum & nullo ordine initatis Evangelium in Miſſa ſolemni decantare. Alios denique uſus inducebant, ab Eccleſiæ uſibus alienos, fideleſque à ſe baptizatos, abſque inſtructione, & abſque ſacramentorum adminiſtratione, per viginti ſubinde annos dimittebant inanes, debiles, & in fidei myſteriis parum inſtructos. Unde & ex ipſis plurimi à fide deficientes apoſtatabant. Hæc & alia ejuſmodi multa generoſus ille Chriſti Athleta proſequitur in ſua illa epiſtolâ, quæ Romæ originaliter extat in Archivio S. Congregationis de Propaganda fide ab ipſo ſubſcripta. Unde & ratione illius Sotelo à Wadingo, celebri Ord. Minor. Annaliſta, inter ſui Ordinis Scriptores recenſetur. Certiſſimum proinde eſt Epiſtolam illam nec fabuloſam eſſe, nec ſuppoſititiam, uti fabulatur P. Tellier in libro ſuo, fabulis, impoſturis, falſitatibus, calumniis, teſtimoniiſque & literis ſuppoſititiis refertiſſimo, jure proinde meritiſſimè Romæ damnato, cujus inſcriptio eſt: *Defenſe des nouveaux Chrétiens &c.*

Enititur quidem has Soteli & Palafoxii Epiſtolas, de qua ſtatim, ſubditiias probare Huylenbroucq, quàm imbecilliter dijudicabunt qui audaculi hujus Jeſuitæ ratiunculas conferent cum invictiſſimis argumentis quibus earum Epiſtolarum veritas jam dudum demonſtrata eſt; Soteli quidem, Moralis practicæ tomo ſecundo, & Palafoxii ejuſdem operis tomo tertio ad calcem. Qui demonſtrationibus iſtis non acquieſcit, in-

dignus prorſus mihi videtur, ut quis cum illo diſputet, quare ſuperſedendum puto in argutiolis hujus Huylenbroucq indicandis.

Similia multa, imò & iis graviora de Jeſuitis conqueritur, ac teſtificatur Illuſtriſſimus D. Joannes de Palafox (tantæ ſanctimoniæ Epiſcopus Angelopolitanus, ut de ſolemni ipſius Apotheoſi Romæ agatur, nimiæque temeritatis, ſi non impietatis foret, tam ſanctum Epiſcopum de falſa narratione Pontifici facta inſimulare) in epiſt. ad Innocentium X. in fine hujuſce libri ex integro, cum Epiſtolâ illâ Soteli deſcribenda. Palafoxianam quoque epiſtolam iſtam P. Tellier perperam, more ſuo, contendit eſſe ſuppoſititiam: cùm ipſius Autographum, propria ipſius manu ſubſcriptum, Romæ pariter extet, in Archiviis S. Congregationis, & Copia ipſius Authentica Matriti, in Archiviis definitorii generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, cùm aliis ſcriptis Authenticis ejuſdem Illuſtriſſimi Epiſcopi, in quibus ipſemet fidem facit, Epiſtolam illam ad Innocentium X. à ſe veriſſimè ſcriptam fuiſſe, prout cordatus Lector videre poterit tom. 3. Practicæ Moralis Jeſuitarum, à pag. 718. ad 767. edit. anni 1689. Ubi pag. 743. & ſeqq. manifeſtò etiam refellitur altera fabula ejuſdem Tellerii, quâ aſſerere non veretur, Palafoxium pœnituiſſe de iis quæ adverſus Jeſuitas fecit & ſcripſit, ſuamque in eo culpam publicè agnoviſſe. Videat legatque paginas illas cordatus Lector, & ſatis mirari non poterit Jeſuiticam audaciam temerè vulgandi res tantâ certitudine falſas.

Palafoxius ergo in Epiſtola illa ſanctè proteſtatur, quòd quidquid in ea ſcribit, *non alio fine nec intentione proferre velit, niſi propter majus Chriſtianæ Religionis augmentum, puriorem fidei propagationem, infidelium ſecuriorem & efficaciorem converſionem, Religioſorum Jeſuitarum majorem profectum & utilitatem, & ut quàm plurima mala, quæ hodie in Eccleſia pullulant, & deinde imminent, à ſua Sanctitate vitentur, aut præcaveantur.*

Iſta proteſtatione præmiſſa (quæ noſtra quoque eſt)

eſt) Innocentium X. ſic alloquitur : *Ea Ingenuitate & ſinceritate, quâ decet & licet filio, qui Patrem; Viro Chriſtiano, qui Chriſti Vicarium univerſalem alloquitur, profiteor Religionem iſtam, aliàs ſanctiſſimam, ſi intra cancellos juſtæ & honeſtæ reformationis à Tua integritate & ſapientia non arceatur, jam non tam utilem, quàm animarum regimini (quod nobis Epiſcopis competit) nunc certè jam extare, & magis tractu temporis noxiam eſſe futuram. Ego quidem fateor libentiſſimè, Societatem Jeſu meritis & ſcriptis, voce & exemplo Dei Eccleſiam illuſtraſſe, & plurimum profuiſſe : ſed aliis etiam incommodis, ne dicam imperfectionibus, ſeu vitiis graviſſimis Eccleſiæ Dei nunc obeſſe, & poſtea plus verendum obfuturam, affirmare coactus ſum..... Quæ enim alia Religio, Innocenti ſanctiſſime, Eccleſiæ univerſali tanto fuit impedimento, & diſcordiis adeò totum orbem Chriſtianum implevit......*

Quæ alia Religio tantas aliis Religionibus, Clero, Epiſcopis, & ſæcularibus Poteſtatibus, & his Chriſtianis & Catholicis, turbas commovit, æmulationes peperit, querelas concitavit, controverſiis litibuſque implicavit? Aliquæ aliquas; tantas nulla.....

Quæ alia Religio doctrinam Sanctorum tantâ libertate impugnavit, & illis veræ fidei anteſignanis, Eccleſiæ columnis, Theologiæ micantiſſimis & digniſſimis Præceptoribus minùs detulit reverentiæ? ...... Quidam tantùm Jeſuitæ, à ſuis diſcipulis laudati, exaudiuntur, & eorum authoritate, dictis ſcriptiſque doctrinam Chriſtianam fulcire nituntur. Quod non ſolùm dignitati verbi Dei maximè indecens, ſed neque animarum ſaluti ſecurum exiſtimo.

Quæ alia Religio, etiam in ſuis incunabulis, & primitivo fervore, & non à ſua fundatione quinquaginta annis tranſactis, à Pontifice aliquo Romano fuit graviſſimè monita, & ut humiliùs procederet circa tria ſuperbiæ capita animadverſa, ſicut Religio ſancta Jeſuitarum à Clemente VIII. Pontifice ſummo, in ſua Congregatione anni 1592. *proprio oris Oraculo, ſapientiſſima oratione, & ſevera monitione correpta fuit? Nondum penè natam,*

jam

jam relaxatam prudentiſſimis & perſpicaciſſimis Clementis VIII. oculis conſpicientibus? ....

Quæ alia Religio adeò integros & antiquos mores Eccleſiæ laxavit, poſtquam à primitivo ſuo fervore diſceſſit (ſcriptis intelligo, & exemplo aliquorum ſui Ordinis Profeſſorum) circa uſuras, circa præcepta Eccleſiæ & Decalogi, circa omnem Chriſtianam vivendi rationem, præcipuè quantùm attinet ad doctrinam? Ita ut arbitraria penè videatur & probabilis omnis in Eccleſia Moralis Theologia. Cognovi quoſdam Jeſuitas præceptores, in hac mea Diœceſi Angelopolitana ſatis adoleſcentes (ſiquidem ætatis triginta annorum metam nondum attigerant) ſanos, fortes, robuſtos, qui, etiam in vigiliis Deiparæ & Sanctorum, & in quadrageſima ſacra (ut mihi nuntiatum eſt) neque lacticiniis, neque ovis abſtinebant, neque jejunabant.......

Quæ alia Religio....... in Eccleſia Dei telonium exercuit, pecuniis fœneravit, & in ſuis propriis domibus macella, & alias impuriſſimas officinas in propatulo habuit? ....

Quæ alia Religio foro boniſque ceſſit, & in profanis commerciis & contractibus maris terræque totum ferè orbem, maximo ſæcularium ſcandalo & admiratione complevit? Certè hæc omnia, & iſta ad ſæcularia commercia propenſio, non ab eo videtur inſpirata, qui dixit: Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.......

Ac tandem, Beatiſſime Pater, quid intereſt quòd Jeſuitæ ethnicas nationes radiis fidei illuſtrare videantur, ſi ethnicorum quàm plurimos non rectâ ſacræ legis indictione catechiſant, nec rectè ab aliis catechiſari ſinunt? Imò à Provinciis gentilium relegant & expellunt operarios ſanctiſſimos & doctiſſimos, manu etiam gentilitia & ethnica arcent, recludunt, incarcerant, flagellant? Quis Ordo Eccleſiaſticus cum alio Ordine Eccleſiaſtico hoc egit? A ſæculo non eſt auditum, tali æmulatione & imperfectiſſima zelotypia Chriſtianos propagatores, magiſtros etiam Chriſtianos, cum animarum pernicie & jactura, à vinea Domini inculta operarios relegare, ac ignominiosè projicere & expellere.

Ti-

Tota Eccleſia Chinica congemiſcit, Pater ſancte, & ſe non tam edoctam, quàm deceptam ab ipſis Jeſuitis in fidei puriſſimæ documentis & rudimentis inclamat, & toto jure Eccleſiaſtico orbatam, crucem Domini recluſam, gentilicos ritus permiſſos, & verè Chriſtianos, non tam introductos quàm fœdatos dolet, Chriſtianizantes idololatras, idololatrizantes Chriſtianos; in una eademque menſa, templo, aris, ſacrificiis, Deum & Belial, &, ſub larva Chriſtiana, idola venerata, vel potius, ſub gentilica larva, fidem ſanctiſſimam defœdatam dolentiſſimè conſpicit.

Iſta, aliaque ejuſmodi horrenda permulta, magnopere ſcandaloſa, eadem in epiſtola, ſanctus Epiſcopus ille proſequitur, atque exinde concludit Societatem ingentiſſima Eccleſiæ allaturam detrimenta, niſi reformetur, vel ad Clerum ſæcularem reducatur.

Idem etiam cenſuit Alanus de Solminihac, Cadurcenſis Epiſcopus, & ipſe vitæ ſanctiſſimæ, ſicut & miraculorum gloria clarus, in quo *primitivæ Eccleſiæ antiſtitum vitæ rationem enituiſſe* Contenſonus teſtatur in Theol. mentis & cord. to. 2. diſſert. 1. c. 1. „ Nam, inquit, „ per viginti circiter annos Epiſcopatus orationi mentali quinque horas quotidie vacabat. A carnibus, piſcibus & ovis abſtinuit, ſolis leguminibus herbiſque „ inconditis contentus. Libertatis eccleſiaſticæ intrepidus propugnator. In diœceſi peragranda continuus, „ pater pauperum. Canonicorum Regularium (vulgò *de* „ *Chancelade*) reſtaurator; virtutum omnium compendium, & ſignorum (ut dicitur in ejus vita nuper ſcripta) „ patrator. Vir ergo talis ac tantus quatuor ante obitum ſuum menſibus, Abbatem Ferrerium, Albienſis Epiſcopi Vicarium Generalem, ſummoperè rogavit, ut ex parte ſua notum hoc aliis Galliarum Epiſcopis faceret, *ſibi Jeſuitarum doctrinam & diſciplinam diligentiſſimè perſpectam, nec quicquam à ſe prætermiſſum, ut ipſos in viam revocaret, ſed irrito labore. Quam ob rem illos à ſe magnum Eccleſiæ flagellum, ruinamque exiſtimari, indignoſque quorum opera Epiſcopi ad Deum ſolidè gradientes, pro ſuarumque diœceſeon ſalute & utilitate*

ſa-

ſatagentes, utantur, & ad ipſos ingrediantur; cùm inde authoritatem captent.

Solminihaco obſecutus Abbas ille pientiſſimus, inſignisque probitatis laude tota Gallia clariſſimus, Illuſtriſſimo D. Cauleto, Appamienſi Epiſcopo, monitum ipſius notum fecit, & Illuſtriſſimus iſte cæteris Gallicanis Epiſcopis in encyclica ad ipſos ſcripta anno 1668. in qua rationem ipſis reddit excommunicationis à ſe fulminatæ in tres Jeſuitas, ob eorum rebellionem, Eccleſiæ circa Confeſſariorum approbationem mandatis ſeſe ſubmittere pertinaciter recuſantes.

Quâ in encyclica ipſe quoque Solminihacani moniti veritatem quotidie magis & magis ſeſe experiri graviter conqueritur, prout videre licet in ſcripto, cujus titulus eſt: *Relatio eorum quæ congiterunt in controverſia, inter D. Epiſcopum Appamienſem & Jeſuitas Collegii ejuſdem Civitatis.*

Mendacem proinde fabulam Appamienſi Epiſcopo Abbas Ferrerius non enarravit, dum ipſi monitum illud Solminihaci communicavit, prout ipſi P. Tellier mendaciter imponit, ſed certiſſimam veritatem, cui ſoli ii contradicunt, quibus propoſitum eſt, falſum honorem ſuum per ipſas quoque impoſturas, calumnias & mendacia tueri, prout P. Tellier in libro ſuprà memorato tam frequenter facit. Toti namque Galliæ notiſſima eſt, ut ſuprà dixi, Abbatis illius probitas magna, ſinceritaſque ab omni ſpecie mendacii alieniſſima. Qui & veritatem illam, in carcere per Jeſuiticam pro ea vulgata perſecutionem detentus, de eaque à Sorbonico Doctore, juſſu Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi Pariſienſis juridicè interrogatus, Chriſtiana cum ſimplicitate, morti proximus reſpondit, ſe per Dei gratiam omne mendacii genus abhorrere, cum omni proinde ſinceritate aſſerere, veritatem illam adeo certam eſſe, ut eam ad ultimum uſque ſpiritum defenſurus eſſet, nec potuiſſe eam non reddere publicam, ad id juſſum à tam ſancto Antiſtite, proximè ante mortem, nihil aliud in juſſione illa præ oculis habente, niſi publicum Eccleſiæ bonum.

Qui-

Quibus omnibus ante oculos poſitis, videbit quiſquis Eccleſiam amat, ſine ratione in Comitiis 1. Decembris 1554. Sorbonicam tubam unanimi conſenſu non inſonuiſſe, quòd *Societas*, niſi ad primævam ſuam inſtitutionem (à qua defecerat quatuordecim à ſua fundatione annis) reformetur, *videtur in negotio fidei periculoſa, pacis Eccleſiæ perturbativa, monaſticæ religionis everſiva, & magis in deſtructionem quàm in ædificationem.*

CLANGOR II.

Neceſſitatem longè maximam reformandi Societatem, manifeſtam faciunt vitia maxima, in ea dominantia.

Vitia illa clangore præcedenti enarrata ac teſtificata vidimus à viris ſapientia, probitate, & vitæ ſanctimonia celeberrimis, teſtibus proindè omni exceptione majoribus. Et quidem vitia talia ac tanta, Eccleſiæque ac ipſimet Societati tam exitioſa, qualia & quanta aliis in Religionibus vix aut ne vix quidem reperiuntur, quemadmodum Innocentio X. Palafoxius reſcripſit. Atqui nemo unus dubitat, Religionem talibus ac tantis vitiis deformatam reformatione ſummopere indigere.

Non exiſtiment verò Jeſuitæ, quòd vitia illa ad procurandam pro modulo noſtro Societatis reformationem, Chriſtianæque Reipublicæ utilitatem, enarrando, lædamus charitatem. Nam ſi eam non læſerunt ſancti & præclari viri illi, neque nos qui ſanctè proteſtamur, eo nos fine, eodemque affectu ea enarrare, quo ipſi; quo & Salvator, & ſanctus protomartyr Stephanus Phariſæorum vitia palam redarguerunt. Nec certè enarratio illa incompatibilis eſt cum charitate. Quidquid enim juſtè fieri poteſt ob publicum Reipublicæ Chriſtianæ, ipſiusque etiam Societatis bonum, compatibile eſt cum charitate. Enarratio verò illa juſtè fieri poteſt ob publicum Reipublicæ Chriſtianæ bonum; quia *Reipublicæ intereſt cognoſci malos:* fieri etiam poteſt ob com-

commune bonum Societatis; utpote cui admodum utile eſt publica membrorum ſuorum vitia publicè enarrari, ut emendentur, & quæ in Societate deformata ſunt, reformentur.

Nec profectò dubium, ex charitate Chriſtum, ac protomartyrem publicè Judæos redarguiſſe. Teſte namque Auguſtino in pſ. 63. *Dominus amarè & acerbè arguit Judæos, ſed amando.* Qui & de protomartyre loquens homil. 5. in ipſo, inquit, erat *lingua ferox, & lene cor, ſæviebat & amabat.*

Et nonne Levit. 19. 17. ſcriptum eſt: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue illum, ne habeas ſuper illo peccatum?* Nonne etiam Auguſtinus dicit ſerm. 2. in Pſal. 36. *Tanto magis debemus commemorare vanitatem eorum, quantò magis quærimus ſalutem eorum?* Et Gregorius l. 12. epiſt. 32. *palam ſunt arguendi, qui palam nocent?* Denique cùm charitatis ſit, propter communia & propria proximorum mala, non ſolùm dolere & excruciari, animoque affici; ſed opem quoque pro poſſe ferre, charitatis diſcipulo aiente 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate*, aperire nos oportet viſcera charitatis, tum ut Eccleſiæ utilitati, & animarum ſaluti ſerviamus, tum ut Societati deficienti pro modulo ſubveniamus, ſuper qua charitatis eſt exaudire propheticos hoſce ululatus Hierem. 51. *Ululate ſuper eam: tollite reſinam ad dolorem ejus, ſi fortè ſanetur.* Plurimos namque præclaros viros ſuper Societatem ululaſſe, deque contritione, plaga magna, multiplicique morbo ejus vehementer doluiſſe vidimus; ſed medicinam ſalutarem à Sociis ſuſceptam necdum vidimus; adeoque propemodum videntur promeriti propheticum iſtud: *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua, non eſt qui judicet judicium tuum ad alligandum. Curationum utilitatis non eſt tibi. Omnes amatores* (ſeu ſuperiores) *tui obliti ſunt tui, teque non quærunt.* Hierem. 30. Dum enim temporalem Societatis gloriam, non ſpiritualem ipſius utilitatem quærunt, Societatem ſuam benè optimè valere, ſi non

non ſibi, ſaltem aliis perſuadere conantur, dicentes cum Generali ſuo ſexto Vitelleſcho in literis ad omnes Jeſuitas datis: *Ex ſingulari præpotentis Dei benignitate conſiſtere etiamnum in ipſo Religionis corpore ſpiritum illum, quo primùm animata coaluit, eumque non modò non emortuum, ſed etiam valentem ac vegetum.* Et cum Dilingenſibus Jeſuitis in placida ſua Diſceptatione pag. 11. & 41. *Societatem hodie vigere & florere, inque prima Regula Fundatoris ſui ſtare, nihil de priſtino vigore remiſiſſe, nihil novæ laxitatis admiſiſſe, paupertatem quoque redditam eſſe adſtrictiorem.* Et cum P. Jacobo Keller in Cavea turturis c. 14. *Societati Jeſu non eſt periculum, ne, poſt aliquot annorum centurias, ſibi multùm diſſimilis appareat. Habet enim aromata à putredine præſervantia.* Et cum Imagine primi ſæculi Soc. pag. 104. *Ignatius tam robuſtis præſidiis Societatem ſuam, etiam adverſus temporum injurias armando, orbem docuit, non omnia temporis eſſe ſpolium, ſed virtutem & religionem ita muniri poſſe, ut nec ævum quidem eam labefacturum eſſe videatur, & quod rebus omnibus exoletam quandam, ſeu ſenectutem, ſeu interitum adferre dicitur, Societati polliceatur ætatem vegetam ſemper & florentem, ſuæque juventuti parem, & annorum tantùm curſum, non damna ſenſuram.*

Quid hoc aliud, niſi dicere cum Phariſæo: *Non ſum ſicut cæteri hominum?* An non humanæ conditionis eſt, ubi ad maximum devenitur, declinare? An ſupra humanam conditionem ſola eſt Jeſuitarum Religio? An ſola immunis eſt à periculo, ne ſibi aliquando contingat, quod tot aliis ſanctiſſimis ac longè præcellentioribus Religionibus contigit, quæ ſaltem poſt notabile tempus à primævo ſuæ Inſtitutionis ſpiritu ac fervore notabiliter defecerunt? Magna eſt igitur Sociorum illorum cæcitas, ſe ſupra cæteros omnes uſque adeo efferentium, quaſi & ipſi homines non ſint, ſed ſupra humanam conditionem elevati.

Verùm elationem iſtam reprimit Spiritus ſanctus Apocal. 3. dicens: *Incipiam te evomere ex ore meo; quia dicis, quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo &*

& neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper & cæcus, & nudus. Et Thren. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui? Propheta tui viderunt tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Viderunt autem tibi aſſumptiones falſas.* Longè quoque aliud de Societate partim viderunt, partim prophetarunt S. Franciſcus Borgia, Vitelleſchi, Hieronymus la Nuza, Martyr Sotelo, Palafoxius, Solminihacus, & alii ſancti viri, in Societate utique aromata non eſſe à putredine præſervantia, nec ætatem ſemper florentem, ſuæque juventuti parem, ſed vitia talia ac tanta, ut in eam induxerint putredinem magnam, & non ſenectutem duntaxat, ſed & interitum ipſi ſint allatura, niſi reformetur.

Unde & pro ipſius reformatione zeloſi Jeſuitæ non pauci Clementi VIII. ſupplices fuerunt, dicentes: *Nova quædam miſceri & concitari mala in noſtra Sodalitate, qui negat, amens eſt, aut cæcus. Et qui in illis partibus nihil pravi eſſe credit aut dicit, mavult eam ægram eſſe, & miſerabiliter interire, quàm conſaneſcere & valere.* Et Mariana in epilogo libri ſuprà memorati: *Nemo, quàmlibet cæcus ſit, negare poteſt Societatem à recta ratione aberrare, ac propterea propediem funditùs interituram, niſi Deus opem ferat, hoc eſt mentem Jeſuitis inſpiret, ut rectè monentibus parere, ipſique ſe reformare velint.*

Ad vos igitur Eccleſiæ & Reipublicæ Principes, mea ſe convertit Oratio, ſi operâ Societatis fructuosè uti velitis, neceſſe eſt ut de curandis Jeſuitarum vitiis (certè magnis) ante omnia ſatagatis. Aliàs namque Societas Eccleſiæ & Reipublicæ certò certius magis obfutura eſt, quàm profutura. Quin eam brevi interituram, Ignatio, aliiſque ſanctis Jeſuitis credendum eſt; utpote maturum ei interitum ex convulſa diſciplina pro certo augurantibus: *Quibus enim artibus, quove ſpiritu excitata & conflata eſt Societas, eadem profectò alenda & conſervanda eſt,* inquit S. Ignatius apud Maffeium in vita ipſius l. 2. cap. 18. Et ut Jeſuitæ Dilingenſes ubi ſuprà: *Ordines, qui in quibusdam non parvi momenti rebus*

rebus Inſtituti ſui rationem a fundatoribus propoſitam..... reliquerunt, non multo tempore à ſcandalis immunes fuerunt, & exiguo cum fructu in Eccleſia laboraverunt. Quamdiu Societas ſtetit *in prima Regula Fundatoris Ignatii, fructus optatos* tulit. *Si inde dimoveri ſe patiatur* (uti revera patitur) *motu magno quatietur, nec Pontifex, nec Cæſar, nec amici, nec opes ſervare eam poterunt, Deo non probante.*

Videat ergo Orbis univerſus in quàm multis, & quàm magnis à primæva Inſtitutione ſua, primævoque Fundatoris ſui ſpiritu Jeſuitæ paſſi ſint ſe dimoveri. Quámque vitia multa & magna in Societate ſint reformanda.

CLANGOR III.

Neceſſitatem valde magnam reformandæ Societatis demonſtrant in generali vitia valde magna, quæ in Societate dominari teſtis domeſticus, fide digniſſimus, Mariana teſtatur in libro, De morbis remedio indigentibus in Societate.

PRiuſquam ad vitia particularia deſcendamus, non abs re erit ea in generali enarrare, de quorum neceſſario remedio graviſſimus Author ille agit in libro memorato. Ne prolixior ſim, ea ſub compendio referam, quæ ipſe fuſius enarrat.

Sic ergo Mariana loquitur c. 3. S. Ignatius, prioreſque Præpoſiti generales, non eodem, quo modernus (Aquaviva) ſtylo uſi, nec eandem gubernandi rationem (deſpoticam) ſecuti ſunt, ut mirum non ſit, hodierno tractandi modo Sociorum animos offendi.

Cap. 4. In Societate ab aliquot annis multæ fuerunt rebelliones, aut ſeditiones, ex quibus magni & diuturni rancores, ſive animorum exacerbationes promanarunt.

Cap. 5. Novitii Jeſuitarum, eo ipſo tempore quo pietas & devotio ipſorum fervet quàm maximè, exquiſitis epulis ac fructibus paſcuntur, variiſque deliciis & com-

commoditatibus adſuefiunt. Ex quo fit ut animi magnæ partis Jeſuitarum ſint amantes deliciarum, laborum verò & moleſtiarum intolerantes, adeóque pedibus iter facere, & frigus æſtumque tolerare nolint.

Cap. 6. Jeſuitæ, ſub prætextu juventutis bonis moribus imbuendæ, humaniores literas docendi provinciam ſuſceperunt: ſed plerumque biennium aut triennium illi profitentur litteras, qui eas neque didicerunt unquam, neque diſcere volunt; adeóque diſcipulis imprimunt ſolæciſmos ac barbariſmos, quibus nunquam poſtea liberari poſſunt. Cur in Hiſpania tanta regnet barbaries, ejus rei principalis cauſa eſt Jeſuitarum docendi ratio. Ex qua ſi damnum quod naſcitur, homines benè intelligerent, ſine dubio per publicum decretum ſcholis nos ejicerent.

Cap. 10. Perventum nunc eſt ad fontem & originem noſtrarum turbarum & moleſtiarum, quas in Societate experimur. *Singularis ferus depaſtus eſt eam.* Monarchia Præpoſiti Generalis meo judicio humi nos affligit ac proſternit; non quia ſit Monarchia, ſed quia non ſit benè temperata. Hæc enimverò bellua eſt, quæ quidquid attingit, populatur ac vaſtat, quam niſi vinculis compeſcamus, non eſt quòd ullam nobis quietem polliceamur &c. Etſi leges habeamus, eaſque numero plures quàm neceſſe ſit, Generalis tamen Societatis nihil in regimine ſuo leges curat, neque in dandis officiis, neque in admittendo Socios ad profeſſionem, neque in conſtituendis Collegiis, neque in aliis rebus innumerabilibus. Nam ſi leges extent, ille in omnibus, aut quaſi in omnibus diſpenſandi, ac legibus quem libeat ſolvendi autoritate utitur. Cúmque Monarcha, niſi tyrannidem exercere velit, de rebus ſingularibus ac temporalibus nihil niſi de conſilii ſententia facere debeat, commiſeratione dignum & deplorandum eſt, de quo paſſim querelæ audiuntur, quòd res omnes in unaquaque provincia ita adminiſtrentur, ſicut Provincialis, itemque alter & tertius ſcribunt, quos ſibi Generalis novit fidos & obnoxios; reliquorum verò nulla habeatur ratio, etſi omni ex parte multùm illis præſtent.

Cap.

Cap. 11. Omnes Provinciales & ſuperiores Societatis violentum miniméque voluntarium in Societate exercent imperium. Facit enim quiſque eorum quodlibet, & quamvis cæcus ſit, cogit eos qui vident illam inire viam, quæ ipſi probatur. In Societate de multis caſibus non extant leges, neque pœna propoſita eſt ei qui aberrat in imperando; & ſi quæ ſunt leges, eas non obſervant illi qui præſunt, aut pro libitu interpretantur. Superiores plerumque minimè digni ſunt qui officiis præſint; cùm P. Generalis metuat, ac ſublatos velit, quorum eminentes ſunt virtutes. Boni quàm mali ei ſuſpectiores ſunt. Multa facta mala & turpia in Societate committuntur, quæ manent impunita, & involvuntur ſilentio. Pater Generalis eoſdem homines in officiis ſubinde reficit, & imperium eorum perpetuat, quoniam ita putat expedire Monarchiæ ſuæ, cujus conſervationi unicè ſtudet. Cæteros, quos non ita novit, metuit. Multi Jeſuitarum ſunt *Delatores*, quamvis honeſtiori nomine appellentur, qui malefaciendo gratiam ſuperiorum ſibi conciliant. Inveniuntur etiam in Societate *adulatores* non pauci, eſtque valde frequens in Societate *adulationis vitium*.

Cap. 12. Nulla eſt latronum ſocietas, quæ ſine juſtitia & æquitate poſſit permanere ſtabilis. Talis tamen juſtitia non invenitur in Societate Jeſu: cùm in ea non obſervetur lex naturæ, quæ jubet præmia & honores diſtribui pro cujuſque meritis; nam non pauci homines juvenes, nulla nec eruditione, nec alia laudabili qualitate præditi honoribus in ea afficiuntur, & in officiis per viginti & triginta annos continuantur, quoniam ſciunt adulari, & ſeſe ingerere. Longè autem plurimi, prudentia, litteris, ac virtute præſtantes, in perpetuum ab officiis excluduntur.

Cap. 13. Certum habeo, ſi Romæ evolvantur ſcrinia P. Generalis, ne unum quidem bonum virum in Societate inventum iri, qui ſcilicet à delatoribus non fuerit infamatus, ſaltem eorum qui abſunt longiùs, nec noti ſunt Generali.

Cap. 14. Nulla eſt Monachorum Religio, in quam

 plura

plura excellentia ingrediantur ingenia, quàm in Societatem; nec ulla in qua ſit tantùm otii ad ſtudendum. Nihilominus valdè pauci Jeſuitæ evadunt litterati. Nulli ſunt excellentes Concionatores, nulli eccleſiaſticarum rerum, nulli humaniorum litterarum periti: quoniam nulla proponuntur laborantibus præmia; imò verò humaniores litteras docti contemnuntur. Certum eſt nullam in Societate valdè gravibus delictis infligi ſolere pœnam, modò qui deliquit iram & animos à crimine ſumat, ſeque audacem & defenſioni paratum oſtendat. Diſſimulantur ergo ſcelera, ſub hoc prætextu, quòd ea non ſatis probari poſſint, & quòd non oporteat rumores ſuſcitare, ne extraneis innoteſcat, quid in Societate geſtum ſit. Totum regimen Societatis videtur hunc habere ſcopum, ut malefacta injecto cinere occultentur, & hominum notitiæ ſubducantur. Provinciales & Rectores, ſi vel graviſſimè peccent, violando Regulam ac Statuta, ædificando & diruendo ſine ulla neceſſitate, & nemine conſulto, dilapidando facultates Societatis, aut largiendo conſanguineis, nonniſi poſt multos demùm annos puniuntur; ſed non aliâ pœnâ, quàm ut eis abrogetur officium quod geſſerant, dato plerumque officio meliori. In Societate, quod miſerrimum eſt, boni; aut ſine ulla cauſa, aut ſaltem levi de cauſa affliguntur, *atque etiam morte afficiuntur*; quoniam non videntur oblocuturi, vel reſtituri: cujus rei luctuoſa afferri poſſent exempla. Improbi facillimè tolerantur, eo quod metui ſint; quod regiminis noſtri formam arguit eſſe vitioſam, ac ſine nervis. Atque in hoc uno puncto ſatis cauſæ eſt, cur Deus Societatem penitùs ſubmergat. Mihi ſemper ob oculos verſatur, nos à Deo plecti, propter moleſtias, injurias & vexationes, quæ ſervis ejus, bono quamvis animo, obvenerunt. Divinæ enim ejus bonitati convenit, ut ſuis opituletur, eoſque ulciſcatur, qui nulla cum ratione, quocumque colore, eos afflixerint.

Cap. 17. Regimen Societatis eſt contra naturam: cùm boni, docti, ſenes & nobiles ſint ſubditi; minus boni, idiotæ, juvenes, ignobiles, nulliſque dotibus con-

conſpicui ſint præpoſiti, omniaque ex libidine ſua moderentur.

Cap. 19. Leges noſtræ, maximè autem Regulæ, mutatæ ſæpiùs fuerunt. Corpus Societatis ex toto contrarium eſt ei quòd Fundator noſter Ignatius imaginatus ſibi fuerat ac formaverat. Homines ſcandalizantur, murmurant, noſque inſectantur, non aliam ob cauſam, quàm quòd nos adeo ſingulares & interreſſatos, ſeu propriæ utilitati deditos vident.

Cap. 20. Jeſuitæ ſub pietatis ſpecie multis implicantur negotiis valde alienis, magiſque ſæcularibus quàm ſpiritualibus. Conciliant matrimonia, condunt ſæcularibus ſua teſtamenta, patrocinantur litigantibus, gratiam aliquam apud Magnates & Judices ambientibus ſuffragantur, proſpiciunt eis delicias & domeſticas neceſſitates, ut propediem videantur ſuſcepturi etiam officium Majoris-domûs, vel Aulæ-præfecti apud Principes, niſi tamen id jam ſuſceperunt.

In Epilogo: Major pars Jeſuitarum, qui ſunt quatuor votorum profeſſi, non ſervant votum paupertatis: cùm vivant in Collegiis, eorumque reditus conſumant. Multi multos annos manent proprietarii, multique ſunt otioſi, nullam ad rem utiles. Nimios ſumptus faciunt, ac rem familiarem dilapidant, maléque perdunt. Faciunt itinera majore pompa quàm paupertatem profeſſis conveniat. Omnes curru vehi volunt, nemo pedibus iter facere. Multa Romam ex Collegiis munera P. Generali mittuntur ad conciliandam ejus gratiam; ita ut periculum ſit ne tandem officia Societatis pecuniâ emantur. Nemo quantùmlibet cæcus ſit, negare poteſt Societatem à recta ratione aberrare, ac propterea funditùs interituram, niſi Deus opem ferat, hoc eſt, mentem Jeſuitis inſpiret, ut rectè monentibus parere, ipſique ſe reformare velint. Hactenus Mariana, cujus elogium Clangore primo Lector vidit.

CLANGOR IV.

Præter vitia illa, à Mariana magni nominis & meriti viro enarrata, de quibus Clangore præcedenti, imprimis reformanda eſt in Jeſuitis ſuperbia, nimis certè magna.

A Vitiis reformandum Societatis regimen præcipuè demonſtravimus, de quibus Mariana Clangore præcedenti, nec Mariana ſolus, ſed & plures alii ex eadem Societate graviſſimi ſub Pontificatu Clementis VIII. & Innocentii X. graviter conqueſti ſunt; ad alia in Societate magis generalia deſcendimus, à ſuperbia ſumentes exordium, quoniam, Auguſtino teſte, ſuperbia *caput* eſt, *atque cauſa omnium delictorum. Scriptum eſt enim, Initium omnis peccati ſuperbia.* Eccli. 10.

Et ipſimet quidem Jeſuitæ in ſuperba Imagine primi ſæculi Societatis pag. 852. ingenuè fatentur. *Habemur multis ambitioſum genus hominum Jeſuitæ, intolerabilis excellentiæ appetitu. Hinc affectare Principum Aulas. Omnium jura invadere. Doctrinam nobis omnem & ſapientiam arrogare, quaſi nobiſcum nata ſit, nobiſcum moritura.*

Et revera ita eſſe vident, quicumque oculos non præſtigiatos habent. Vident, inquam, veniſſe jam tempus prophetatum à Sancto Franciſco de Borgia, impletam jam propoſitionem conditionalem, *minimè* Jeſuitis *curæ eſſe ſpiritum Conſtitutionum retinere, veniſſe* itaque *tempus, quo ſe Societas multis quidem occupatam litteris, ſed ſine ullo virtutis ſtudio intuetur, in qua viget ambitio, & ſeſe effert ſolutis habenis ſuperbia.* Imò tempus illud videri cœperat ipſius S. Franciſci tempore, prout ipſemet ſubjungit: *Atque utinam jam non antè hoc totum experientia ipſa teſtata fuiſſet!* Exempli gratia dum Nicolaus Bobadilla, duoque alii ex primis Jeſuitis, cum Lainio Vicario Generali ſuo, ſtatim poſt obitum ſancti Fundatoris ſui Ignatii, ambitione magnâ, quæ ſuperbiæ filia eſt, apud Cardinales pro

Gene-

Generalatu contenderunt. Sed quidquid de eo ſit, quid aliud niſi ſuperbiam valdè magnam ſpirant faſtuoſa verba illa nimiam elationem præ ſe ferentia, quibus Socii ſeſe ſupra modum magnificant in memorata Imagine primi ſæculi, dum pag. 22. dicere non erubeſcunt: *Propiùs accedis ad Jeſum, ô magnorum author facinorum glorioſa Societas!* Verùm quòd non propiùs ad Jeſum accedant, imò cæteris longiùs à Jeſu eant Jeſuitæ quàm plurimi, ex ſequentibus apparebit, una cum falſitate ſequentium elogiorùm, quæ eadem in Imagine proferuntur.

Pag. 34. dicitur, *univerſos hujus Societatis homines galeatos naſci.*

Pag. 35. Eos qui in *Societate juvenes mortui ſunt, ſæculum explevisse.*

Pag. 36. *Omnes Socios aio eſſe ſenes, & quotquot extremum in Societate Jeſu diem obeunt, ſæculum vixiſſe.*

Pag. 401. *Socii omnes ſunt Angelicæ puritatis, totique.... Deo affixi.... & perfecti:* excipi ſaltem debuiſſent tot illi, qui Angelicæ puritatis exemplum non dederunt.

Pag. 402. *Si quid elucet in ſingulis, hoc ita eximium, ut propè ſit omnibus familiare.... Fortitudinem in aggrediendo miraberis in uno? Viri ſunt omnes, omnes jubati leones, ad omnia pericula impavidi, & generoſi fortuitorum contemptores.... Nihil pallor & exſanguis trepidatio in leones hos poteſt.*

Pag. 403. *Videas hos Heroës pro Dei & Religionis cauſa inter fulgura & coruſcationes.... velut ruentis in ſe cæli pondus inconcuſſo quodam vigore ſpiritûs excipientes, adeoque provocantes.*

Pag. 410. *En fortes amoris milites.... Quis delectus, Deus immortalis! Quæ belli fulmina? Quis flos militiæ! Quæ Eccleſiæ præſidia! Qui tutelares ac vindices! Quorum ſinguli in viros ſummis rebus pares formati, audeo dicere, pro acie cenſetur. Nec mentior, nam...... unus aliquis tot interdum hoſtium victor extitit, quot ab exercitu benè numeroſo jures domari vix poſſe. Quid jam*

coactis in unum viribus tota ſimul tot, virorum dicam, an Angelorum Societas?

Pag. 401. *Societas eſt currus ille igneus Iſraelis, quem Eliſæus olim plorabat ereptum, nunc uterque Orbis, ſingulari Dei beneficio, afflictis Eccleſiæ rebus gaudet è cælis advectum. In quo ſi acies quæras & milites, quibus Eccleſia triumphos ſuos quotidiana acceſſione multiplicat, invenies.... delectum Angelorum, qui ſub animalium formis produnt, quid ab eis ſummus Imperator in hac militia requirat. Quidni dixerimus delectum Angelorum? Quemadmodum enim beatæ illæ mentes, magnæ illius mentis puriſſimæ quædam ſcintillæ, & ſempiterni luminis facibus accenſæ..... animos noſtros à rerum aliquarum ignoratione purgandi vim habent, eoſque illuminandi & cumulatiſſimè perficiendi: ita Socii Jeſu, Angelicæ puritatis æmuli, totique origini ſuæ, id eſt Deo, affici* (exceptis ſaltem illis quos terræ affixos tenet nimius amor propriæ excellentiæ, divitiarum &c.) *à quo igneos & celeres virtutis motus, ſplendiſſimoſque radios hauriunt, abſumptâ voluptatum colluvie, lucem ardore mixtam aliis communicent, non minus illuſtres ſplendore virtutis, quàm divinitùs inflammati fervore charitatis.* O utinam atque utinam ita eſſet! Utinam hoc hodie non deſideraretur in Societate! Utinam in eâ hodie impleta non eſſet prophetia S. Franciſci Borgiæ!

Pag. 582. *Licet ergo, niſi ipſe me fallo, licet illud Regii prophetæ de Sion, hoc eſt Chriſti Eccleſia pronuntiatum minimæ Societati nec arroganter adſcribere: Glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei!* Quomodo ergo *filii* iſtius *Sion incliti, & amicti auro primo, hodie reputati ſunt in vaſa teſtea, & opus manuum figuli?* Thren. 4.

Pag. 621. *Primum maximumque Societatis miraculum ipſa Societas eſt.* Utinam non miraculum ſuperbiæ, avaritiæ, invidiæ &c!

Pag. 622. *Societatem ego & Socios..... ex divinæ præſcripto veritatis.... eſſe dicam Rationale illud judicii, ſeu Oraculum, ex auro, hyacinto, purpura, cocco bis tincto & byſſo retorta.... affixum ſummi Judæorum Pontificis pectori,* ſine quo ſummus ille Pontifex oracu-

la

a non fundebat, & cum quo nonniſi oracula fundebat. *ic cogor obligatam hærentemque ſanctiori Pontifici velut n pectore Societatem.... Neque hoc cùm dico, indignabitur ſpero) Eccleſia, Societatis (etiam plus merito) ſtudioa. Nec mirabuntur Ordines alii, quos in illa eſſe contat, id quod fuere in arca fœderis tabula, manna, & virga, tria illa avita religionis oracula.* Ergone ſine Jeſuitis, pectori ſuo ad conſilium affixis, Romanus Pontifex infallibilia veritatis oracula non fundit, cúmque ipſis nonniſi oracula illa fundit? An non hoc exiſtimare, animarum eſt evaneſcentium in cogitationibus uis? Soline ergo Jeſuitæ affixi ſunt pectori Summi Pontificis noſtri? Soli honorificis Eccleſiæ functionibus applicandi; cæteris Religioſis in Monaſteriis ſuis velut in arca recluſis? Iſta utique Sociorum eſt de ſeipſis cogitatio, qua ſeipſos, utpote omnes & ſingulos eminentis doctrinæ & ſcientiæ viros, cæteris magis idoneos exiſtimant ad excipiendas fidelium Confeſſiones, ad dirigendas Regum ac Principum conſcientias, ad fidem infidelibus prædicandam, ad procurandam hæreticorum converſionem, ad tradendam ſanam Catholicamque doctrinam.

Societas namque ipſorum, ut dicere pergunt in ſua la Imagine pag. 704. *eſt domus ſapientiæ: in qua Jeſuitas omnes divina regit ſapientia, humanâ philoſophiâ ux longè ſecurior.* Divina profectò ſapientia rexiſſe on videtur tot Societatis ſcriptores, ſeu potiùs ſcrillatores, à quibus traditæ ſunt tot damnatæ propoſiiones, chriſtianam diſciplinam relaxantes, & animaum perniciem inferentes, & per quorum nimiam ovas opiniones excogitandi licentiam, in rebus ad onſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, lienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctoumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta reula fideles ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ hriſtianæ corruptela. Unde manifeſtæ veritati conraria ſunt verba ſequentia ejuſdem libri: *Societas eſt ominum, ſeu potiùs Angelorum.... In ea omnes aquila int ingenio.* Egregiæ quidem Aquilæ ſunt Joannes

Bapt. Poza, Baunius, Pirotius, Eſcobarius, Tamburinus, &c. Egregiæ Aquilæ tot illa ſcribillantium agmina, quæ velut odioſæ veſparum ac tabanorum acies quotidie prodeunt ex Societate, à quibus tam propudioſa derivata ſunt dogmata, ut eorum ſcientiâ profunda ignorantia longè foret melior. Nam ut benè & eleganter Petrus Aurelius in vindic. pag. 241. *Antea pudor aliquis, vel aliqua in publicum prodeundi verecundia erat, nec facilè dabantur in lucem Theologicæ Lucubrationes, niſi quæ audiri ſaltem, ſive legi mererentur. Nunc Jeſuiticæ ambitionis aura, & falſa gloriæ amulatio, innumera tenuium ingeniorum millia, velut infimam* (reſpectivè ad ſanctos aliorum Ordinum Doctores) *plebeculam peſtilenti contagio pervadens, pudorem obruit, mentium ſenſus obſtupefacit, ut ſua propudia publicare, ſuas mundo offerre labes geſtiant.... Quo fit, ut.... in tantis laſcivientium ſcriptorum acervis, ita paucos pro illa multitudine reperias, quos perpenſa rerum cognitio, librata judicii maturitas, dictorum ſuorum alienorumque delectus commendet. Ita verò multos, in quibus nihil ſingulare, præter promiſcuam loquacitatem, temerariam de rebus ignotiſſimis, & minimè meditatis, diſſerendi fiduciam, incredibiles à veris puriſque fontibus evagationes, importunè ſolùm repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros, imparia undique materiis propoſitis ingenia, ut minùs mirari oporteat, paucos illos extitiſſe, qui ſæculo laboranti ſubvenirent, quàm hoſce tam multos, viliſſima imperitiæ mercimonia, palam proponere auſos eſſe, quibus rude vulgus, & ſemidoctorum turbam, quæ longè maxima eſt, ac ſemper fuit, ſeducerent.*

Aurelianis hiſce floribus Jeſuiticam coronari oportuit ſuperbiam, ut ad ſe aliquando redeant Jeſuitæ, qui magnificis cogitationibus illis (quas ipſis ſuggerit ſuperba Imago primi Societatis ſæculi) faſcinati, ſi non *ſoli ſapere* (quemadmodum Arias Montanus de ipſis ait) ſaltem præ cæteris ſapere, ſeu (ut ſanctæ memoriæ vir La Nuza loquitur) *cæteris eminere ſibi* videntur. Et quid aliud ſibi volunt verba iſta Didaci Bæzæ to. 3. con. l. 14. c. 15. §. 4. *Patres Societatis tanta in ſcribendo divi-*

ni

ni muneris copia redundant, ut conati in ſcribendo dici nequeant; & tanta librorum multitudine mundum re-pleverunt, ut quotquot numerentur omnium aliarum Re-*ligionum, ſcriptoribus Societatis æquari nequeant.* Et iſta Iacobi Kelleri in Cavea Turturis c. 11. *Societas plus cæ-teris Religionibus laborat. In cæteris Ordinibus non adeò prompti, felices, & periti animarum medici reperiuntur. Apoſtolici Gregis Paſtoribus non eſt de aliis vineæ operariis proſpiciendum, ubi Jeſuitarum viget ſanguis, ardor ac pietas; quorum ſtudia & ſudores nemo facilè æquare po-teſt: ac propterea Societatis privilegia augeri magis opor-tet. In quam convenit, quòd Saüli Regi de David di-ctum fuit: Quis in omnibus ſervis tuis ſicut David, fide-lis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?* Et c. 16. *Nihil profectò purius eſt, & elegantius Societatis ſtylo. Omnis verborum ornatus, rerum copia, & ſententiarum dignitas in Societatis eruditionem com-migravit. Methodum Jeſuitarum Gravina arguit, quaſi quiſquam illis par in doctrina, vel naturæ ordine accura-tè ſervando exiſteret. Vulgo notiſſimum eſt, Societatis Authores in majori ubique pretio florere, quàm Gravina velit ac jubeat. Quis non malit iſtorum voluminibus bibliothecam ſuam inſtruere? Quis abundantius Lectori ſatisfacit? Quis ita funditùs difficultates exhaurit, ac varietate, amplitudine ac robore argumentorum ſtringit, delectat, exſaturat? Tot illi gemmas, & lucidiſſima priſ-corum monilia coacervant, ſanctorumque doctorum gra-viſſima teſtimonia conſtipant, ut qui unum de Societate Authorem legerit, jam reliquos univerſos de eodem argu-mento Doctores admirabili compendio ſe perlegiſſe exiſti-met, atque exultet.*

Sed quid aliud iſta, niſi thraſonicæ fabulæ, ne dicam ſpecioſa mendacia? Aliud profectò de Societatis doctoribus & ſcriptoribus beatæ memoriæ Epiſcopus Palafoxius cenſuit, dum in epiſt. ad Innocent. X. dixit, *quod nulla alia Religio doctrinam ſanctorum tanta libertate impugnavit, & illis veræ fidei anteſignanis, Eccleſiæ columnis, Theologiæ micantiſſimis & dignis Præceptoribus minùs detulit reverentiæ.* Quodque *quidam*

tantummodò Jeſuitæ à ſuis diſcipulis laudati exaudiuntur, *& eorum* (non priſcorum) *authoritate*, *dictis*, *ſcriptiſque doctrinam Chriſtianam ſulcire nituntur. Quòd non ſolùm dignitati verbi Dei maximè indecens*, *ſed neque animarum ſaluti ſecurum exiſtimo. Si enim cuique Doctori eadem, quæ Sanctis, conceditur authoritas, maximè vexare Eccleſiam poteſt opinionum diverſitas, & labefactari fidei puritas*, *& morum integritas*, *quæ ex authoritate Patrum & Sanctorum veneratione dependet.*

Faceſſat ergo Fabulator Kellerus, nec ſuorum adeò doctrinam extollat, ut dicere non erubeſcat, prout revera dicit, *Quis ſæcularium vel Clericorum, in lubrico, non ſe doctrina Societatis protegit?* .... *Quod Societati licet, nemo non ſibi permiſſum & ſacrum exiſtimat.* Ergone fabulis ac mendaciis exaltanda Societas? Hoc utique Sociis non paucis familiare eſt, familiare, inquam, cæleſtes ementiri viſiones, ad majorem Societatis gloriam. Hinc Euſebius Nieremberg in vita S. Ignatii Matriti edita fol. 83. de cœlis Alfonſo revelatum fabulatur, quòd *unus præcipuorum finium*, *quorum cauſa Societas in hunc mundum miſſa fuit, eſt ſtabilimentum puriſſimæ Conceptionis B. Virginis.* fol. 69. *B. Virgo ſimulcum duobus Jeſuitis Petro Fabro*, *& Franciſco Strada*, *apparuit Joanni Nunnez de Guſman*, *eique dixit: Si filio meo in tantùm ſervire cupis*, *ut magis non poſſis*, *iſtos ſequere*, id eſt, fias Jeſuita. Quaſi verò per hoc Carthuſianis & Camaldulenſibus omnibus inde futurus fuiſſet perfectior. Fol. 11. *Ignatio ſcire deſideranti, ſatiſne Deo grata forent, quæ ipſe commentatus fuerat, B. Virgo apparuit*, *& approbavit confirmavitque Conſtitutiones Ordinis ſui*, *quas ſcripſerat*, *quòd etiam plus vice ſimplici contigit.* Et fol. 15. *Rationem & modum fundandæ Societatis, ſtatim à principio converſionis ſuæ, Deo docente*, *Manreſæ didicit. Eo tempore Deus ei revelavit*, *quomodo Societatem condi vellet*, *& omnia præcipua Inſtituti capita; ſigillatim verò quibus à cæteris Religioſorum Ordinibus diſtinguitur*, *ſicut ipſe Patri Lainez confeſſus fuit.* Et fol. 21. *Ignatius Chorum in Ordine ſuo non inſtituit*,

ſtituit, quoniam ad Dei ſervitium aliter convenire cenſuit, quemadmodum & divina Majeſtas ei revelaverat. Quæ profectò vanitatis eſſe pleniſſima, multipliciter oſtendi poteſt.

1. Quia dum S. Ignatius Societatis Regulam conſcribere voluit, ad Caſſinenſe S. Benedicti Monaſterium ſe contulit, ibique uſus conſilio nonnullorum compertæ ſanctimoniæ & eruditionis Monachorum, adjutorioque librorum quorum copia erat in Caſſinenſi Bibliotheca, in receſſu illo componendæ nomotheſiæ ſuæ non ſine diuturna meditatione vacavit. Nihil verò diuturna meditatione, nihil alienis conſiliis & libris, nihil tam longinquo receſſu indiguiſſet, ſi Regulam ſuam jam antè divinitùs didiciſſet.

2. Si regendæ Societatis normam Ignatius Deo revelante jam antè didiciſſet (quàm anno 1540. Paulo III. obtulit, & ille probavit, confirmavitque) decennio poſt eam non mutaſſet in puncto majoris quàm cætera momenti, concernente utique Præpoſiti generalis poteſtatem, quam longè quàm antè majorem à Julio III. obtinuit.

3. Dum Paulus IV. Jeſuitas ut contumaces & parum pios graviter objurgavit, quòd choripſalmodiam detrectarent, malumque eis imprecatus fuit ſi chorum ultrà detrectarent, Jeſuitæ ipſi non regeſſerunt, S. Ignatium à choro in Societate inſtituendo abſtinuiſſe, quoniam ad Dei ſervitium aliter convenire divina Majeſtas ipſi revelaverat, & B. Virgo leges à Deo dictatas probaverat, confirmaratque. Quod haud dubiè Laynius & Salmeron Pontifici regeſſiſſent, ſi verum credidiſſent, addidiſſentque Deo & S. Virgini, magis quàm homini obediendum eſſe. Quod tamen non fecerunt.

Contendit quidem P. Argentius, Provinciæ Poloniæ & Lithuaniæ Jeſuitarum Viſitator, in lib. ad Poloniæ Regem de ſtatu Soc. cap. 17. pag. 219. Paulum IV. *tanti Societatem & Societatis Parentem Ignatium feciſſe, ut nihil unquam in eo innovari permiſerit.* Sed mendaci fabulæ ipſius Hiſtoria Societatis p. 2. l. 2. n. 58. &

l. 3. n. 30. contradicit ipſiſſimis hiſce verbis: *Pauli IV. juſſu tota vitæ quotidianæ ratio ac diſciplina perturbanda erat, cunctaque ſuo loco movenda.... ut choro ſpatium, quod non modicum occupat, quæreretur. Urgebat Summi imperium Principis, nec repugnare.... in ejus auribus licebat, &c.*

Alia fabula continetur in ſæpe memoratâ Imagine primi ſæculi, quâ Societas ſupra Epiſcopalem Ordinem exaltari videtur, quod ut probabile appareat, libri 5. cap. 10. Hiſtoricus comminiſcitur, quòd Epiſcopus quidam in Regno Neapolitano (qui, dum viveret, mitram ſuam Societati prætulerat) in agonia exclamavit dicens, *O ſancta Societas, quam uſque hodie ſatis non cognovi, excellentior es Paſtoralibus pedis, mitris, palliis, purpura & coronis.* Eodem lib. c. 8. plures comminiſcitur revelationes factas Alfonſo Rodriguez, S. Franciſco Borgiæ, & ſancto cuidam alterius Ordinis Religioſo: 1. Quòd Jeſus obviam venit cuique Jeſuitæ morienti, ut animam ipſius recipiat in ſalutem. 2. Quòd non ſoli Jeſuitæ in vivis exiſtentes, dum Alfonſus Rodrigues viveret, ſed & qui victuri erant longâ poſt ipſum annorum ſerie, æterna felicitate fruerentur. 3. Quòd nullus eorum qui in Societate ad finem vitæ perſeverant, tribus prioribus Societatis ſæculis, damnaretur. His aliiſque conſimilibus fabulis avidas, & propitias ſibi devotorum aures paſcunt Jeſuitæ, Societatemque ſupra alias Religiones omnes, ſupra ipſum quoque Epiſcopatum magnificant.

Nemo ergo miretur quòd Jeſuitæ ſeipſos, eadem in Imagine vocent *ſacræ munimenta doctrinæ, novos Apoſtolos* (utinam Apoſtolis Chriſti non adeò diſpares!) *Orbis Magiſtros, Angelos illuminatos & illuminantes, nationum omnium doctores*, tam irrefragabiles, ut ex ipſis nonnullus abſque fronte dogmatizaverit, quòd *dogma Jeſuiticum, & dogma Catholicum convertuntur.* Et Jeſuitæ Pariſienſes, quòd *nullus, niſi hæreticus, Jeſuiticis placitis contradicit. Hoc* utique *eſt pſeudo Jeſuitarum pertinax ſtudium, hæc ſumma eorum ambitio, audacia & præſumptio, quòd in tantùm dominari velint,*

aut

ut potiùs tantam in omnium animos tyrannidem exer-
re (verba ſunt Rothomagenſium Parochorum in e-
iſt. ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum de 3. Maii
658.) *ut quilibet teneatur ipſorum ſenſa ſequi; omneſ-*
ue eorum opiniones indiſcriminatim amplecti, niſi ubique
aberi & diffamari velit, tanquam impius & apoſtata.
ı refutatione quippe Facti (ut vocant) *Curionum Pari-*
enſium diſertis verbis aſſerere non dubitarunt pag. 8.
ıis decretis nullos niſi hæreticos adverſari.... Illa ſuper-
ia, quæ ipſis perſuadet, ipſos ſolos eſſe ſcientiæ oracula,
c illos faſcinat, ut nullum in ſe errorem cadere arbitren-
ur; ideóque grande piaculum eſſe, ſuis placitis adver-
ıri.... Ecce quomodo ad ſupremum gradum Jeſuitica
ſcendit inſolentia, & ſuperbia tanta, ut Soliplorum lit-
erariam Monarchiam erigere, ſolique ubique dominari
ffectent. Quem in finem Univerſitatum, Seminario-
ımque pene omnium jura fraudulenter invadunt,
rout de ipſis non ita pridem conqueſtæ fuerunt Uni-
erſitates Pariſienſis, Lovanienſis, Burdigalenſis, Pi-
tavienſis, Andegavenſis, Bituricenſis, Tholoſana,
Cracovienſis & aliæ. *Pro eâ quâ pollent apud Principes*
ratia (inquit Univerſitas Burdigalenſis, in decreto ſuo
nni 1626.) *faſces & imperium in omnes litteratos affe-*
ant. Jeſuitarum artes (ait Univerſitas Andegavenſis in
ecreto ejuſdem anni) non aliò tendunt, *quàm ut ſa-*
ılaribus excluſis, ad ipſorum duntaxat ſodalitates litte-
ıriæ profeſſionis honor recidat.

Eminentiſſimus quoque Cardinalis de Monopoli (olim
apucinorum Procurator Generalis) Clementi VIII.
timus à conſiliis Franciſco Pegnæ S. Rotæ Deca-
o, anno 1601. dixit: *Li Gieſuiti, per la ſua ſuper-*
a, e per eſtimar un niente gli altri Religioſi, e Dot-
ri, ſono caſcati in queſti inconvenienti, perſuadendoſi
e tutti gli alteri ſiano ignoranti. Quòd latinè ſic ſo-
it: *Hi Jeſuitæ in iſta ſe pericula projecerunt per ſu-*
rbiam ſuam, & quia alios Religioſos ac Doctores floc-
faciunt, hac præconcepta opinione, alios omnes indoctos
ſe & ignaros. Verùm hâc de re plura Clangore ſe-
uenti.

CLANGOR V.

Secundò reformanda in Jeſuitis nimia ſupra cæteros omnes extollentia.

NOn ſolùm ſupra cæteros Religioſos omnes, & doctores, etiam ſupra ipſos Reges Jeſuitæ ſeipſos extollunt, dum in Imagine primi ſæculi ſui pag. 686. Societati ſuæ vaticinium iſtud applicant, Iſa.49. *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutritiæ tuæ, vultu ad terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Vaticinium iſtud, de Chriſti Eccleſia prophetatum, quodque in ea videmus impletum, *ad Societatem ſenſu aliquo pertinere* contendunt. *Abſit* (inquiunt) *verbo invidia: ſanctè enim gloriari poteſt Societas, quòd quemadmodum in omni actione & negotio majorem Dei gloriam velut ſcopum intuetur* (utinam atque utinam ita eſſet! utinam contrarium ex dictis & dicendis manifeſtum non eſſet!) *ita Deus majorem* cæteris omnibus *ei nominis claritatem, & majora ſemper decora.... ad cumulum benevolentiæ conferat.*

An non magna nimis eſt illa Sociorum vanitas? Eam quidem Imaginis Authores excuſare conantur, dicendo: *Non eſt quòd* encomiis iſtis *timeat aliquis ſuſpicionem vanitatis, quaſi id egeremus, ut nos noſtraque* (ut ſuprà) *laudando, extolleremus. Dei unius opus eſt Societas, non hominum labor. Dei opus celebramus.* Sed & excuſatio iſta nimis vana eſt; cùm & cæteri Ordines, æquè ac Societas, ſint opus Dei. Vana igitur eſt Societatis ſupra cæteros Ordines extollentia ex eo quòd ſit opus Dei. Nec extollentia iſta eſt opus Dei, nec opus ſanctorum, hominumque perfectorum, qui Opera Dei ſeſe humiliando, de ſeipſiſque demiſſe ſentiendo, opus Dei celebrarunt, non ſuprà alios ſeſe extollendo. Nec Societatem ſuam S. Ignatius Fundator ipſius ſic extulit, dum eam *minimam* appellavit. Seſe etiam ſic non extollunt, qui cum Sapiente dicunt: *Extollentiam oculorum ne dederis mihi.* Denique dum ſeipſos

ſos Jeſuitæ ſic extollunt, ad Jeſum propiùs non accedunt, qui dixit: *Ego non quæro gloriam meam*, ſed ad eum qui dixit; *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Iſa. 14.

Timendum ergo, ne ſuper aſtra Dei, ſuper cæteros, inquam, Ordines ſeſe extollentibus, dicat Jeſus: *Jeſuitæ non eſtis, quia à Jeſu itis*, à capitali hoſte ipſius excæcati, qui ſe transfigurans in angelum lucis, vobis mendaciter perſuadet, quòd gloriam veſtram non quæritis, dum Societatis ſolium ſeu gloriam ſuper aſtra cæli exaltatis, ſed gloriam Dei, cujus opus eſt Societas; quemadmodum & vobis mendaciter perſuadet, quòd gloriam veſtram non quæritis, ſed gloriam Dei, dum gloriam quæritis Societatis; nec potentiam veſtram vel divitias quæritis, dum potentiam & divitias quæritis Societatis, ſed potentiam & divitias Dei. Quo errore ſeducti, divitias tam avidè quæritis & amatis, quas Chriſtus nec quæſivit, nec amavit, ſed contempſit, ſuo exemplo docens paupertatem divitiis, humilitatem honoribus præferendam. Quod & Chriſti Evangelium docet. Scitote ergo, Patres reverendi, qui Sociorum Jeſu nomen affectatis, cujus humilitatis & paupertatis ſpiritum non habetis, ſcitote, inquam, unicuique Chriſtiano tria præ oculis habenda, ne in amore ſuo decipiatur. Imprimis duo eſſe generalia actuum humanorum principia, charitatem & cupiditatem, ſive Dei propter ſe, & creaturæ amorem. Secundò vigilantiam Chriſtianam eſſe debere principaliter attentam, ne Chriſtianus, loco Dei, ſeipſum, creaturam proinde propter ſe amet. Tertiò, id non ſolùm contingere, dum gloriæ & divitiarum amor ad nos ipſos refertur, & in nobis terminatur; ſed & quandocumque refertur ad aliquid creatum (quamvis opus ſit Dei) nobis vinculo aliquo colligatum, v. g. ad corpus, cujus membra ſumus. Amore namque proprio (qui cupiditas dicitur) Religioſus non ſolùm amat ſeipſum, dum gloriam & divitias amat propter ſeipſum, ſed & dum propter ſeipſam amat Religionem, cujus eſt membrum, adeóque & dum propter ipſam amat glo-

gloriam, divitias, potentiam &c. Qua in re humana mens ſeipſam frequenter ſeducit, ſibi idæam efformando intentionis rectæ, majorem Dei gloriam pro fine habentis, dum pro fine non habet niſi majorem gloriam, ſeu aliud creatum bonum corporis, cujus eſt membrum. Quod profectò facile fit, niſi mens aſſiduè vigilet, & oret pro obtinenda gratia proprii amoris victrice, per quam Deus in nobis jugiter operetur charitatem, quæ *non agit perperam*, *non inflatur*, *non eſt ambitioſa*, *non quærit quæ ſua ſunt &c.*

Si ergo conſcientiam ſuam ritè examinarent Jeſuitæ benè multi, viderent ſe ex cupiditate, non ex charitate (quia ex proprio, non Dei amore) quærere & amare gloriam, honorem, divitias, potentiam & magnificentiam Societatis ſuæ. Nemo quippe ſe vel ſuos ſupra alios omnes exaltat ex charitate, *quæ non inflatur*, ſed ex cupiditate. Nemo ſuam, vel ſuorum gloriam, divitias, potentiam &c. per media illicita, v. g. per aliorum contemptum, per maledicentias, per impoſturas, per calumnias &c. (prout Socios benè multos facere demonſtrabitur infrà) ex charitate quærit, *quæ non agit perperam*. Nemo etiam ex charitate cum Phariſæo dicit: *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Nec igitur ex charitate Socii (qui in toties memorata Imagine ſeſe *novæ legis Phariſeos* appellant) idipſum reipſa dicunt, dum Societati injuriam fieri dicunt ab iis, qui neceſſariam ipſis, ſicut cæteris Religionibus aſſerunt reformationem, dumque contra veritatem (cujus individua comes eſt charitas) ſupra cæteros omnes ſeſe extollunt in ſcientiâ, in perfectione, in peritiâ directionis conſcientiarum, &c.

Quòd enim cæteris eminentiores non ſint in ſcientiâ, experientia ipſa demonſtrat. Nec enim hactenùs in Societate inventi ſunt Doctores S. Thomæ Aquinati & S. Bonaventuræ, nec tot aliis Doctoribus in doctrina pares, multò minus ſuperiores. Viros quidem doctos protulit Societas, Suarezium, Vaſquelium &c. ſed ipſis inferiores non protulerunt ſacri Ordines S. Benedicti, S. Dominici, S. Franciſci &c. Nec Socii meritò glo-

loriantur in tam multis ſcribillantium ſuorum agminibus, prout Petrus Aurelius ſapienter monuit Clangore præcedenti. Nec ulla alia Religio à ſuis Præpoſitis generalibus increpata fuit de tot opinionibus novis, & plus nimiò liberis, & de quibus periculum eſſet ne non ſolùm Societatem everterent, *ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia adferrent detrimenta*, quemadmodum à Præpoſito ſuo generali Vitelleſcho & aliis graviſſimis viris increpata fuit Religio Sociorum.

Quòd etiam cæteris eminentiores non ſint in vitæ ſanctimonia & perfectione, adeo certum eſt, ut deridiculi profectò ſint, dum oppoſitum prætendunt. Cùm enim univerſo orbi notum ſit alios Religioſos jejuniis multis, flagellationibus, nocturnis excubationibus, choro, arctiori paupertati, clauſuræ, ſolitudini &c. adſtrictos eſſe; Jeſuitas verò ſuaviorem vitam ducere, abundantes divitiis, veſtitos lineis, cubantes in mollioribus lectis, delicatioribus nutritos cibis, veno potatos meliori, ſine choro, ſine alio quàm ſæcularium jejunio, ſine nocturnis excubationibus, ſine præſcriptis ſibi flagellationibus, ſeu aliis corporis macerationibus; quis eos deridiculos non cenſeat, dum (teſte Palafoxio) *perfectiorem eſſe ſuam Societatem Apologiis editis contendunt, arctamque proinde viam, quæ ducit ad vitam, ampliori viæ, & corporis illecebris ſuaviori poſtponunt. Non recta certè, meo quidem fragili judicio, imò & periculoſa, & plurimùm nocente Chriſtianæ Reipublicæ doctrinâ. Vivant enim ut volunt, doceant ut debent. Equidem durum eſt, imò duriſſimum, lene rigido, ſuave aſpero, dulce amaro in ſpirituali & religioſa vita præponere, & ſuam vivendi methodum, & tranquillum communemque profeſſionis tenorem cæteris præferre, etiam quibus durior lectus, quibus frequentior chorus, quibus perpetua oratio, quibus æterna clauſura, quibus amica pœnitentia, quibus efficacior & non rarior verbi Dei prædicatio, & quibus, cum activa vita, ferventior contemplativa.* Quorum nec minùs perfecta obedientia, nec minùs frequens & fructuoſa, imò fructuoſior efficaciorque adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ; ſunt proin-

proinde *majora erga Eccleſiam Dei merita*, *ſecuriores greſſus*, *antiquiores & feliciores progreſſus*, prout de ſacris Ordinibus Sanctorum Patriarcharum Benedicti, Dominici, Franciſci &c. demonſtrare in promptu eſt.

Et cui dubium eſſe poteſt minora eſſe Societatis in Eccleſiam merita, quàm Ordinis S. Benedicti exempli gratia, de quo verè dici poteſt, *Quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi*? cùm Eccleſiæ dederit quadraginta ſummos Pontifices, Cardinales ducentos, Patriarchas quinquaginta, Archiepiſcopos mille ſexcentos, Epiſcopos ſexcentos ultra quatuor millia, innumeros ſanctos. De quo etiam ſanctiſſimo Ordine Gregorius XV. in Conſtitutione ſua, quæ incipit *Salvatoris noſtri*, teſtatur *tot Imperatores, tot Reges, tot Duces, tot Principes, Regalibus ſceptris, Regnorumque & Provinciarum gubernaculis depoſitis, S. Benedicti Ordinem ingreſſos fuiſſe, vitamque Monaſticam in eo duxiſſe; ac ex quo tot Religioſos in S. R. E. Cardinales & Prælatos aſſumptos, totque ad ſummi Pontificatus apicem evectos fuiſſe conſtat, ut longa & continuata multorum ſæculorum ſerie Eccleſia ipſa nullos alios, quàm familiæ Benedictinæ alumnos, ſummos Pontifices habuerit; ex eaque, jam ab antiquiſſimis temporibus admirabili doctrina & ſanctitate præditi viri prope innumerabiles prodierunt*, ad fidemque Chriſti infinitos infideles, Germaniam, Angliam, & alia uſque ad triginta tria regna Chriſto lucrifecerunt, atque ab hæreſi aut Paganiſmo ad Chriſti Evangelium perduxerunt. Verè ſiquidem S. Benedicti filii boves ſunt ungulis æreis triturantes, quales ad trituram areæ Dei neceſſarios eſſe monet Spiritus ſanctus Mich. 3. *Deus congregavit gentes multas, quaſi manipulos areæ. Surge & tritura, filia Sion; quia ungulas tuas ponam æreas, & comminuet*, id eſt ungulis illis Chriſto ſubjugabit *populos multos, & interficiet Domino rapinas eorum*, id eſt paganos & hæreticos, diaboli rapinas, ab ipſius tyrannide liberatos, velut victimas Deo immolabis. Ungulæ illæ æreæ, quid aliud ſunt niſi virtutes illæ quibus Apoſtoli ſigna Apoſtolatus ſui tanta admiratione digna ex-

hibuerunt, ut qui ea viderunt, eos Dei Legatos eſ-, veritatemque docere perſuaſi fuerint. Signa verò il- Apoſtolatus ſui Paulus Apoſtolus 2. Cor. 12. eſſe di-t *in omni patientia.* Pati enim pro Chriſto pauperta-tem, famem, ſitim, frigus, nuditatem, vigilias, je-junia, injurias, contumelias, non minus, imò magis, mirabile eſt, quàm miracula facere. Unde Chryſo-ſtomus ſuper Matthæum, *Non ſigna*, inquit, *eos* (Apoſtolos) *mirabiles fecerunt, ſed magnos oſtendit pecuniarum contemptus, gloriæ deſpectus, à ſæcularibus negotiis ſeparatio; quæ ſi non habuiſſent, etſi decem millia mortuorum ſuſcitaſſent, non ſolùm nihil profeciſſent, ſed etiam pro impoſtoribus, aut præſtigatoribus habiti fuiſſent. Talis eſt luminis virtus, ut non ſolùm luceat, ſed & illuc ducat eos qui ſequuntur. Cùm enim viderint homines omnia præſentia nos contemnentes, & ad futura præparatos, ante omnem ſermonem operibus noſtris credent. Si autem nos præſentibus implicaverimus, qualiter poterunt credere quòd ad poſſeſſionem aliam feſtinemus.*

Atque ex his nullum relinquitur dubium, quin Monachi Benedictini, aliique Religioſi, ſæcularesque Miſſionarii, plus rerum mundanarum contemptu, gloriæ deſpectu, à ſæcularibus negotiis ſeparatione, vitæ auſteritate, patientia, in jejuniis, contumeliis, perſecutionibus profecerint, ad nationes Chriſto lucrifaciendas, quàm Jeſuitæ verbi prædicatione, cùm ex duorum generum prædicationibus, quorum alii non verbo duntaxat, ſed & opere prædicant Evangelium, in multa ſcilicet patientia, rerumque terrenarum, & humanæ gloriæ contemptu, alii verbo quidem, ſed non in multa patientia, nec in vigiliis, jejuniis, nec in humanæ gloriæ, rerumque caducarum contemptu, ſed in ſuavi victu, cibo, potu, rerum terrenarum implicatione, humanæ gloriæ appetitione, illi Apoſtolis longè ſimiliores ſint, quàm iſti; ad paganos proinde & hæreticos, imò & ad peccatores quoſcumque convertendos magis idonei, quàm moderni Jeſuitæ, quibus non ſolùm ſigna ſeu arma illa Apoſtolica deſunt, quibus diabolica deſtruuntur conſilia, & munitiones, & altitudines

nes adverſus ſcientiam Dei ſe extollentes, ſed & vitia contraria non deſunt, divitiarum ſcilicet, & humanæ gloriæ cupiditatis, & impatientia tanta in contradictionibus ſuſtinendis, ut in libris ſuis contra ſibi contradicentes vix ulla ſit pagina atrociſſimis conviciis, maledictis, improperiis, calumniis & impoſturis vacua, ut exempli gratia videre eſt in Tellerii libro, cui titulus, *Defenſio novorum Chriſtianorum*, & in binis Dilingenſium Jeſuitarum libris adverſus Monachos. Cùm enim Monachi contenderent, ſeſe non promeruiſſe, ut ſibi erepta Patrum ſuorum, Benedicti, Bernardi, Norberti, Auguſtini &c. hæreditas ad Ignatii filios, tanquam ad meliores & Eccleſiæ utiliores transferretur: hanc Jeſuitæ injuriam interpretantes, ſingulis penè paginis Monachos vocant mendaces, calumniatores, falſarios, ſpiritu immundo plenos, à Patrum ſuorum Regula Apoſtatas ac degeneres filios, ex Monaſteriis, quæ adhuc retinebant, expelli meritos. Tellerius verò tot horribilium injuriarum plauſtra in viros Catholicos Societati non faventes evomit, ut Practicæ Moralis Jeſuitarum to. 3. impleant paginas ferè triginta, à pag. ſcilicet 168. ad 196. Hæc nimirum ſigna ſunt Apoſtolatus ipſorum, quæ juncta cum ſuperbia, avaritia &c. ipſorum teſtimonium certè parum honorificum perhibent ipſos opere prædicare, quod in ſacris ſuggeſtibus & literis verbo prædicant de contemptu divitiarum, de gloriæ mundanæ contemptu, de patientia Chriſtiana &c. Quia ut ſapienter Acoſta l. 5. c. 22. *De procuranda Indorum converſione*, nullum eſt miraculum utilius ad ſtabilimentum Evangelii, quàm dum doctrina, quam Miſſionarii prædicant, nullam accipit maculam per ſuſpicionem avaritiæ, ſeu alterius vitii, adverſantis puritati Miniſtrorum Evangelii.

Quæ cùm ita ſint, intolerabile profectò eſt, quòd Jeſuitæ uſque adeò ſe magnificent, ut cæteris omnibus ſe magis idoneos exiſtiment, qui conſcientias fidelium omnium, etiam Regum & Principum dirigant, infideliumque & hæreticorum converſioni fructuoſam im-

impendant operam. Quàm enim à veritate aliena ſit gloriatio iſta, & ratio demonſtrat, & experientia. Ratio, quia ad infidelium hæreticorum & peccatorum quorumcumque converſionem neceſſaria ſunt arma Apoſtolica, quibus præ cæteris deſtituti ſunt magna ex parte Jeſuitæ, prout ex proximè dictis conſtat, atque ex dicendis amplius apparebit. Experientia, quâ videmus in rebus ad conſcientiam pertinentibus apud ipſos opinandi modum irrepſiſſe, heu nimis alienum ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, per quam via ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, arctam eſſe definivit, ad animarum perniciem dilatatur, ſeu veriùs pervertitur; modus proindè iſte Jeſuitis admodum familiaris aptus non eſt peccatoribus convertendis, quin potiùs (Alexandro VII. Judice) in ingentem vitæ corruptionem inducendis. Unde videmus Jeſuitarum quidem Confeſſionalia tanto confitentium numero circumcingi, ut eo ſe obrui ipſimet glorientur. Sed in vanum gloriantur, cùm ex tanto numero tam pauci peccatores, experientia teſte, emendentur, & à pravis inveteratiſque habitibus ſuis, ad vitam verè Chriſtianam per ipſos perducantur: nec medici laus ſit in numero ægrotantium ad ſe confluentium, ſi ex ipſis vel pauci, vel nulli per ipſum curentur.

Et quid hodie notius, quàm Catholicorum Regum ac Principum omnium Jeſuitas eſſe Confeſſarios & Aulicos? Aſt quos, & quàm paucos, ſi tamen aliquos Chriſtianus Orbis videt à vita in peccatis ad juſtitiam, à vita mundana ad Chriſtianam Jeſuitarum operâ converſos? Quàm paucas, ſi tamen aliquas Aulas, eorumdem operâ verè Chriſtianas evaſiſſe? Hoc tametſi videre deſiderent omnes, nullus videt. Utinam contrarium non viderent omnes? Utinam id inductione & experientia non conſtaret? Quare? In promptu cauſa eſt, quia ſcilicet Jeſuitæ aſpendii ſunt, Principumque & nobiliorum hominum Aulis pro ſuis ſuæque Societatis utilitatibus ſeſe ingerunt, affectantque ipſis eſſe à Confeſſionibus. Quod quia Principibus notum eſt,

eorum

eorum operâ utuntur; quia ipſos habent voluntatibus ſuis obſequentes, peccataque ſua diſſimulantes, iis proinde, in hac corrupta Principum ac nobiliorum hominum diſciplina communicantes; plus per conſequens in ſeipſis per ſpirituale naufragium detrimenti, quàm in aliis per divinorum mandatorum adimpletionem profectus ſpiritualis experimentum facientes; quemadmodum Apoſtolico ſpiritu plenus, Petrus Caniſius, Jeſuita, in ſuis ad Præpoſitum generalem Everardum literis obſervavit, & experientia docet ex ipſis vel paucos, vel nullos hodie eſſe veritatis propugnatores, innocentiæ protectores, juſtitiæ adminiculatores, Miniſtrorum Eccleſiæ defenſores, angelos pacis, miſerabilium interceſſores, atque pro ipſis, ſeu reis in tempore iræ mediatores; benè multos è contra dum ſuam, ſuæve Societatis utilitatem & gloriam magis quàm ſpiritualem Regum ac Principum utilitatem quærunt, ipſorum religioni & æquitati per clancularias accuſationes, impoſturas, calumnias & doctrinas falſas ſurrependo, Regum ac Principum favore & authoritate abuti ad innocentium oppreſſionem, juſtitiæ & æquitatis ſubverſionem, Eccleſiaſticæ immunitatis violationem, ingentiumque aliorum malorum patrationem.

Exemplo ſint (inter alios multos) P. de la Chaiſe, Ludovici XIV. Galliarum Regis nuper Confeſſarius, & P. Lamormannus Confeſſarius Imperatoris Ferdinandi II. Hic namque per impoſturas & mendacia Cæſarem circumveniens, ipſum fraudulenter induxit, ut bona non ſua, ſed Eccleſiæ, complura utique Benedictinorum & Ciſtercienſium Monaſteria, ipſis ab hæreditate patrum ſuorum contra piiſſimam Fundatorum intentionem ſacrilegè expulſis, ſacris etiam virginibus è domiciliis ſuis barbarica cum violentia, ingentique cum ſcandalo extruſis, concederet Jeſuitis: cùm tamen Symmachus Papa cum ſexta ſynodo ſua Romana declaret: *Valdè iniquum & ingens ſacrilegium eſſe, ut quæcumque vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute & requie animarum ſuarum unuſquiſque venerabili*

Eccle-

Eccleſiæ contulerit, vel certè reliquerit, ab his, à quibus hæc maximè ſervari convenit, id eſt Chriſtianis & Deum timentibus hominibus, & ſuper omnia à Principibus...... in alìud transferri, vel converti. Can. *in Canonibus* 16. *q.* 1. Nec his contentus Lamormannus, cùm Cæſar ſolemni Edicto, ab Urbano VIII. totoque ſacro Eminentiſſ. DD. Cardinalium Senatu plurimùm collaudato, conformiter divinis humaniſque legibus ſtatuiſſet, antiquorum Ordinum Monaſteria ex Proteſtantium manu vindicata, juxta Fundatorum mentem iis Ordinibus eſſe reſtituenda, quibus à primaria fundatione conſecrata fuerant: in Edicto tam ſalutari Lamormannus (conſociorum ſuorum ad alienas hæreditates captandas aviditati ſatisfacere volens) ut Cæſarem ab executione illius pro poſſe averteret, ipſi fraudulenter perſuadere conatus fuit in eo propoſitiones contineri ſcandaloſas, temerarias, erroneas, cum fidei principiis non ſatis cohærentes &c. propter quas graviorem cenſuram Imperator promereretur, niſi eas revocaret. Quaſi verò ſcandaloſum, temerarium, erroneum, cum fidei principiis non ſatis cohærens, cenſuraque graviore (ſeu excommunicatione) dignum foret, Monaſteria ſuis Ordinibus juxta divinas & humanas leges, Germaniæ concordata, & juxta Cæſaream obligationem debita, in Jeſuitas non transferre. An non acri reprehenſione dignus eſt Cæſaris Confeſſarius iſta aliaque mentiens, & ſub commentitiis ejuſmodi prætextibus Cæſarem circumvenire ſatagens, ut æquum pro iniquo reputet, & contra naturalem æquitatem, contra divinas humanaſque leges, contra Germaniæ concordata, contra Cæſaris officium faciat?

Meliuſne boni Confeſſarii officium P. de la Chaiſe, in Gallia, quàm Lamormannus in Germania implevit? Imò longè pejus. Apud Regem Chriſtianiſſimum perpetuus fuit Accuſator fratrum, imò & Patrum ſuorum; delator perpetuus hominum proborum, protector & refugium omnium diſcolorum & indiſciplinatorum; tam in Communitatibus, Eccleſiaſticis & Religioſis, quàm in Capitulis, in toto Clero, & in omni corpore ſtatus

ſtatus. Quidquid perſecutionis à triginta annis, in Eccleſia Gallicana, veritas, innocentia & juſtitia; quidquid vulneris Eccleſiæ Pax, privilegia, immunitates; quidquid rebellionis in diæceſibus ſuis ſancti Epiſcopi; quidquid humiliationis in ſacra ſua dignitate, quidquid injuriarum in perſonis, quidquid labefactationis in authoritate, quidquid læſionis in Mandatis & epiſtolis ſuis paſtoralibus, quidquid diffamationis in honore, quidquid jacturæ in bonis, quidquid ignominiæ in fama ſua poſt mortem ſuſtinuerunt, authore, cooperatore, & accuſatore, vel accuſatores iniquos protegente Patre de la Chaiſe ſuſtinuerunt. An non iſta omnia Galliæ univerſæ notiſſima ſunt? Nonne ipſe eſt, qui, ut Regi liberiùs mentiretur, januam omnem præcluſit informare volentibus Regem de falſitate ſiniſtrarum ſuggeſtionum, quibus Regem adverſus fideliſſimos ſubditos ipſius commovebat, aliud quam veritas habebat, ipſi referens, & ante omnia agens ne quid ſciret? Nonne ipſe eſt, qui mirum quantum perſecutus fuit Appamienſem Epiſcopum, Franciſcum Cauletum, Apoſtolicamque diæceſis ipſius formam deformavit? De eâ Contenſonus to. 2. Diſſert. 1. c. 1. ſic loquitur: *Mitto mirabilem & planè Apoſtolicam Appamienſis diœceſis formam; ibi enim Sacerdotes ad ſacrorum Canonum formam mores exigunt ſuos. Cujus rei ego ex viſu teſtimonium perhibeo. Sed quid dicam de hujus diſciplinæ inſtauratore Epiſcopo? Plura ſcriberem teſtis oculatus, niſi ſcriptum eſſet :* „ Ne laudaveris hominem in vita ſua; „ nec eſt ſecura laudatio niſi poſt mortem “. *Sed prætermittere non poſſum quod oculis omnium patet. Vidi in Appamienſi civitate Epiſcopum divitem ſine avaritia, reditus omnes pauperibus erogantem; ſingulos infirmos viſitantem; ſine ſerico ſimpliciter veſtitum; ſine curru ambulantem; ſine tapetibus, ſine vaſis argenteis, & fermè ſine ſervis. Vidi Epiſcopum perſæpè prædicantem; orationi mentali cum tota familia præfixis horis vacantem; nunquam ſine ſacra lectione comedentem. Vidi Epiſcopum gravi dolore percuſſum, quòd tam neceſſaria Eccleſiaſticæ diſciplinæ præcepta paſſim conculcentur; optantem ut inſtau-*

ſtaurentur; curantem ut vigentia ſedulò tueantur, moderante tamen ſingulari prudentia; & pro reformanda Cathedrali ſua Eccleſia (quæ Regularibus Canonicis conſtat) nulli labori, nullis vigiliis, nullis humanis reſpectibus parcentem. Vidi Epiſcopum omnibus præ humilitate inclinatum; de ſummo verò Pontifice tam reverenter ſentientem, ut nullum agnoverim novitium Magiſtro ſuo obſequentiorem &c.

Tantæ nihilominus virtutis Epiſcopum P. de la Chaiſe perſecutus eſt apud Regem eo uſus prætextu, quòd pro immunitate Eccleſiaſtica, & juribus Eccleſiæ ſuæ, cum S. Pontifice Innocentio XI. ſtaret adverſus prætenſionem Regis in negotio Regaliæ; & in tantum perſecutus eſt, ut univerſum Capitulum ipſius & diæceſim fœdo ſchiſmate miſerè afflixerit, criminoſoſque & ſacrilegos ſacerdotes, in locum Canonicorum Regularium, ſecundùm Apoſtolicam formam viventium, intruſerit, unà cum Archiepiſcopo Toloſano Joſepho Montpeſatio. Quo etiam cooperatore uſus fuit, ad exterminandum ſaluberrimum Inſtitutum Virginum de Infantia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ab ipſomet Archiepiſcopo & tribus Prædeceſſoribus ſuis Archiepiſcopis approbatum, magno ſemper in pretio habitum, atque Sanctæ Sedis confirmatione munitum, ob id ſolum quòd Jeſuitarum directioni ſubeſſe nollent, per accuſationes falſas, apud Regem diffamatis ac deinde diſperſis, atque ſuis è domiciliis violenter (ingenti cum ſcandalo) ejectis virginibus illis, quæ ingenti cum laude, maximoque cum fructu Chriſtianæ charitatis munia obibant.

Quas ob cauſas vehementer offenſus S. D. N. Innocentius XI. ſequens Breve ad Archiepiſcopum illum dedit: *Venerabilis Frater. Statueramus nullas ad te ampliùs literas, nec ullum aliud communionis noſtræ ſignum dare, ut, hac ſaltem pœnâ, quam Catholici omnes ſemper graviſſimam exiſtimarunt, te, ad ea quæ perperam egeras, reparanda induceremus. Cùm tamen allatum nobis ſit, te variis ægritudinibus jamdudum laborantem, in maximo verſari vitæ diſcrimine, charitas Chriſti, quæ*

urget nos, ac de tua æterna ſalute vehementer anxios reddit, ultimum hoc noſtræ ſolicitudinis officium à nobis expreſſit, quo te nondum, ſicuti confidimus, in duritiem cordis collapſum, ad ſpem de divina miſericordia concipiendam excitaremus. Verùm quia vana ſpes eſt, quæ fructum non parit, te etiam atque etiam in Domino hortandum duximus, ut redeas ad cor, & quanta in Apoſtolicæ Sedis, ac in Eccleſiæ jura libertatemque commiſeris, non ſolùm doleas, ſed etiam emendare pro viribus ſtudeas, quæ, ut hominibus, ſignanter Patri de la Chaiſe, *placeres, perpetraſſe contra..... Virgines, uti vocant, de Infantia Domini noſtri Jeſu Chriſti, quarum Inſtitutum à te, atque à Prædeceſſoribus tuis approbatum, ac magno ſemper in pretio habitum, atque ſanctæ Sedis confirmatione munitum, evertere non ita pridem tentaſti, diſperſis duabus earum familiis, quæ, ut audivimus, ingenti cum laude ac fructu in iſta diœceſi tua Chriſtianæ charitatis munia obibant. Omnium verò maximè refert, ut revoces quæ in negotio Regaliæ adverſus piæ memoriæ Franciſcum Epiſcopum Appamienſem, & univerſum ejus capitulum, & diœceſim, etiamnum fœdo ſchiſmate, à te excitato, miſerè afflictam, & criminibus ac ſacrilegiis obrutam* (audiat & eadem ſibi, velut Toloſani Archiepiſcopi ad iſta inſtigatori, à ſua Sanctitate dicta ne dubitet Pater de la Chaiſe)..... *à te geſta ſunt. Et quidem in his omnibus Nos potiùs, ac redarguentem conſcientiam tuam audire debes, quàm perniciosa eorum conſilia, qui excuſantes excuſationes in peccatis, adipiſcendæ veniæ tibi viam præcludunt. Nec enim ante Tribunal Chriſti tibi aliud proderit, quàm pœnitentia, & malè geſtorum emendatio, quam ut aſſequi merearis, interceſſores apud Deum in primis adhibere debes pios illos Sacerdotes, ac virgines, quos tot damnis ac ærumnis affeciſti; vel ut afficerentur, author, & adjutor* Patris de la Chaiſe *fuiſti, dum nos illam tibi à divina bonitate impensè auguramur. Datum Romæ die* 15. *Julii* 1687.

Seriùs pro Archiepiſcopo Breve iſtud advenit (jam enim vocatus fuerat ad tribunal Chriſti, tot malo-

rum

rum à ſe patratorum rationem tremendo illi Judici redditurus) ſed non ſeriùs pro P. de la Chaiſe, qui multis poſt annis ſupervixit, nec tamen publicè pœnituit, nec malè geſtorum emendationis ſigna ulla publica dedit, quin prioribus malis mala alia quàm plurima addere non ceſſavit. Quantam enim ſpiritualem ſtragem in Eccleſia Gallicana non cauſavit, viros Aulicos & mundanos, dummodò Societati devotos, ad Epiſcopatum promovendo, jamque ante promotos velut Janſeniſtas perſequendo, dum miniſterium implentes Paſtoralis officii, non patiebantur gregem ſibi commiſſum pravâ corruptæ Ethices doctrinâ infici, conſtanterque in ſuis reſidebant diæceſibus, abſque neceſſitate magna non apparentes in Aula. Quòd enim tales pro Janſeniſtis haberet, argumento eſt, quòd Illuſtriſſimum D. Barillonum, Epiſcopum Lucionenſem, hortatus fuerit ad Aulam identidem frequentandam, niſi haberi vellet Janſeniſta. Sed & Curatos officio ſuo ritè fungentes, Moralemque Evangelicam docentes; quemadmodum & Doctores, ac presbyteros Oratorios, Benedictinos, Dominicanos, Canonicos Regulares, Sancti Auguſtini & S. Thomæ doctrinam profitentes, Molinianaſque novitates velut Semipelagianiſmi reliquias habentes, eo ipſo apud Regem traducebat velut Janſeniſtas; nec aliam ob cauſam procuravit, injuſtiſſimum exilium Reverendi Patris Eſterlini, celebris Abbatiæ S. Genovefæ Canonici Regularis, Collegæque ipſius. Quòdque Monaſteriorum deformationi vel ſæcularizationi potiùs quàm reformationi adjutor fuerit, inde probabile eſt, quòd cum Magnus Prior S. Victoris Maſilienſis ipſius auxilium imploraret, pro Monaſterii ſui reformatione, ipſi reſponderit, ingratum ſibi ſermonem eſſe de reformatione; at ſi Monaſterium ſuum ſæcularizari vellet, prompto corde ipſi auxilio eſſet. Sic utique Jeſuitæ omnia ad majorem Dei gloriam faciunt. Infinitus eſſem ſi mala omnia Eccleſiis, Diæceſibus, Monaſteriis, Univerſitatibus, Seminariis, ac perſonis innocentiſſimis per P. de la Chaiſe illata hìc deſcriberem. Pro certa interim probatione malorum

rum hactenus deſcriptorum videri poſſunt liber inſcriptus, *Innocentia per calumniam oppreſſa*, Epiſtola Reverendi P. Queſnelli, ad ipſummet Reverendum P. de la Chaiſe *&c.*

Præ cæteris proindè non ſapiunt, ſed potiùs deſipiunt Jeſuitæ; per conſequens ſine juſtitia & ratione, imò contra juſtitiam & rationem omnium jura, Academias, Seminaria invadunt, tanquam univerſo Orbi adeò neceſſaria ſit opera ipſorum, ut in deſtructionem, non in ædificationem abitura ſint Regna, Provinciæ, Civitates, Academiæ, Seminaria, ſi aliis quàm Jeſuitis, directoribus & doctrinæ Magiſtris utantur. Quin imo in deſtructionem abeunt, quæ aliàs in ædificationem magnam ibant Seminaria, quæ legitimis poſſeſſoribus per accuſationes falſas Jeſuiticis artibus erepta, in Jeſuitarum magiſterium tranſierunt. Quod niſi jure merito timuiſſet, Seminarium ſuum Jeſuitis non ſubtraxiſſet S. Carolus Borromæus; nec patruelis ipſius Fridericus Cardinalis Borromæus, S. Caroli patrui ſui in Archiepiſcopatu Mediolanenſi poſt tempus aliquod ſucceſſor, cognitis Jeſuitarum moribus, Seminariorum ſuorum Clericos Jeſuitarum Scholis interdixiſſet, nec omnibus omnino Scholis Jeſuitas ſe prohibiturum affirmaſſet, ſi in manu ſua fuiſſet; prout ex ipſomet ſe audiviſſe, Deo in teſtem judicemque invocato, teſtatur Alfonſus de Vargas in ſua ad Reges & principes de Jeſuiticis ſtratagematibus Relatione cap. 14. Experientiaque ipſa teſtis eſt, quid Seminariis Ambienſi, Maſſilienſi, Leodienſi, Tornacenſi &c. acciderit, ab eo tempore quo Jeſuiticæ tradita ſunt directioni. Ex quo enim innocentiſſimos è Clero ſæculari Profeſſores, legitimos ab initio fundationis Seminarii Leodienſis poſſeſſores, ſumma cum ædificatione, ingentique totius diæceſeos fructu ſtudioſam ibi juventutem, muniis paſtoralibus deſtinatam inſtruentes, per ſuas apud Principem Epiſcopum Leodienſem clancularias accuſationes falſas, Jeſuitæ exturbarunt, Seminarium iſtud, extincto in eo primævo pietatis ſpiritu, corruptis opinionibus ſuis ipſi protinus infecerunt, quarum nonnul-

las Generalis Cleri Gallicani Conventus anni 1700, cenſura graviſſima notavit, præſertim ſanguinariam illam, qua vel ipſis ſacerdotibus, etiam Religioſis, pugionem tradunt, quo injuſtum rerum ſuarum aggreſſorem trucidare permittunt.

Statim quoque à ſuo in Cathedram Theologicam Maſſilienſem ingreſſu philophiſmum ab Alexandro VIII. damnatum docuerunt.

Et quas non laxitates in Seminario Ambianenſi? De iis videri poteſt Scriptum Curionum Ambianenſium Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Ambianenſi præſentatum, quod *Factum* vocant. Seminarii Tornacenſis juventutem mox à ſuo in illud ingreſſu, mollioribus opinamentis ſuis adeò corruperunt Jeſuitæ, ut apud modernum Epiſcopum, Tornacenſis Diæceſeos Eccleſiaſtici, epiſt. 2. ad ipſum data, graviſſimè conqueſti ſint ut ſequitur:

„ Illuſtriſſime Domine: Clerus Diæceſis veſtræ abſque extremo dolore conſpicere non potuit Jeſuitas introductos Tornacenſi in Seminario, juniorumque Eccleſiaſticorum inſtructionem ipſis commiſſam, id eſt hominibus ex præventione Societatis ſuæ oppignoratis ad emolliendas Moralis Chriſtianæ regulas, dilatandamque, quantum in ipſis eſt, unicam cœli viam, quam ſuprema veritas, Deus, arctam eſſe definivit. Ab eo tempore viſum eſt, nihil non timendum pro doctrina morum.... Quàm juſtus fuerit timor noſter, Illuſtriſſimæ D. V. compertum eſt ex Denuntiatione perverſæ doctrinæ, in Seminario illo traditæ à Jeſuitico Profeſſore. Quapropter diutiùs diſſimulare non poſſumus juſtiſſimum dolorem noſtrum, inde conceptum, quòd videamus perniciem magnam diæceſi veſtræ illatam, à Prædeceſſore veſtro, Jeſuitis nimium credulo, Jeſuiticarumque artium ignaro, non præviſam, dum ipſis Seminarium, ab ipſis tantopere deſideratum, conſignavit.... Ad cujus conſecutionem ut pervenirent, antiquos Diæceſis Paſtores, Eccleſiaſticoſque timoratiores, pro doctrina ſana zelantes, calumniis ſibi familiaribus apud populum diffamare conati ſunt; utpote quos

 „ ſolos

„ ſolos exitioſo ſcopo ſuo prævidebant adverſaturos.
„ Nihil quippe metuebant ex parte populi, cujus ab-
„ blandiebantur cupiditatibus: ſed ex parte Cleri dun-
„ taxat, quem propterea (licèt doctrinam ipſius ſua
„ ſalubriorem eſſe non ignorarent) vagis apud popu-
„ lum declamationibus de doctrina prava ſuſpectum
„ reddere conati fuerunt, nulloque habito reſpectu ad
„ venerandam memoriam Illuſtriſſimi D. de Choiſeul,
„ digniſſimique ſucceſſoris ipſius Illuſtriſſimi D. de la
„ Salle, rumorem utrique admodùm injurioſum ſpar-
„ ſerunt, quòd laudatiſſimi Antiſtites iſti diæceſim de-
„ ſolaſſent lupis, tygribus, vulpibus, ſub forma Pa-
„ ſtorum, Domini gregem impunè vaſtantibus, eam
„ dimittendo; nec ullum tanto malo remedium futu-
„ rum, niſi Seminario Jeſuitæ præficerentur, ſub quo-
„ rum directione ſana doctrina refloreſceret, ſolidaque
„ juventuti pietas inſtillaretur.

„ Verùm operæ pretium eſt ſcire, quibuſnam hor-
„ rida illa luporum, tygridum, vulpium idæa conve-
„ niat? An non Jeſuitis potius quàm aliis, quos ſub
„ odioſa larva illa Jeſuitæ nituntur diffamare? Cùm
„ enim id diſcernere plurimùm interſit, juſtitia & cha-
„ ritas, tam erga gregem Tibi commiſſum, quàm
„ erga calumniatos innocentes, maximè poſtulant, ut
„ id Magnitudo tua diſcernat.

„ Verè ergo, Illuſtriſſime Domine, Diæceſis Tua
„ Tornacenſis, totaque fortaſſe Eccleſia, plena eſt lu-
„ pis eam devaſtantibus. Aſt quinam ſunt lupi illi,
„ niſi qui pernicioſâ doctrinâ ſua peccatoribus abblan-
„ dientes, Chriſti oves ſeducunt, corrumpunt ac per-
„ dunt? Per iſtius rei demonſtrationem facilè reco-
„ gnoſces, Illuſtriſſime Domine, an Paſtores antiqui
„ Diæceſis Tuæ lupi ſint, an novi Doctores Semina-
„ rii?

„ Et de iſtis quidem id certiſſimè demonſtratur ex
„ ſpeciminibus exitioſæ doctrinæ ipſorum, vobis nu-
„ per denuntiatæ. Neque enim dogmata tam laxa
„ convenientia ſunt ad ſalvandas, ſed ad perdendas a-
„ nimas; utpote non Chriſtiana, ſed Antichriſtiana.

„ Ne-

„ Neque enim Chriſtiana Religio docet, potu exceſſi-
„ vo & inebriante jejunium non ſolvi. Pro recupe-
„ randa valetudine licitam eſſe ebrietatem. Licitum
„ eſſe, objectis ſenſibilibus frui, propter voluptatem
„ organicam ac naturalem. Judicem injuſtum, ſicut
„ & adulterum & ſicarium, poſſe recipere ac retinere
„ criminis ſui pretium. Lucrum ex mutuata pecunia
„ licitè recipi. Servis domeſticis fas eſſe aliquid fur-
„ tim Domino ſurripere, in recompenſationem ſervi-
„ tiorum ſuorum. Perjurum non eſſe, qui (cùm po-
„ teſt) non præſtat rem jurejurando promiſſam. Li-
„ citam eſſe occiſionem aggreſſoris honoris, qui
„ v. g. colaphum mihi inflixit, nec fugit. Obligatio-
„ ni Breviarii, vel Miſſæ audiendæ ſatisfieri, reci-
„ tando vel audiendo cum voluntaria diſtractione, abſ-
„ que voluntate mentem ſeu cogitationem elevandi in
„ Deum, ſed ad ſolam diſtinctam prolationem verbo-
„ rum. Pecuniam pro beneficio abſque ſimonia dari
„ poſſe, non quaſi pretium, ſed quaſi gratuitam com-
„ penſationem. Simoniacos, quàmlibet manifeſtos,
„ in conſcientia retinere poſſe id quod in beneficiorum
„ permutatione acceperunt, ut ſeſe indemnes ſervent
„ à jactura emolumentorum, quibus in gratiam emp-
„ torum talis beneficii ſeſe privaverunt. Vindictas par-
„ vas particularium eſſe licitas, imò neceſſarias.

„ An dogmata iſta Chriſti Evangelio conformia ſint,
„ proinde Doctorum verè Chriſtianorum, an ſedu-
„ ctorum? An per conſequens ad inſtillandam juven-
„ tuti pietatem, ſolidamque inſtructionem convenien-
„ tia? Judex ſit univerſa terra.

„ Poſt hæc Jeſuitæ vice ſua producant accuſationis
„ ſuæ capita, quibus Diæceſis Eccleſiaſticos gravant,
„ & propter quæ tanta cum audacia ipſos traducunt
„ velut lupos, tygrides, vulpes, aſpides. Reos ſuis
„ nominibus deſignent, articulos exhibeant doctrinæ
„ erroneæ, de quibus ipſos accuſant, damnatoſque
„ errores ab ipſis tradi demonſtrent vel per ſcripta ab
„ ipſis tradita (prout Jeſuitarum errores demonſtrat
„ facta à nobis Denuntiatio) vel per teſtes omni excep-

„ tione majores. Si hoc modo Eccleſiaſticum quempiam de errore damnato convincere valeant, in nomine Domini habeatur velut falſus paſtor, velut lupus &c

„ Quòd ſi hoc Jeſuitæ demonſtrare nequeant; quamdiu nequeunt, ſoliſque accuſationibus vagis, abſque perſonarum errorumque deſignatione, Eccleſiaſticos diffamant, dum interim ipſi de doctrina animarum ſaluti peſtifera per publica ſcripta convincuntur; ex una parte certiſſimè habendi ſunt tanquam publici calumniatores, diæceſeoſque perturbatores; ex parte altera tanquam lupi, tygrides, vulpes, aſpides, diæceſim veſtram, imò Eccleſiam univerſam (ubique enim ſibi ſimiles ſunt) per calumnias ſuas, & dogmata anti-evangelica devaſtantes.

„ Ad ſiſtendum ergo tanti ſcandali curſum, rogamus ut dignetur Magnitudo Tua Jeſuitas compellere 1. ad nominatim deſignandos lupos, quibus diæceſim veſtram plenam eſſe vociferantur. 2. ad articulatim exprimenda puncta doctrinæ, vel morum, propter quæ tam ferociter famam dilacerant Paſtorum. 3. ad juridicè producendas, coram ſpirituali Curia veſtra, probationes ſuas, dato accuſatis defenſionis tempore & loco: cùm juſtum non ſit ipſis, in octavo Volumine Moralis practicæ de calumnia toties, tamque evidenter convictis, in ſolo verbo ipſorum fidem adhibere. Enimvero ſi eo ipſo reus quiſpiam cenſeri poſſet, quo accuſatus, nullius innocentia in tuto eſſet, præſertim qui Jeſuitas ſibi inimicos haberet.....

„ Quia verò unica iſta innocentes diſcernendi via obſervata non fuit, dum Tornacenſe Seminarium Jeſuitis traditum fuit, terribili, ſed juſto Dei judicio, diæceſis hæc veſtra triſti ac perhorrido in ſtatu à Vobis conſpicitur. Duo namque mala Dei in populum iracundiam & vindictam provocant, ſecundùm prophetica dicta, innocentium ſcilicet oppreſſio, Doctorumque erroris protectio: *Domus David*,

„ *has*

„ *hæc dicit Dominus*, Hierem. 21. *judicate mane judi-*
„ *cium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis,*
„ *ne fortè egrediatur velut ignis indignatio mea, & ſuc-*
„ *cendatur, & non ſit qui extinguat.* Et c. 5. *Inventi*
„ *ſunt in populo meo impii; inſidiantes quaſi aucupes, la-*
„ *queos* ſuſurrationibus & calumniis ſuis *ponentes, & pe-*
„ *dicas ad capiendos viros* innocentes.... *Nunquid ſuper*
„ *his non judicabo, dicit Dominus, aut ſuper gentem*
„ *hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea? Stupor & mi-*
„ *rabilia facta ſunt in terra*, miræ utique perturbatio-
„ nes in Eccleſia penè univerſa. *Prophetæ prophetabant*
„ *mendacium* (id eſt doctores docebant errores, & ca-
„ lumniabantur innocentes) *& Sacerdotes* (penes quos
„ erat ipſos compeſcendi obligatio & authoritas) *ap-*
„ *plaudebant manibus; & populus meus dilexit talia* (li-
„ benter audiens loquentes placentia.) *Quid igitur fiet*
„ *in noviſſimo ejus?* „Qualem Deus in ira ſua de tali-
„ bus ſumet vindictam? Vindictam noviſſimis hiſce
„ diebus conſpeximus, Illuſtriſſime Domine: juſtitia
„ facta non fuit innocentiæ calumniatæ: Prophetæ pro-
„ phetantes mendacium, ſeu doctores errorem docen-
„ tes, magiſtri facti ſunt in hac Diæceſi: Sacerdotes,
„ penes quos Pontificalis erat Authoritas, applauſerunt
„ manibus: populus dilexit adulatores illos, utpote ſæ-
„ cularia deſideria ipſorum approbantes. Super his ju-
„ dicavit Dominus. Super gentem hujuſcemodi ul-
„ tionem fecit anima ejus. Ultionem adeo promp-
„ tam & viſibilem, ut non poſſit non attribui malis il-
„ lis, juſtaque ſit cauſa metuendi, ne ultra iraſcatur
„ Dominus, in theſauris iræ ſuæ pœnas reſervans majo-
„ res his quas patimur, ſi mala illa non emendentur.
„ Famem utique, non panis, quam modò patimur,
„ ſed doctrinæ ſalutaris: cùm Jeſuitæ Seminariſtas non
„ doceant de divina Scriptura, nec de ſanctorum do-
„ ctrina.... quin eorum potiùs lecturam ipſis prohi-
„ beant, jubentes ut contenti ſint doctrina damna-
„ bilium quaternionum, quos ipſis tradunt, aientes
„ quòd.... ſacerdotibus neceſſaria non ſit ſcientia ma-
„ gna, ſed ſatis ſit quòd aliquanto plus ſciant quàm

„ populus. Quod licèt parum credibile videbitur Magnitudini Tuæ, credibile facit teſtimonium plurium „ omni exceptione majorum, propriis id auribus ab „ ipſis ſe audiviſſe teſtificantium.

De defectuoſa etiam doctrina, juventuti à Jeſuitis tradita graviter conqueritur ſanctæ memoriæ Illuſtriſſimus D. Bernardinus de Cardenas, Paraguaiæ Epiſcopus, in Memoriali ad Catholicum Regem 26. Novembris 1652. præſentato, hiſce verbis: *Tametſi Jeſuitæ ex ſua profeſſione juventutem in litteris inſtruere teneantur, ut inde efformentur viri eruditi, ad ſuſcipiendam in Civitatibus animarum curam idonei, hoc eſt quod prorſus neglexerunt, ut deficientibus hac in patria Sacerdotibus ad curam paſtoralem idoneis, curam iſtam ſoli ipſi exercerent ...... Hoc pacto Jeſuitæ, contra ſuæ profeſſionis obligationem, impediunt, ne in diœceſibus habeantur Eccleſiaſtici ad curas paſtorales idonei, ut ubique ipſi ſoli ſint Magiſtri.*

Cúmque Jeſuitæ ſolitis artibus, id eſt falſis criminationibus Seminarium Veſuntinum Patribus Oratoriis ſurripere per Patrem de la Chaiſe niterentur, artes illas in confuſionem ipſorum, Reſcripto ſuo vertit Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Veſuntinus, ad id inductus à doctiſſimis juxta & piiſſimis Eccleſiaſticis Archidiæceſeos ſuæ, qui ipſum certiorem fecerunt, quòd *violenta paſſio ubique dominandi, ſeipſoſque ſupra alios extollendi, totum denique mundum magiſterio ſuo ſubjiciendi, ipſis ardentiſſimum illud ingeſſiſſet deſiderium occupandi Veſuntinum Seminarium. Infatuati namque ſunt vaniſſima perſuaſione, quòd nihil benè fiat niſi per ipſos, ipſoſque uſquo adeò infatuat Societatis honor & gloria, ut majore eam ſollicitudine quærant, quàm gloriam Eccleſiæ, iſtamque abſque illâ non valeant procurare. Tot ergo machinas propterea movent, ut ad intentum ſcopum perveniant...... Verùm infelix valde eſſet Diœceſis veſtra, ſi pervenirent. Quia brevi alia appareret Cleri facies, brevi à primævo excideret fervore, in quo ſubſiſtit à tanto tempore. Sat nota eſt Moralis ipſorum, ſæculi moribus accommodata, qua ſibi animos conciliant; qua volun-*

ta-

tatibus omnium ſerviunt; qua omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciant, non Deo (prout Apoſtolus) ſed Societati ſuæ. Propterea ergo poppyſmis ſuis omnes demulcent, *conſuentes pulvillos ſub omni cubito manus, & facientes cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*, omnibus perſuadere ſatagentes, *in ſola Societate inveniri regulas ac principia pro conſolatione omnium*, ut videre eſt in Morali practica Jeſuit. Volumine 5. pag. 272. Et quid aliud ſignificare voluit Miſſionarius ille Jeſuita, qui Vianæ in Hollandia palam in Oratorio ſuo è ſuggeſtu dixit, *Fruſtra alios quæri Sacerdotes, vel Religioſos, quàm Jeſuitas, cùm inveniendus non ſit, qui paradiſum tam bono donet pretio, quàm Jeſuitæ.* Quo dicto tametſi nihil ſit inſipientius, nihil abberrantius ab Evangelio, ei tamen conformiter Imago primi Societ. ſæculi, *Nunc*, inquit, à Sociis *faciliùs peccata dimittuntur, quàm committantur.* Unde licet Epiſcopatuum, quemadmodum & uxorum polygamia, lege divina prohibita ſit, Jeſuitæ divinæ legis interpretes (apud Fr. Juniperum ab Ancona pag. 34.) rationem invenerunt, ut unus homo, ſex aut ſeptem Epiſcopatus bona conſcientia tenere, & de fructibus eorum regiè, ſplendidéque vivere queat, qui tamen ſacerdotio non ſit initiatus, nec unquam initiari cogitet. Quamvis etiam lex Dei dicat, *Epiſcopum oportet eſſe Doctorem*, adeóque prædicatorem: Jeſuitæ legem iſtam ſic interpretantur, ut bona quis conſcientia eſſe poſſit Epiſcopus, qui ne ſemel quidem in omni vita prædicaverit, nec prædicare poſſit aut velit. Nec de Eccleſiaſticarum legum obſervantia ſollicitiores ſunt, ideoque *parum curant an Eccleſiaſtici longis veſtiantur* (prout laudati Eccleſiaſtici Veſuntini proſequuntur) *parum etiam ſolliciti de curtis crinibus ipſorum, de tonſura &c. eo quod nihil ipſis inde proveniat. Sint zelo zelati, docti, ad confutandos errores idonei, vitæ exemplaris, Chriſti bonus odor, lux illuminans populos, eoſque verbo inſtruens & exemplo, non eſt hoc quod acuit zelum ipſorum* (nec tanto zelo moventur adverſus opiniones vitam Chriſtianam plus nimio relaxantes, quanto adverſus eas, quas vocant nimium

mium ſtringentes) *imò fortè illud eſt quod potiùs nollent, eo quod ipſorum interſit, quòd nonniſi mediocris ſit in cæteris Eccleſiaſticis fama virtutis & ſcientiæ, ut in utroque ſupra cæteros ipſi excellant, pauciores que habeant, quibus confutentur, & qui à populo æque vel magis quàm ipſi honorabiles habeatur. Nihil quippe magis ægrè ferunt, quàm videre alios in honore pares, vel ſuperiores, Parochialeſque Eccleſias magis frequentatas quàm ſuas. Quod ne contingeret, quas non impoſturas, & maledicentias de aliis Eccleſiaſticis, deque doctrina ipſorum in Parochiis Diœceſis veſtræ ſparſerunt?*

Nec in Epiſcoporum duntaxat Seminariis, ſed & in Academiis omnibus, dominationem affectant Jeſuitæ; eaſque omnes ſibi ſubjicere, *faſceſque & imperium in omnes litteratos*, ſive in Orbem litterarium univerſum modis omnibus ambiunt extendere. Iſtud eſt de quo conqueritur Univerſitas Burdigalenſis in Decreto anni 1626. Atque hunc in finem *Academiarum omnium nervos* (verba ſunt Univerſitatis Pictavienſis in Decreto ejuſdem anni) *excidere, & earum gloriam labefactare* moliuntur; *ut interceptam ſæcularibus litterarum profeſſionem in ſuum dominatum redigant*, inquit, eodem anno, Univerſitas Andegavenſis.

Et iſta cauſa fuit, propter quam Gallicanæ Univerſitates omnes, invicem ſociatæ, iſti Jeſuitarum ambitioni ſeſe viriliter oppoſuerunt, & adverſus ipſos ſecretioris Concilii Regii arreſtum de 7. Martii 1626. obtinuerunt. Eidem pariter ambitioni obſtitit Univerſitas Lovanienſis in Belgio; & Cracovienſis in Polonia (in Epiſt. ad Lovanienſem) teſtimonium perhibuit, quòd *oſtenderunt demum Jeſuitæ Orbi noſtro ſe non eſſe quod videbantur, illa ſanctitate & innocentia... Eruditio illis apud nos adeo tenuis, ut quod de regno litterario ab eis occupando metuitis, nobis videatur illos aliud quidpiam quærere quàm litteras; utpote quibus ad ſapientiam triennium præſcriptum eſt, ad acquirendas opes ſæculum non ſufficiat..... Magnam partem Diſcipulorum Jeſuiticæ Scholæ pœnitudo jure meritiſſimo ſubit, dediſſe operam ejuſmodi Magiſtris, quorum plurimi ad Nos redeun-*

deuntes, depoſito faſtu & inaniis Jeſuiticis, ab unguiculis ſe formari permittunt & expetunt..... Quod ſi.... Vos celebres Academia, quarum illi exterminium...... quarunt, ad ſalutem communem operas non confertis, brevi, omnis litteratura, id eſt, omnis antiqua ſapientia dignitas abolebitur. Quoniam, ut inſignis vir, Andræas Treviſius, Sereniſſimæ Infantis Medicus Cubicularius in Epiſtola ad Univerſitatem Salmanticenſem, data Bruxellis 24. Aprilis 1627. conteſtatur: *Jam percipit mundus, cur antiquorum Patrum, Eccleſia Doctorum, non tam facilè comprobatis* Jeſuitæ *acquieſcant ſententiis. Particulares enim cum ſummo affectu opiniones affectant,* & quia *omnibus in omnibus prævalere ſatagunt...... à celeberrimarum Univerſitatum inſtitutis ſecedere non verentur..... Conſideretur quænam principia multarum hæreſeon fuerint; invenientur nimia animi elatione ac cupiditate plurima erupiſſe. Donec enim paupertas & humilitas animorum temperavit avidos auſus, ſtetit & præceſſit religio: ubi verò ſuperbia faſtus & cupiditas Religioſorum corda occupavit, cum libertate primùm orta eſt confuſio; poſtea neglectus & prævaricatio. Ambitio, dæmonis eſt ad uberrimam ſuam meſſem falx acutiſſima; cupiditas bonorum temporalium* (immenſa in Jeſuitis) *Religioſis eſt eluctabile ad perniciem rete...... Avertite igitur, ſapientiſſimi ac prudentiſſimi, Heroës, tantam à Republica labem, & perpetua conſtantia,* ſociato cum aliis celeberrimis Academiis fœdere, *ad optimorum morum, & litterarum ſplendorem, ſervate gravitatem. Infauſta* (ut antè dixit) *exempla docent, quàm periculoſum ſit, Eccleſiaſtica doctrina authoritatem ad unius Religionis furtivum & audax arbitrium paulatim ſinere labi; quod fiet, ſi dicti Patres ſemel cunctas, vel præcipuas (ut jam ſatis tritam incœperunt calcare ſemitàm) occupaverint Univerſitates... Quapropter cùm dicti Patres civitatum & Provinciarum ſubſidio occulta ſua alant atque conficiant bella, Univerſitates iiſdem etiam armis, ſed apertè, decertare debent, ſuis publicè oſtenſis juribus. & magnorum oſtenſis incommodorum periculis..... Rationum pondere nunquam dicti*

Patres ad æquilibrium adiguntur; ſed gravium Virorum conſenſus, & Magiſtratuum authoritate coerceantur. Quo tendant boni Patres.... plauſibili illa ſua ſplendidaque propoſitione novum Collegium (pro quo tunc obtinendo apud Regem ſatagebant) *Matriti inſtituendi..... video & lætor vos longè animo proſpicere. Ad militarem namque, nauticam, œconomicam, & ſimilia per Canones*, & per Apoſtolum Clericis *vetita, docendum* ſeſe Regiæ offerunt Majeſtati, *ut ſenſim in legitima veſtra jura poſſint irrumpere &c.* Ad quod præcavendum Univerſitates ſive Academiæ Hiſpaniarum libello ad Regem dato interceſſere, in quo Jeſuitas deſcribunt, velut *homines avaros, inſatiabiles, æruſcatores, regiorum vectigalium fures, arrogantes, ambitioſos, Principum aſſentatores, aulicos, negotiis ſæcularibus ubique ſe implicantes, fraudulentos, mendaces, veritatis interverſores, infamatores virtutis, vitæ Religioſæ hoſtes, deliciarum amatores, impoſtores, pietatis velo opertos, lupos in veſtimentis ovium, novitatum amicos, Sanctorum Doctorum contemptores, Lutheri & Calvini partiarios* (ob defenſos ab ipſis damnatos Jo. Bapt. Pozæ Conſocii ſui errores ac principia, Lutheri & Calvini principiis affinia, prout demonſtravit Doctor Franciſcus Roales in Scripto ad S. Pontificem, Imperatorem, Reges &c. cujus inſcriptio eſt, *Actio hæreſis in Societatem Jeſu &c.*) *pacis publicæ perturbatores, diabolicæ induſtriæ homines &c.*

Quod ſi quiſpiam inquirat, cur Jeſuitæ ab Hiſpanicis Academiis *vitæ Religioſæ* dicantur *hoſtes?* Ratio ex ſuprà dictis de Patre de la Chaiſe in promptu eſt, quia Religioſos à primævo Patrum ſuorum ſpiritu collapſos, ad eum nolebat reverti ſeu reformari, ſed mallebat ſæcularizari. Unde nec unquam de Clericorum & Regularium in Gallia, Germania &c. reformatione, Sanctorum Patrum exemplo fuerunt ſolliciti. Non mirum proinde, quòd *proximis annis* (verba ſunt Fr. Juniperi ab Ancona) *Principem & Abbatem Fuldenſem, Joannem Bernardum..... à cucullo tonſuque monaſtico deterrere Jeſuitæ tanto impetu conati fuerint. Cauſabatur*

tur ille: quòd Patri Oſwaldo, quo à Confeſſionibus utebatur, cæteriſque ejus Sodalibus Jeſuitis probaturum ſe confidebat, ſe voto obſtrictum teneri, & Sacramento, nec ſine perjurii reatu facere poſſe, quin S. Benedicti legibus, etiam in capiendo ejus habitu pareret; nec minus ſe fidem ſuam Pontifici & Cæſari obligaſſe, facturum ſe quod illi non unis ad ſe literis contendiſſent, ut Religioſam diſciplinam in Monaſterio ſuo, totius Germaniæ & Galliæ principe, jam olim collapſam, vel potiùs peremptam, non magis imperio, quàm vitæ ſuæ exemplo inſtauraret, cæteriſque Romani Imperii Abbatibus idem ipſum faciendi ſtimulos admoveret. Jam ergo cùm ſalutem ſuam, tum exiſtimationem & honorem in eo verti, ut ſibi aliter facere non ſit integrum.

Sed Jeſuitis nulla fuit Religio, novem argumentis ei perſuaſum ire, ut Sacramenti votique oblitus, aliquot priorum, non optimæ ſanæ notæ, ejuſdem Monaſterii Abbatum ſimiliorum inveniri, quàm in habitu, quo filios ſuos D. Benedictus induiſſet, conſpici ſe præoptaret. Præcipuè vero Paſtorititiæ fiſtulæ, obviàque ſannæ metu, ejus in ſancto propoſito conſtantiam labefacere & infirmare anniſi ſunt; cùm futurum ei denuntiarent, ut velut homo amens ac delirus, ludibrio eſſet omnibus, cùm abſurdo illo ſuo ornatu, quo nemo ſanus, niſi ludis liberalibus, aut bacchanalibus, vel ſaturnalitiis, quibus inſaniæ jus datur publicæ, amiciri animum ſit inducturus.

Ita propudioſiſſimo iſti Phariſæorum generi, apud Religioſiſſimum Principem, S. Benedicti habitum, ludum jocumque facere libuit, nec verecundiæ eis fuit, tot ſummos Pontifices, Imperatores auguſtos, Reges maximos, Principes potentiſſimos, & quinquaginta quinque Divorum ab Eccleſiæ conſecratorum, ſeu canonizatorum millia delirii ac fatuitatis nota pariter afficere, quos omnes ſub S. Benedicti ſignis Deo militaſſe, & tonſum cucullumque monaſticum ſibi honori duxiſſe conſtat. Verùm Jeſuitæ cùm ſuavius, tum amplius longè, ſibique glorioſius ducunt, Pygiacam ſortitos provinciam, puerorum & ephæborum natibus jura reddere, ſi præſertim eos ad cytharæ, vel violini, aut geigæ ſonitum, vapulantes & ejulan-

ejulantes audiant: quod acroamatis genus quemdam Patrem Wolfangum Lanium, ſeu Mezgherum, Monachii non ita pridem excogitaſſe, accepi.

Sed ad Fuldenſes Jeſuitas redeo, qui, cùm Abbatem ſibi conſtare, nec ullis ſuaſoriis à reformationis in ſeipſo ſuſcipiendæ conſilio abduci poſſe perſpicerent, tam id graviter & iniquo animo tulerunt, ut Pater Oſwaldus, Abbatis Confeſſarius, amicitiam ei renuntiaret, ab eoque averſus, &, valvis forium magno cum impetu poſt ſe concluſis, furibundus ſe proriperet.

Ex quo tam illuſtri exemplo nemini paulùm modò intelligenti, obſcurum eſſe poteſt, quàm toto pectore Jeſuitæ Monachorum in priſcos mores reformationem abominetur, & modis omnibus circumſcriptam impeditamque exoptent; ſed illi præ cæteris, qui unum præ rebus relictis ſatagunt, ut ..... Societati gloriam melioris præ cæteris vitæ, & *novas Colonias* (Monachorum in Monaſteria ſeipſos ingerendo) *amplumque, opulentum, latéque patens imperium Generali ſuo conficiant..*

Ecce quales paſſim ſunt, quámque parùm ſecuri duces, qui ſeſe Regibus & Principibus omnibus, tam Eccleſiaſticis, quàm politicis, inſinuant & offerunt, uti ipſis à Confeſſionibus ſint, quique ſe, ſuamque Societatem, præ cæteris adeò honorari volunt, ut anno 1641. per Poëtarum ſuorum Principem, Jacobum Baldeum de Alſacia, in quadam Ode cantari affectarint, *Societatem Deum eſſe, cui altaria ſint conſtruenda,* incenſumque offerendum. Verùm non omnes ita deſipiunt: nam cæteros Jeſuitas, quorum ſtudia & mores ad S. Ignatii formulam bona fide componuntur, ne ipſos quidem id genus conſilia ac facta Sociorum probare, pro explorato habendum eſt.

CLAN-

CLANGOR VI.

Tertiò reformanda in Jeſuitis erga alios invidia & zelotypia.

SOrdidum iſtud vitium ex ſuperbia proficiſcitur, & ſuper alios excellendi philautia. Quia ut Auguſtinus dicit l. XI. de Geneſ. ad lit. c. 14. *Cauſa invidendi ſuperbia eſt.* Quoniam *amando quiſque exellentiam ſuam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur; vel ſuperioribus, quòd eis non coæquetur.* Itaque nihil aliud invidia eſt, niſi *odium fælicitatis alienæ*, prout Auguſtinus ibidem; vel, ut S. Thomas 2. 2. q. 36. a. 1. *Triſtitia quædam de bonis alienis*, quatenus ſcilicet alter in illis excedit ipſum, vel ipſi coæquatur: *hoc enim propriè invidiæ eſt*, ait S. Doctor. Cùm igitur *appetere ſingulariter videri habere quod habetur*, ſuperbia ſit. 2. 2. q. 162. a. 4. quiſquis appetit ſingulariter videri habere excellentiam ſcientiæ, virtutis, vel aliorum gratiæ, naturæ, vel fortunæ bonorum, vel in illis ſupra alios excellere, excellentiam æqualem, vel majorem aliis invidet, impeditque ſi poſſit, ut eam ipſe ſingulariter habere, vel ſupra alios habere videatur, doletque & triſtatur, ſi alii æqualiter habeant.

Et hinc invidiam apud Socios valde frequentem eſſe, manifeſtum experientia facit, quæ docet ipſos moleſtè ferre aliorum Virorum, ſeu regularium, ſeu ſæcularium gloriam & honorem, Sociorum gloriæ & honori parem, vel majorem; eo quod (ex dictis ſuperiori Clangore) affectent ſupra alios gloria & honore antecellere. Quo ex affectu conſectarium eſt, ut malum ipſis videatur, alios extra Societatem excellenti virtute aut eruditione cenſeri. Nam hæc opinio utilitatibus & honori Societatis obſtare poteſt. Si enim ſtatuant homines, poſſe viros excellenter bonos & eruditos, etiam abſque Jeſuitarum opera, inveniri, Societatem eorum Reipublicæ non penitùs neceſſariam judicabunt; nec perinde opes ſuas in eam conferre volent,

lent. Expedit ergo Jeſuitis, eos qui aut Jeſuitæ non ſunt, aut eorum diſciplina uſi non fuerunt, magnæ virtutis aut eruditionis famam non habere. Et ideo pronum eſt Jeſuitas, Societatem ſuam adeò tenere a-mantes, ut non vereantur ne in amore iſto modum excedant (neque enim periculum ipſis videtur, ne ſit nimium, quod ipſis videtur maximum eſſe debere) pronum eſt, inquam, iis Jeſuitas invidere, quos vident præ ipſis in eruditionis vel virtutis exiſtimatione eſſe.

Et iſta eſt cauſa, propter quam Ariam Montanum celebri eruditionis probitatiſque fama clareſcentem, prout Clangore I. viſum eſt, odio habuerunt gratis. Sicut & Joannem Piſtorium Niddanum, qui libris adverſus hæreſim ſcriptis tantam ingenii, doctrinæ & eloquentiæ famam collegit, ut ab omnibus pro naturæ monſtro haberetur, & hæreticis adeo formidabilis evaſit, ut nunquam adduci potuerint, ut cum eo diſputationem ſuſciperent, tametſi Jeſuitas inſolentiſſimè provocarent, & Ratisbonæ cum illis congredi non dubitarent. Quapropter Rudolfus Imperator eum ſibi à Conſiliis & Confeſſionibus eſſe voluit, & Clemens VIII. Cathedralis Eccleſiæ Uratilavienſis præpoſituram ei contulit; à cujus poſſeſſione à Jeſuitis impeditus fuit. Pari invidia perſecuti ſunt Quintum Marium Corradum Uritanum, virum Græcè & Latinè cum primis doctum, Theologiæque, Philoſophiæ, & omnis, quà divini, quà humani juris, ſacrarumque & profanarum antiquitatum conſultiſſimum, quem Sacroſancta Tridentina Synodus præter omnes dignum judicavit, cujus operâ in Decretis ſuis Latinè perſcribendis uteretur. Nam hæc ipſa optimi maximique viri de virtute & literis opinio Jeſuitarum ei odium concitavit, quamvis Inſtitutum ipſorum non ſemel ab eo, non in privatis modò ſermonibus, ſed etiam in Epiſcoporum conſeſſu, ſive Synodo, prolixè admodum laudatum ſcirent. Cùm enim dum primùm Societas ipſorum exorta foret, ſua admodum intereſſe judicabant, ut perſuaſum eſſet hominibus, non aliunde quàm ab ipſis Græcas & Latinas litteras, Philoſophiam præterea & Theo-

logiam addiſci poſſe: aliter verebantur ne minus ex ſententia res Societatis procederent: ad eam verò rem neceſſarium ipſis videbatur, cæteros, qui nec Jeſuitæ, nec Jeſuitarum diſcipuli eſſent, doctrinæ & litterarum opinionem non habere. Videri poteſt epiſtola Corradi ad Gaſparem Cervantium, Salernitanum Archiepiſcopum; in qua de Jeſuitis conqueritur, quòd *cùm ſibi in animum induxiſſent ipſum litterati hominis exiſtimatione etiam ſpoliare, idque temerè perfidioſéque tentatum non ſuccederet, ipſi* (quod putabant eſſe facilius) *vitam per ſcelus atque audaciam eripere voluiſſent. Unde verò*, inquit, *tantum odii acciderit, ne ipſi quidem poſſunt exiſtimare, quos nunquam re aut cogitatione provocaverim; & provocatus leniſſimo animo tulerim.*

Nec verò aliam, quam quæ proximè dicta eſt, hodie quoque Jeſuitæ erga viros excellenter doctos & claros, odii & hoſtilitatis cauſam habent. Nec aliam habuerunt tam atrociter & pertinaciter perſequendi ſæculares Miſſionarios Gallos, à S. Sede miſſos ad Evangelium Chriſti prædicandum in China, Cochinchina, Camboja, Tonquino, aliiſque finitimis regnis, de quibus Illuſtriſſimus D. Urbanus Cerri, S. Congregationis de propaganda fide Secretarius, in ſcripto cui titulum hunc fecit: *Status Chriſtianæ Religionis in toto mundo, S. P. N. Innocentio XI. præſentatus*, cap. *de China*, ſic loquitur: *Sancta Sedes Apoſtolica, ad promovenda magis & magis negotia Religionis in Regnis Chinæ, Cochinchinæ, Combojæ, Tonquini, & aliis.... illuc mittere ſtatuit Epiſcopos, cum mandato inſtruendi, Sacerdotioque initiandi Regionum iſtarum nationales; cùm id unicum foret ac verum medium ſtabiliendi, conſervandi, & propagandi in Regionibus illis Chriſti fidem. Neque enim poſſibile erat tot ex Europa Operarios mittere, quot neceſſarii erant. Ad magni iſtius conſilii executionem opportunè contigit, quòd Sacerdotes aliqui Galli, idonei, pii ac zeloſi ſeſe offerrent, illuc ire paratos ſumptibus ſuis. Ex iis Alexander VII. P. M. tres elegit; atque Epiſcopos conſecravit, Vicarios Apoſtolicos inſtituit, eaque*

in

in qualitate in Chinam, & alia adjacentia Regna cum ſufficienti Sacerdotum numero miſit. Cùm ad Indias perveniſſent, novit Congregatio, quales & quantas à Jeſuitis paſſi fuerunt perſecutiones. Cùm enim primi ipſi in Indias deveniſſent, valde moleſtè ferebant, Vicariis illis Apoſtolicis ſubmiſſos ſe eſſe: hoc enim ipſis videbatur fieri non poſſe abſque diminutione magna famæ ſuæ; cùm amodò non forent ampliùs magiſtri & arbitri populorum iſtorum. eo quòd zelum ac pietatem longè magis deſinterreſſatam conſpicerent in Epiſcopis illis, quàm in Jeſuitis. Eapropter Epiſcopos illos publicis in conventibus, in ipſis quoque Eccleſiis diffamare cœperunt, ſuſcitatoque adverſus ipſos damnabili ſchiſmate, per enciclycas à ſe miſſas fideles ab obedientia & obſervantia ipſis debita abalienaverunt, ſolitis artibus perſuadere adnitentes, quòd Epiſcopi illi eſſent intruſi & hæretici, quódque ſacrilega & irrita eſſent, iterandaque Sacramenta omnia, ab iis eorumque Sacerdotibus ſuſcepta; ea proinde jubebant inceſſanter iterari, prædicantes meliùs eſſe abſque Sacramentis mori, quàm ea per miniſterium ipſorum ſuſcipere. Atque ex ipſis nonnullos ad Goanam Inquiſitionem tranſmiſerunt; alios per Principes Ethnicos expulerunt. Dumque Epiſcopi debitam ſibi obedientiam per Brevia demonſtrabant Apoſtolica Alexandri VII. Clementis IX. & X. Patris Fuciti & Marini... palam ſuſtinebant, Vicarios Apoſtolicos eſſe Janſeniſtas, Bullaſque ipſorum eſſe ſubreptitias.... ſceleratoſque & Apoſtatas ſummiſerunt ad ipſos expellendos; ad prima inter novos illos Chriſtianos officia eos promoventes, qui majori cum eloquentia, adverſus Sedis Apoſtolicæ authoritatem, chymerica Sociorum tuebantur jura & privilegia; ad tantamque extremitatem Prælatos illos miſeratione dignos redegerunt, ut compulſi fuerint Agentem ad hanc Curiam delegare, qui lamentabilem exponeret ſtatum, in quo reperiebantur, remediumque poſtularet quo jactura impediretur novæ iſtius Chriſtianitatis, quæ tot conſtiterat laboribus, & obſcuratum Jeſuiticis artificiis habens intellectum, neſciebat cui fidem adhiberet, nonnullis dubium aſſerentibus valorem Sacerdotalis ordinationis ipſorum; aliis ignorantibus num valida foret

foret recepta ab ipſis peccatorum remiſſio. Augebanturque inconvenientia magna, ex tot agitationibus inquietudinibuſque provenientia, & roborabantur per injuſtas diffamationes impoſturaſque Jeſuitarum, & ipſis adhærentium, nullam occaſionem prætermittentium ad ipſos è Regnis illis ejiciendos, ipſorum etiam Catholicorum Europæ Principum aures ſuis illis calumniis opplere non ceſſantium. Quas juſtiſſimas Gallicanorum Epiſcoporum de Jeſuitis querelas ut audivit Clemens X. fælicis memoriæ, ad inſtantiam S. Congregationis expediri juſſit nova in favorem Vicariorum Apoſtolicorum Brevia, priorum confirmatoria, quartumque pro China tribus prioribus adjunxit, in perſona cujuſdam P. Dominicani Chinenſis, ut nationalis exiſtens, Chriſtianam Religionem in vaſto illo Imperio faciliùs introduceret. Generali etiam Societatis injunxit, ut authoritate ſua diſcordiis illis remedium afferret, Religioſis ſuis diſtrictè præcipiendo, ut Vicariis Apoſtolicis ſubmiſſionem & obedientiam præſtarent.

Epiſtolam ſibi conſignatam Agens ſuprà memoratus Jeſuitis in manus proprias tradidit. Verùm iis non obtemperantiores reſponderunt, alias ſeſe aliunde habere ſui Generalis ordinationes, Vicariiſque Apoſtolicis, actiſque ipſorum per omnia contradicere perrexerunt.

Quamobrem Innocentius XI. anno 1680. per S. Congregationem quatuor Societatis Miſſionarios, P. Emmanuelem Ferreira, Dominicum Fuciti, Joſephum Cardone & Bartholomæum Acoſta, contra ſpeciale ſuum obedientiæ votum, adverſus Pontificias Bullas, tanto cum novæ Chriſtianitatis ſcandalo, propagandæque fidei præjudicio, tam pernicaciter rebellantes inde revocari juſſit. Cúmque fidelium, primos ſuos Magiſtros, & Paſtores antiquos poſtulare non deſinentium, Gallicisque Miſſionariis confiteri renuentium, turbas, pro ſua ibi retentione quatuor illi Jeſuitæ prætexerent, Sanctiſſimus ipſorum Generali diſtrictè mandavit, quatenus ad indilatam obedientiam abſque turbarum illarum formidine protinus ipſos compelleret: cùm perſuaſum eſſet ſuæ Sanctitati, nullum eſſe turbarum periculum, niſi eas ipſi ſuſcitarent, prout com-

per-

pertum erat revera ſuſcitaſſe, maluiſſeque Regna illa in ſuſcitato à ſe ſchiſmate, atque à legitimis Paſtoribus ſuis diviſione relinquere, quàm ſeſe humiliter ſubmittendo, falſas de Paſtoribus iſtis criminationes ſuas & invectivas retractare, earumque falſitatem ſibi notam confiteri, ac de iis pœnitere. Quod ſi feciſſent, ſcandalum ingens à ſe datum ſuſtuliſſent.

Verùm Jeſuiticæ extollentiæ nimis incommoda fuiſſet humilis iſta confeſſio, ſalutariſque confuſio. Maluerunt ergo in rebellione diu perſeverare, palamque manifeſtum facere, quòd verè non eſſent Socii Jeſu. Si enim fuiſſent Socii Jeſu, Jeſu gloriam quæſiiſſent, non ſuam; Summi proindè Pontificis Vicariis ſeſe humiliter ſubmiſiſſent, nec ab ipſorum obedientia Chriſti oves, contra votum ſuum, ſubtraxiſſent, nec adverſus ipſos lamentabile ſchiſma ſuſcitaſſent, nec profanum ſuum ac mundanum ſpiritum à ſpiritu Apoſtolico prorſus alienum demonſtraſſent, eos imitati, de quibus Auguſtinus tr. 123. in Joan. ait, quòd *hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas eſſe velint, non Chriſti, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate; non obediendi, & ſubveniendi, & Deo placendi charitate.* A qua quia procul abfuit P. Fuciti (unus ex rebellibus illis, qui toties in ſanctos Epiſcopos ſupradictos, ſchiſmatico ſpiritu debacchatus fuit, palàm ipſos diffamans velut *uſurpatores, hypocritas, hæreticos, Janſeniſtas, uſurarios, &c.*) prorſus à veritate alienæ ſunt laudes, quibus Pater Tachart in Itinerario ſuo Siamenſi Patrum Societatis, ipſum, conſocioſque ipſius (ex Miſſionibus Orientis à S. Sede depulſos, velut obſtinatè rebelles, fideliumque corruptores) extollere non veretur velut *Religioſos ſanctos, viros verè Apoſtolicos, veros Apoſtolos, viros mites, humiles, heroicè patientes, qui pati didicerint abſque querela, conſcientiam adeò delicatam habentes, ut erga ſuos etiam perſecutores menſuram ſervent, quam ne Moralis quidem ſeveriſſima ſemper præſcribit.* Nec mirum, inquit, quia *nihil à ſpiritu Societatis magis alienum, quam violentis uti mediis, prout ſcit Orbis univerſus. Per manſuetudinem namque, per patientiam, per ſilentium*

tium & prudentiam ſuos lucrifacit adverſarios, finemque à ſe intentum aſſequitur. Ad quod Illuſtriſſimus Navarrete in tract. anno 1678. à ſe compoſito reſpondet, *Epiſcopis Angelopoleos, Paraguaiæ, Manilæ &c. plusquam ſatis notum eſſe, an non violentis Societas utatur mediis, ad conſequendas prætenſiones ſuas.* Nec noſtrâ, inquit, *multum intereſt, irâne an manſuetudine & patientia Religioſos noſtros ex Chinico expulerint Imperio. Certum equidem eſt quòd expulerint. Certum quoque quòd ſua illa prætenſa manſuetudine & patientia noſtrorum in illud reditum impedire ſatagant.* Certum denique, quòd nullum violentum medium prætermiſerint, ad populos avertendos ab obedientia & ſubmiſſione erga memoratos Epiſcopos Gallicanos, à S. Sede immediatè inſtitutos, velut ipſius S. Sedis Vicarios Apoſtolicos, apud populos illos. Quali ergo fide impoſterum digni erunt Jeſuitæ, ſuorum laudes declamantes, de tot impoſturis in ejuſmodi declamationibus, ſeu narrationibus tam evidenter convicti!

Ex laudato Navarrete diſcimus, Jeſuitas, nedum adverſus ſæculares Miſſionarios, ſed & adverſus Religioſos invidiam ſuam manifeſtaſſe, modis omnibus impediendo Miſſiones Dominicanorum in Chinam, ad prædicandum Chriſti Evangelium, ut earum gloriam, quâ ſeipſos cæteris magis dignos exiſtimant, ſoli ipſi obtinerent. Et non ſolùm in China, ſed & in Japonia, aliiſque finitimis Regnis Miſſionum gloriam ſoli habere affectantes, moleſtè tulerunt Evangelium ab aliis Religioſis, Dominicanis ſcilicet & Franciſcanis, in Japonia &c. prædicari, populiſque ad fidem recenter converſis ſacramenta maximè neceſſaria miniſtrari; imò modis omnibus, ne facerent, prohibuerunt ſub variis quidem prætextibus invidiam ſuam palliare ſatagentes, aſt prætextuum iſtorum & falſitatem & vanitatem demonſtrarunt glorioſus Chriſti Martyr Ludovicus Sotelo, Jacobus Collado, Navarrete & alii.

Et videat, obſtupeſcatque Orbis univerſus. Religioſi Dominicani & Franciſcani in Japonia Gentiles innumeros Jeſu Chriſto jam pepererant, Evangeliumque

in locis in quibus nulli adhuc Socii viſi fuerant, ingenti cum fructu annuntiaverant: verùm ipſos Socii inde relegarunt, manuque etiam gentilitia & ethnica expulerunt, recluſerunt, incarcerarunt, flagellarunt, tanto cum ſcandalo & animarum jactura, ut Illuſtriſſimus Palafoxius in epiſt. ad Innocentium X. exclamet, *A ſæculo non eſſe auditum, tali æmulatione & imperfectiſſima zelotypia, cum animarum pernicie à vinea Domini incultâ Operarios ſanctiſſimos & doctiſſimos à Chriſtianis relegari,* ac *ignominiosè projici & expelli.*

Cúmque R. P. Ludovicus Sotelo, Seraphici Ordinis Minorum, qui Regem Oxu (quod Regnum eſt in Orientali Japoniæ parte) Cathecumenum effeciſſet, Chriſtianamque Religionem Rex iſte in ſuo Regno, per ipſum, Socioſque ipſius prædicari cuperet, atque eum in finem Sotelum ad Paulum V. cum alio Curiæ ſuæ Optimate Legatum miſiſſet, Sotelum Pontifex deſignavit Regni Oxenſis Epiſcopum, cum mandato, ut in Japoniam per Hiſpaniam rediens, à Nuntio Apoſtolico Matriti Epiſcopalem conſecrationem acciperet. Aſt Jeſuitæ, indignè ferentes alios quàm ſuos Epiſcopalem in Japonia poteſtatem habere, ſolitis ſibi artibus impedierunt ne conſecraretur, mandataque Apoſtolica executioni mandarentur, & ne in Japoniam navigare permitteretur, ut ſoli ipſi in Japonia dominarentur. Cúmque nihilominus in Japoniam tandem appuliſſet, ab Imperatorio Judice captus, & in carcerem Omurenſem conjectus (ex quo ad martyrium ductus, vivicomburio pro Chriſto Martyr occubuit) ex eo carcere ad Urbanum VIII. Paulo V. vitâ functo reſcribens, *Notum ſit*, inquit, *Sanctitati veſtræ, Catholicam fidem... in hujus Japonici Imperii non ſolùm parte Occidentali (quo à principio venerunt, & ubi ſemper fuerunt Religioſi Societatis Jeſu) verùm etiam in Orientali, ubi primùm Sancti Evangelii prædicatores fuerunt Religioſi Minores, ſancti Patris mei Franciſci, qui etiam uſque modo ibidem ſemper adſtiterunt, eſſe dilatatam, adeout, quamvis in utraque parte provinciæ, civitates, caſtella & loca penè ſint innumera, in omnibus ferè & ubique aut ſint*

ſtiani, aut de Chriſtianis notitia ſaltem & auditus
·atur. Licèt autem, poſt ortam potentem perſecutio-
, quæ in Orientali & Occidentali parte habebantur
eſiæ fuerint everſæ anno 1614. *Religioſi quoque omnes*
rali Imperatoris Edicto relegati; plerique tamen illo-
, proprias vitas, contra Imperatoris Edictum, contem-
es, diverſis in locis occultati remanſerunt. Quorum
re, doctrina & exemplo, fides in multis fidelibus ta-
rrima conſervatur; quin & ex infidelibus etiam ple-
e convertuntur. Cùm autem ſit meſſis quidem mul-
& operarii pauci, & perſecutionis in dies creſcat au-
tas, luporum quoque Dei gregem infeſtantium ra-
augeatur; oves quidem multæ devorantur, aliæ verò
mantur, carentibus etiam quàmplurimis victu, do-
a & ſacramentorum Paſtore. Quamvis autem ex
uor prædictis Religionibus (S. Dominici, S. Auguſti-
S. Franciſci & Societatis) Religioſi nonnulli Manilia
Macamo, inter Mercatores occultati pervenerint, ju-
icere poſſumus, Quid hæc inter tantos? Præſertim cùm
e iſtis omnibus doctrinam, ſacramenta, & alia ad-
ia ſpiritualia, prout illis eſt à S. Sede Apoſtolica con-
m, fidelibus permittatur adminiſtrare.
ujus obſtaculi eſt in cauſa ingens aliquorum ex Mini-
(Jeſuitarum utique) *contradictio & reluctantia,*
habentes Epiſcopum ſui Ordinis Religioſum, in Ma-
civitate Chinæ, eorum Provincialis, qui Japoniæ
ioratur, Epiſcopi gubernator, proviſor & Vicarius
alis exiſtit; cujus induſtriâ Japoniæ Regna, provin-
& civitates inter ſuos tantùm taxatæ ſunt, & divi-
& quidem cùm prædicti vix vigeſimum numerum
eant, Japonica verò Regna ſex ſunt ſupra ſexaginta,
nciæ verò pluſquam in illis ducentæ, quibus permul-
rreſpondent capitales quædam civitates magnæ &
ſſimæ, quibus per multum temporis, non dico mi-
re, ſed neque eaſdem percurrere, aut certè valeant
lrare: ſi ad aliquam iſtarum quivis alius alterius
is, ſive zelo charitatis permotus, ſive à fidelibus
vocatus Miniſter, ſpiritalem eis conſolationem &
nenta ſubminiſtraturus accedat, poſtquam plurium,

D *qui*

qui per viginti & amplius annos non ſunt confeſſi, ſed neque ſacerdotem quidem viderint, confeſſiones audierit, lapſui proclives confirmaverit, à fide jam elapſos reduxerit, nec non & infidelium plures converterit: cùm primùm hæc ad ejus Miniſtri (Jeſuitæ) cui illa provincia, juxta ſui Provincialis commiſſionem competit, aures pervenerint, ecce è diverſo conſurgens, etſi ea provincia maximè diſtet, ad eamque nunquam comperiatur acceſſiſſe, quàm præproperè venit, Miniſtrum prædicta facientem oppreſſurus.... atque de eodem loco propellere curat. Chriſtianis verò eos ullatenus admittere, ac apud ſe habere interdicit. Quod ſi devotione ac pietate commoti aliqui admittant, ut ſuis Confraternitatibus, puta Roſarii, chordæ aut corrigiâ adſcribantur, graviter reprehenſos, ac ſi Chriſtiani non eſſent, à ſe propellunt. In aliis verò locis, ubi prædicti communiter aſſiſtunt fideles, non ſolùm alios Religioſos admittere, ſed neque cum eiſdem, niſi latenter & quaſi furtivè, communicare audent..... Quæ res eò extremitatis pervenit, ut in partem etiam Orientalem, ubi nullus eorum prædicaverat, neque unquam aliquando extiterat, ſed Religioſi S. Franciſci primi Evangelium prædicaverunt, & ante perſecutionem publicas eccleſias cum licentia Imperatoris habuerunt, ſemperque uſque modo, exortâ perſecutione, extiterunt, adhuc in ipſis Civitatibus & Curiis Imperialibus.... licèt plus trecentis leucis à Nagaſaquio, communi eorum reſidentiâ, diſtent, fuerit de illis miſſus.... prædicta faciens, & Miniſtros antiquos maximè vexans.

Pari modo FF. Prædicatores ingreſſi ſunt Regnum Figea, in Occidentali plaga, ubi prædicti Miniſtri non erant, qui ingentem etiam fructum ibi creviſſe videntes, illuc ſimiliter ſe contulerunt. Similiter in ſupra memorato Regno Oxenſi, Orientalis plagæ ultimo, ubi hæc minima creatura, & ſervus indignus, Dei gratiâ & auxilio primus fui ſacerdos, qui illuc accedens Evangelium prædicavi; ubi etiam Religioſi mei Ordinis pacificè habitant (factis jam Chriſtianis in multitudine magna) cùm primùm me à Sede Apoſtolica & præfato Prædeceſſore tuo deſignatum Epiſcopum.... venire deprehenderunt, Miniſtrum

*n ex ſuis eò etiam protinus miſerunt, qui, ſui ſe E-
bi publicans Vicarium, Religioſos noſtros perturbavit,
ſtianoſque tantopere moleſtavit, ut S. Franciſci chor-
abſtulerit, recuſantes autem dare à ſacramento-
communione excludebat....*

*oc unum compertiſſimum eſt, Religioſos Jeſuitas velle
inter hos Chriſtianos, pro Dominis haberi, & hac
uſa renuunt, neque ullatenùs permittunt, alios præ-
ſos Jubilæa publicare, ſive conos benedictos, aut
gines, ſeu medalias elargiri; ſed neque haberi Con-
rnitates, etiam ab Eccleſia approbatas.....* Neque
*uale aliud quidquam, fideles provocans ad devotio-
, & ad fidei augmentum valde conducens. Quod
iæ ab aliis inſtituantur, & publicentur, ipſi è re-
fortiter reſiſtentes, pro viribus impediunt. Quan-
tem aliàs obſtare non poſſunt (cenſuris & ipſi impe-
eos qui hæc admittunt..... à ſe & à ſuis Sodalitiis
nt alienos. Ad quæ omnia habet eorum quilibet au-
tatem, & omnes prædicti ſunt ſui Epiſcopi* (in Mi-
xiſtentis) *vicem gerentes. Quod ſi etiam ad præ-
n Vicarium generalem, ſive gubernatorem, recur-
alii, petant in forma, ut informationes juridicas
um ſuorum Martyrum, qui pro fide Chriſtiana mar-
n ſubierunt, faciat, nullo modo aut viâ eas reci-
ut facere vult: cùm tamen, ſi de ſuis, aut de
ianis à ſe baptizatis martyres exiſtant, copioſas ſa-
informationes, & amplas relationes multiplicet. Si
ab aliis magnificum fiat, hoc ipſi annihilare, aut
er varios modos & circumventiones decolorare con-
tur.... Quæ verò adverſa ipſorum cauſâ evenerint,
umvis, quia publica, negare non poſſunt, non ab
idem cauſa, ſed ab indiſcreto Religioſorum zelo, eo-
e imprudentia & cautionis defectu prorſus eveniſſe,
æ verè fuit cauſa pateſiat, acclamant. Nolunt quæ
imi non faciunt, ab aliis Religioſis inchoari, & i-
tum onus portare non poſſint, aliorum tamen adju-
recuſant.*

*æ ſua ſunt, ac per ſuos fiunt, ea vehementer ma-
nt, exaltant, & publicant. In ſanctitate, in*

ſcientia, in authoritate non ſolùm primi volunt reputari, ſed neque æquales habere volunt. Et hæc.... experientiâ comperi, & publica, notoria, atque certiſſima habentur.

Martyri Sotelo concinens Didacus Collado, Ord. Prædicatorum ornamentum, Miſſionarius in Japonia zeloſiſſimus, Miſſionariorumque ſui Ordinis ſuperior, eodem in Ordine laudatiſſimus, in Memoriali ad Catholicum Regem Philippum III. graviter & ipſe conqueritur de Jeſuitarum invidia, qua Japonicæ aliarum Religionum Miſſioni ſub prætextu Brevis Apoſtolici, à Gregorio XIII. ſub falſis allegationibus ſubreptitiè obtenti, ſeſe pertinaciter opponebant, etiam poſt iſtius Brevis revocationem, ad Philippi II. inſtantiam à Clemente VIII. & Paulo V. factam, nihil penſi habentes tot millena animarum millia, dum ſoli ipſi in vaſtiſſimo Imperio iſto exiſtebant, in Paganiſmo ſuo æternùm perire, eo quòd à Jeſuitis alii Religioſi prohiberentur ipſos Chriſtianos facere, ſive ad Chriſti cognitionem perducere, ad quam impoſſibile erat tot animarum milliones per ſolos viginti vel triginta Jeſuitas in Japonia exiſtentes perduci.

Et juſtiſſima profectò fuit tam Martyris Soteli, quàm Didaci Collado ea de re querimonia, quia prorſus certum erat, Jeſuitas tot animarum ſalutem per ſuam illam oppoſitionem aliis Religioſis à S. Sede miſſionem, prædicandique & Sacramenta adminiſtrandi facultatem habentibus factam, quæ ſua ſunt quærere, non quæ Jeſu Chriſti, ſuæ utique Societatis magis quàm Dei gloriam, animarumque ſalutem. De eorum proinde numero eſſe, qui (ut Apoſtolus ait 2. Cor. 4.) *In aſtutia & carnali ſapientia ambulant, quærentes quod ipſis utile eſt, non quod multis, ut ſalvi fiant.* Manifeſtè proinde oſtendebant in eo ſe prævaricatores eſſe legis divinæ & naturalis, quæ, cùm unicuique mandet de proximo ſuo, non permittit Jeſuitis alios prohibere, ne animabus in paganiſmi tenebris & umbra mortis exiſtentibus per Evangelii lucem ſuccurrant, dum per ſeipſos ipſi ſatis ſuccurrere nequeunt.

In

nò gaudere jubet, dum *omni modo, ſive per occaſio-
m, ſive per virtutem Chriſtus ipſis *annuntiatur*. Phi-
pp. I.

Allegant quidem ipſi, quòd cùm S. Franciſcus Xa-
erius primus vineam illam colere cœpiſſet, ipſis ſolis
uſdem vineæ cultura relinquenda erat. Sed futilis eſt
legatio; cùm enim ipſi ad tam vaſtæ vineæ culturam
on ſufficerent, zelus divinæ gloriæ, ſalutiſque anima-
im non permittebat ipſis alios ad ipſius culturam ad-
tores recuſare, ne tot animæ ſine Evangelii luce pe-
rent. Nam & primus Apoſtolorum Petrus novam Ro-
æ vineam plantare cœperat; non ideo tamen Paulum
ohibere potuit, ne ad ejuſdem vineæ culturam ad-
tor accederet; nec id certè S. Franciſcus Xaverius
ohibuiſſet, imò vehementer exoptaſſet. Manifeſtum
oinde eſt, S. Franciſcum Xaverium, uti & S. Pe-
um, non illo zelotypiæ ſpiritu, quo iſti Jeſuitæ, a-
tatum fuiſſe. Aliàs Paulum S. Petrus faceſſere pro-
l juſſiſſet (prout alios Religioſos Jeſuitæ) ſibi enim
Chriſto dictum, *Paſce oves meas*; Deumque elegiſſe
r os ejus audire gentes verba Evangelii, & credere.
an. 21. & Act. 15. Non ſic autem Petrus, qui nec
dum excommunicatum eſſe prætendit, propterea
òd Romæ, unà cum ipſo evangelizaſſet; prout
ſuitæ, per ſuam illam zelotypiam facti inſipientes,
ætenderunt, Franciſcanos anno 1597. propter Chriſti
nfeſſionem in Japonia cruci affixos, & Martyrio af-
ſtos, in excommunicatione mortuos fuiſſe, propterea
òd in Japonia Evangelium prædicaſſent; iſtamque ob
uſam Romæ in duodecim-virali S. Rotæ judicio li-
n ipſis moverunt, ad impediendam ipſorum Cano-
zationem. Sed cùm informationem ſuper eorum
artyrio faciendam Sanctitas ſua commiſiſſet, non ali-
i Jeſuitæ, ſed prænominato Reverendo P. Didaco
llado, eamque in forma juridica Colladus ſuæ Sancti-
i tradidiſſet, Jeſuitis cauſâ cadentibus, eadem San-
tas ſua Franciſcanos illos veros Martyres Jeſu Chri-
declaravit, canonizavitque.

Nec plurium irriſu caruit prætenſa illa excommuni-

catio, nec tanta Jeſuitarum invidia ſine aliorum fuit ſtomacho, Apoſtolicam in ipſos ſententiam meritò intorquentium: *Si zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris..... non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*, prout ibi demonſtrat Colladus. Addens nullam Jeſuitis rationabilem cauſam fuiſſe tam invidioſè opponendi ſe aliorum Ordinum in Japonia Miſſioni; prout nec opponendi ſe quatuor rationabiliſſimis mediis, quæ aliorum Ordinum Miſſionarii pro Eccleſiæ Japonicæ bono proponebant. Quorum primum erat, ut quatuor mitterentur Epiſcopi ex quatuor Ordinibus aſſumpti, quorum unus Metropolitanus Archiepiſcopus fuiſſet: ſecundum, ut tam Epiſcopi, quàm cæteri Miſſionarii paupertatem Apoſtolicam ſectarentur: tertium, ne qua Parochiarum diviſio fieret durante perſecutione, ut quippe Miſſionarii fidelibus ubicumque exiſtentibus auxilio eſſe poſſent: quartum, ut Religioſis omnibus libertas relinqueretur in Japoniam veniendi quacumque via, ibique Evangelium populis prædicandi, ſacramentaque adminiſtrandi. Mediorum iſtorum neceſſitatem in Japonia magnam ſolidis rationibus ibidem demonſtrat, pari ſoliditate refellens Jeſuiticas in contrarium argutationes.

Omnibus proinde ad rationis trutinam appenſis, Jeſuitæ convincuntur, nullam aliam rationem habuiſſe cum aliorum Ordinum Religioſis in Japonia contendendi, niſi 1. quia non ſine ratione metuebant, ne ipſi minori in æſtimatione haberentur, utpote Apoſtolico modo & ſpiritu Evangelium non prædicantes in paupertate, in vitæ aſperitate, in terrenarum rerum contemptu, in vigiliis & jejuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, aliarumque Chriſti mortificationum tolerantia, prout cæteri Religioſi, magnam ſibi apud Ethnicos authoritatem inde conciliantes; quorum dum nihil in Jeſuitis Ethnici conſpiciunt, ſed contraria omnia, alios Religioſos præ Jeſuitis habere malunt fidei ac morum magiſtros.

2. Quia alios Religioſos habere formidabant arbitros

&

& conſcios, per quos ſibi minus licere intelligebant, de ſuorum rebus præclarè geſtis quantas vellent Iliadas ementitas, ſeu (ut eſt in proverbio) *nova Jeſuitica* condere, in Europamque quotannis mittere, iiſque fucum apud Reges, Principes, Magnates & populum facere, prout facere ſolent ubi ſoli ſunt: quia non habent à quo de mendacio convincantur. Et quis neſcit Jeſuitas commentitia ejuſmodi nova è Canada in Franciam quotannis diu reſcripſiſſe, donec tandem ipſorum in iis mendacitas in aperto fuit?

3. Quia nullis aliorum Ordinum Religioſis in Japonia exiſtentibus, à quibus obſervarentur, libertas ipſis integra manebat ibi negotiandi, ſive mercimonium exercendi, Japonicaſque merces, gemmas, margaritas &c. in Europam transmittendi, atque ex iis quæſtum faciendi: quia defuiſſet à quo accuſarentur, quemadmodum in eo revera accuſabiles erant, quia quæſtus illos, ſeu negotiationes & mercimonia contra ſacros Canones, & Pontificias inhibitiones, contra Apoſtolicum quoque & eccleſiaſticum ſpiritum exercebant, prout demonſtrabitur infrà.

Ad majorem proinde Dei gloriam non exercebant: neque ad majorem Dei gloriam per ſuas apud Gregorium XIII. importunitates ab ipſo Conſtitutionem impetrarant, inhibentem aliis cujusvis Ordinis Religioſis, *ne ad provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, aut ſacramenta miniſtrandi, aliave munia eccleſiaſtica obeundi cauſâ proficiſci auderent.* Quemadmodum enim Paulus V. in ſua Conſtitutione, *Sedis Apoſtolicæ*, ſapientiſſimè animadvertit, *pro tanta animarum multitudine* (in ampliſſimis regionibus illis, populo refertiſſimis) *ad fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fovenda, plures Operarii ac Miniſtri* neceſſarii erant, quàm ex ſola Religione Societatis Jeſu haberi poterant. Eapropter idem Pontifex Paulus V. & ante ipſum Clemens VIII, *Omnibus & ſingulis Ordinum Mendicantium.... Generalibus* facultatem conceſſit, *ut cùm neceſſitas poſtularet, quoſlibet ſui Ordinis, ſpectatæ vitæ & eruditionis Religioſos....*

ſos.... in Japonicas, & alias.... finitimas Inſulas, Provincias & Regiones tranſmittere liberè poſſent, ſub certis quidem conditionibus. Sed quia *experientiâ plurium annorum compertum fuit*, taliter conditionatas ipſorum ordinationes *non ſufficere*, ampliorem que proviſionem neceſſariam eſſe, ad majorem Dei gloriam, & ſalutem animarum procurandam; ut *feliciùs etiam & Chriſti Evangelium* in Regionibus illis *prædicari & propagari poſſet*, Urbanus VIII. per ſuam Conſtitutionem, *Ex debito*, datam 22. Februarii 1633. facultatem ſuprà dictam, ſublatis conditionibus illis, ampliavit, aliorumque Religioſorum ad Regiones & Regna prædicta acceſſum *impedientes excommunicationis latæ ſententiæ vinculo* innodavit.

Poſt illas nihilominus SS. Pontificum inhibitiones Jeſuitæ manſerunt Jeſuitæ, id eſt S. Sedi obedientes, dum ſtatuit ipſis placentia; dum ſecus, obedientiæ ſpeciali voto ipſi promiſſæ immemores: in ſua namque erga Miſſionarios non ſuos invidia perſtiterunt. Et hoc eſt de quo Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Heliopolenſis, Vicarius Apoſtolicus in regionibus illis, conqueritur in Hiſpanico Memoriali, Regio Indiarum Conſilio anno Domini.... præſentato: *Summi Pontifices*, inquit, *Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII.* cumque ipſis Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. Innocentius XI. *contra eos Bullas multas compulſi fuerunt publicas facere. Non ideo tamen diminuta fuit zelotypia ipſorum; nec unquam Miſſionariis non Societatis eò miſſis reſiſtere deſierunt; & iſta una fuit ex rationibus, propter quas Vicarii Apoſtolici à S. Sede miſſi fuerunt in Chinam, Tonquinum & Cochinchinam. Per hoc utique S. Sedes remedium adſerre voluit zelotypiæ iſtorum Patrum, fidei propagationi*, ac per conſequens divinæ gloriæ *admodùm adverſanti.* Præter reſiſtentiam illam magnam Vicariis Apoſtolicis factam, de qua ſuprà, non deſtiterunt etiam aliorum Ordinum Miſſionarios impedire, moleſtare & perſequi in regionibus Japoniæ finitimis, China, Tonquino, Cochinchina, &c.

Primus namque Religioſus, non Societatis, Chinam in-

ingreſſus poſt Matthæum Riccium, & paucos alios è Societate, fuit Martinus de Loiola, nepos S. Ignatii Fundatoris Societatis, Prædicator Apoſtolicus Seraphici Ordinis S. Franciſci: qui obtentâ licentiâ publicam erigendi Eccleſiam (quam Socii necdum potuerant obtinere) modico tempore plurimos infideles fecit Chriſtianos. Cùm enim Apoſtolico modo Evangelium prædicaret, nudipes, ſacco indutus, libenter audiebatur à gentilibus, ipſius pœnitentiam admirantibus. Sed iſta invidiæ cauſa fuit Sociis, ipſumque propterea apud Provinciæ Gubernatorem accuſarunt, velut potentiſſimi Hiſpaniarum Regis exploratorem, eoque titulo expelli fecerunt, uti conteſtantur Illuſtriſſimus Navarrete tom. 2. pag. 452. & R. P. Bonaventura Bagnes Ord. Minor. in ſua Relatione eorum quæ in China contigerunt ab Anno 1649. ad 1662.

Anno 1612. duo Religioſi ſacri Ord. Prædicat. Joannes Mayor, & Bartholomæus Martinez, ex Manila in Macam (Macao) pervenerunt, inde in Chinam transmeaturi, ut ibi Evangelium prædicarent. Verùm à Jeſuitis prohibiti fuerunt, prout teſtatur Illuſtriſſimus Navarrete ibid. pag. 419.

Anno 1633. Chinam ingreſſi duo alii ejuſdem Ordinis Religioſi, Joannes Baptiſta de Morales cum ſocio ſuo, & Antonius à ſancta Maria Ordinis S. Franciſci, teſte eodem Joan. Bapt. de Morales in ſua Relatione, à quodam Jeſuita & ipſi ab Evangelii prædicatione prohibiti fuerunt. Cúmque P. Angelus à S. Antonino (Ordinis Prædicat. qui Anno 1630. illuc pervenerat) ad Jeſuitam illum ob negotium urgens acceſſiſſet, ab ipſo irreligioſum iſtud reſponſum accepit: *Non poſſum te hoſpitio recipere; quia id mihi à ſuperiore meo prohibitum eſt. Et cave tibi; ſi enim aliquo hìc tempore ſubſiſtas, à Magiſtratibus hujuſce Civitatis comprehenderis.* Enimverò certa eſt apud Socios regula (inquit Navarrete pag. 420.) aliorum Ordinum Miſſionariis hoſpitium denegare. Quæ regula, Chriſtianæ charitati, Apoſtolicoque ſpiritui prorſus adverſa, anno 1674. adhuc in viridi apud Socios erat obſervantiâ, ut multis demon-

ſtrat exemplis; quemadmodum & ex teſtificatione Religioſi omni exceptione majoris, anno illo 1674 ſibi facta. Tametſi religioſores aliqui Jeſuitæ eam improbarent, ipſique ſoli hoſpitalitatem à Chriſto & Apoſtolis tantopere commendatam exercerent.

Prænominatus quoque P. Antonius à S. Maria (apud eundem Navarrete pag. 511.) teſtimonium perhibet, ſe à P. Manuele Diaz, Jeſuitarum Provinciale, ſeu, ipſius juſſu, à famulis ipſius, à Civitate & Curia Nanquinenſi, manibus pedibuſque ligatis, non ſine barbarie, expulſum fuiſſe, diuque in domo quadam rurali, velut in carcere violenter detentum, ne Evangelium prædicaret, & ut pedem extra Chinam referre compelleretur.

Alia exempla plurima, eaque indubitata, expulſionis Dominicanorum Franciſcanorumque ex Imperio illo, per Jeſuitas, ad hoc Judicum ſæcularium, ſibi addictorum, etiam poſt Bullam illam Urbani VIII. miniſterio utentes, videri poſſunt in Morali practica Jeſuitarum volumine VII. p. 3. cap. 1. ubi lector ſolidè confutatas inveniet impoſturas, cavillationes & vitilitigationes, quibus eorum veritatem obſcurare nituntur Jeſuitæ.

Sufficiat hic teſtimonium addere Illuſtriſſimi D. Palafoxii, in ejuſdem veritatis confirmationem. Verba ipſius ex epiſt. ad. Innocentium X, (ſuprà laudata) hic repetere non pigebit: *Quid intereſt quòd Jeſuitæ ethnicas nationes radiis fidei illuſtrare videantur, ſi ethnicorum quàm plurimos non recta ſacræ legis indictione catechiſant; neque rectè ab aliis Religionibus catechiſari ſinunt. Imò à Provinciis Gentilium relegant, & expellunt operarios ſanctiſſimos manu etiam gentilitia & ethnica, arcent, recludunt, incarcerant, flagellant, &c.*

Inter eos qui Jeſuitarum operâ taliter vapularunt, ſanctiſſimus Epiſcopus ille nominatim refert Reverendum P. Magiſtrum Joan. Baptiſtam de Morales, Ord. Prædicat. *Virum doctum, & ſollicitum Chinicæ fidei propagationis, qui etiam pro ea diriſſimè vapulavit, & primitivorum Martyrum exemplo plurima eſt paſſus, &*

Di-

Didaci de Morales, Societatis Apologiſtæ, *cavillationibus ſuccinctè & eruditè* reſpondet.

Tametſi ex hactenus dictis Jeſuitarum adverſus aliorum Ordinum Religioſos invidia manifeſtis demonſtrata ſit argumentis: ampliùs tamen à ſanctæ memoriæ viro, Joanne Baptiſta de la Nuza, Ordinis Prædicatorum, Aragoniæ Provinciali, Epiſcopo Balbaſtrenſi & Albaricenſi, in libello ſupplici ad Philippum II, Hiſpaniarum Regem, demonſtratur ex eo quòd moleſtè ferentes honorificos titulos ac dignitates, quibus ſacer Ordo ille nobilitatus eſt, illos & iſtas Dominicanis ſurripere, Societatique ſuæ acquirere enixè tentarint, titulum utique *Prædicatorum*, Sacri Palatii Apoſtolici magiſterium &c. Tempore namque Gregorii XIII. apud quem omnia poterant, nihil non moverunt, ut Sacri Palatii Apoſtoligi magiſterium, quem ſacer ille Ordo à tempore S. Dominici poſſidebat, ipſi auferrent, in Societatemque transferrent, eumque in finem iſti Pontifici adeo importuni fuerunt, ut negotium iſtud Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Conſiſtorio Pontifex proponere compulſus fuerit. Verùm importunitatem eorum, ſeu potiùs invidiam, Eminentiſſimi Patres irrationabilem, æquitatique parum conſonam cenſuerunt, ob ſervitia magna Eccleſiæ, à quatuor ſæculis, per ſancti Dominici filios præſtita, tantoque majora ipſorum quàm Jeſuitarum erga eandem merita, ut La Nuza loco allegato de ipſis meritò conqueratur, quòd *pro viribus annitantur, ut famam ipſis eripiant. Illi enim ipſi ſunt*, inquit, *qui nobis præripere moliuntur titulum* PRÆDICATORUM, *quem ad S. Dominici obſequia recognoſcenda, nobis conceſſit & confirmavit Eccleſia ... Officium pariter Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici, quod ab ipſo S. Dominico ad hæc uſque tempora imperturbatè tenuimus, auferre nobis Romæ tentarunt .... In urbibus in quibus conſtitutæ ſunt Academiæ, omnia movent, ne cathedras obtineamus .... Sexcenta proferrem* alia zelotyphiæ ipſorum argumenta, *de quibus juſtè conqueri poſſumus.*

Et quænam tantæ ipſorum adverſus Prædicatores invidiæ cauſa? Ne videantur ipſis doctrinâ & meritis in-

periores, vel certè pares. Quam etiam ob cauſam, licèt à S. Ignatio Fundatore ſuo per ſuas Conſtitutiones adſtricti ſint ad ſequendam D. Thomæ doctrinam, eam non ſolùm ſequi dedignantur, ſed & ſequentes inhoneſtis dicteriis, librîſque prælo datis proſcindunt. De quo etiam venerabilis ille Pater jure optimo conqueritur, aiens, quòd ſpecioſum quidem Interpretis D. Thomæ titulum ex ipſis nonnulli, ipſo in limine librorum ſuorum arripiunt, doctrinam ipſius, velut ſapientiæ & veritatis epitomen magnificant: aſt poſtmodum deſpiciunt, totiſque oppugnant viribus, prout in Molina videre quiſque poteſt; qui arrepto titulo Interpretis D. Thomæ, præmiſſiſque magnificis elogiis Angelicæ doctrinæ ipſius, in illam deinde petulanter inſurgit, ſimilis Florentinis illis, de quibus ſibi verbo abblandientibus, ſed revera adverſantibus, Joannes XXII. dicere ſolebat, ipſos Chriſti ſatellitibus meritò comparari, qui Chriſtum, dato Regis titulo, colere videbantur, ſed impactis alapis poſtmodùm irridebant.

Quis hìc non miretur Patris Huylenbroucq petulantiam! Hæc omnia vocat *malè confutas obtrectationes ultra Garamantas & Indos evocatas, quæ non alios feriunt*, ſi ipſi fides, *quàm eos ipſos qui ea divulgant, redit in autores ſcelus, & zelotypos ſe demonſtrant qui nos zelotypiæ condemnant.*

Cauſis his utatur apud Garamantas & Indos: ne ibi quidem ei fides habebitur, ubi tot exſtant exempla zelotypiæ, proterviæ, rebellionis adverſus Legatum Apoſtolicum, Epiſcopos, Vicarios Apoſtolicos, alioſque tum ſeculares, tum regulares cujuſvis Ordinis Miſſionarios. Similia verò in Europa canere, quid aliud eſt quàm cauſam ſuam prodere? Quis ignorare poteſt Jeſuitarum molitiones in Europa adverſus Canonicos Regulares, Patres Oratorii, Benedictinos, Dominicanos &c? Prudentiæ foret Jeſuitis de his altùm ſilere, ne plura quàm vellent in vulgus ſpargantur.

Quis non gemit dùm Jeſuitas videt vehementiſſimè & pertinaciſſimè diſcerpere & dilacerare quoſcumque pios libros (eorumque autores) etiam ab Epiſcopis appro-

pro-

probatos, quòd ab ipſis vel ab ipſorum fidis non ſint compoſiti.

Quàm *exoptet Societas omnium Ordinum operarios Apoſtolicos* in China, convincunt quæ nuper acta ſunt in Macao adverſus Cardinalem Turnonium. Sed ne præoccupemus relationes de iis edendas: hæc prælibaſſe ſufficiat ad Huylenbroucq protervitatem retundendam.

CLANGOR VII.

Quartò, reformanda in Jeſuitis Avaritia.

Avaritia eſt appetitus inordinatus divitiarum. Inordinatio iſta contingit, vel per exceſſum in accipiendo, vel per defectum in erogando, vel per nimium ad divitias affectum. Eſt vitium admodùm turpe & indignum viro Apoſtolico, animoque excelſo: quia, ut Tullius ait l. 1. offic. *nihil eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quàm amare pecuniam.* De amore iſto Apoſtolus 1 Timoth. 6. *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

Eapropter vitium iſtud valde damnabile eſt in Laicis, longè damnabilius in Clericis & maximè in Religioſis, quorum portio cùm Deus ſit, Deo ſervire debent, non mammonæ, non idolis; quibus, Apoſtolo teſte, avaritia ſervit. Avaritia quippe eſt *idolorum ſervitus.* Atque ideò *avaro nihil eſt ſceleſtius.* Eccl. 10. *Et nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam.* Ibid. Nihil quippe iniquius, nihil ſceleſtius quàm idolis ſervire, animamque ſuam venalem habere, proque auro dæmoni tradere. Hoc autem, Scriptura teſte, facit amator pecuniæ.

An non ergo pudor, homines Chriſtianos, Sacerdotes, Religioſos, Jeſuitas, inquam, ipſos etiam Jeſuitarum Superiores iſti vitio ſubjacere tam infami, tamque indigno Viris Apoſtolicis, quales ſeſe præconizant

Jeſuitæ! Annon pudor, inquam, inſatiabili divitiarum appetentia animum excelſum prorſus decedente, adeo ſordeſcere, ut nullum appetentiæ tam ſordidæ terminum imponant! Hoc vel ipſis Judæis vehementer exprobrat Spiritus ſanctus. Iſa. 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, uſque ad terminum loci! Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Et Baruch. 3. *Ubi ſunt Principes gentium, qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? ... exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt..*

Porro exceſſivam inſatiabilemque in Jeſuitis valdè multis, Jeſuitarumque Superioribus, divitiarum appetentiam tria invictè demonſtrant argumenta. Quòd utique 1. divitias immenſas, abſque termino, utroque in Orbe nitantur acquirere. 2 Quòd ad id nitantur per fas & nefas, id eſt per media etiam illicita, & probroſa. 3. Quòd ne tunc quidem finem faciant acquirendi, cùm acquiſitio non fit abſque diminutione divini cultus in Eccleſiis & Monaſteriis; vel non abſque neglecto pauperum ſublevamine. Poſtremum iſtud Illuſtriſſimus D. Palafoxius, Epiſcopus Angelopolitanus in epiſt. ad. Innocentium X. de die 26 Maii. 1647. hiſce verbis teſtificatur: *Jeſuitæ per potentiam ſuam ac divitias, noſtris,* inquit, *longè ſuperiores, nobis* (id eſt Eccleſiæ noſtræ Cathedrali) *velut per impetuoſi torrentis exundantiam, divini cultus ſplendorem ſuſtulerunt, Cathedraliumque Eccleſiaſticorum ſuſtentationem, noſtris nos decimis per continuas acquiſitiones ſuas ſpoliando.*

Nec ſola de eo conqueſta fuit Cathedralis Eccleſia Angelopolitana, ſed & aliæ ferè omnes Indiarum Catholico Regi ſubjectarum Eccleſiæ Cathedrales apud eundem Regem graviſſimas detulerunt querelas, ut videre licet volum. 4. Moralis practicæ Jeſuit. pag. 157. 158. 159. 160.

Et quot non Monaſteria, Prioratus, Eccleſias, in Germania & alibi, Benedictinis, Ciſtercienſibus, &c. per fraudes, impoſturas, mendacia, informationes falſas & violentias inauditas, partim ſurripuerunt, par-

tim ſurripere adniſi ſunt, in eaque ſeſe intrudere, ſuoſque in uſus ſic convertere, ut domos orationis, ſacrificii & pſalmodiæ, pecorum ſuorum opilionumque ſtabula efficerent, & converterent in culinarum miniſteria! Nec certè Monaſteriorum Prioratuumque bona, propter Monaſteria ipſa concupiſcebant (utpote in quibus nec regularum obſervantiam, nec divinam pſalmodiam, nec antè ſolitas pro fundatoribus preces perſolvere intendebant) ſed propter eorum bona, pingues utique reditus, terras, paſcua & prata, in pabulum pecorum ſuorum, & uſum culinarum convertenda, prout non obſcurè ſignificavit P. Joannes Theodorus Lennep, Jeſuita, in epiſt. quam 2. Octob. 1629. conſciis Rectore ſuo, & Præpoſito Provinciali, ſcripſit ad Illuſtrem & generoſum D. Hermannum Baronem à Queſtemberg, cognatum ſuum, S Cæſareæ Majeſtati à Conſiliis Aulicis, ipſum enixè rogans, ut Patronum ageret Societatis, ad finem acquirendi Collegio Societatis Moguntino duas Abbatias, Mariencroon Ord. Ciſtercienſis,&Clarental Ord. S. Claræ, pro ratione allegans, quòd multæ ex iſto Monaſterio utilitates Collegio Moguntino forent proventuræ, *maximè ob paſcua & prata, quæ habet multa.*

Verùm generoſiſſimè generoſiſſimus D. Baro ipſi reſpondit, ſe optare quidem, ut ſeſe occaſio offerret, in qua Societatis fideliſſimum clientem ſe comprobare, Conſobrinique ſui poſtulata promovere poſſet. Verùm, inquit, *cavere convenit, ne, dum parti faveo, partibus præjudicem, dumque unius favore me conſolor, alterius me lachrymæ & ſuſpiria obruant. Ut quid enim morituri in ſupervacanea circumſpicimus, & cum ſanctiſſimorum Patrum, ac Ordinum Fundatorum injuriâ, plura ſemper concupiſcimus?* (Ecce quomodo inſatiatam Jeſuitarum avaritiam caſtigat, vir ille Dei) *Si quis, me ſuperſtite, Collegia... Societatis (interpretatione ſpecioſiſſima licèt*, id eſt ex ſpecioſiſſimo prætextu) in alium Ordinem *transferre ſatageret, an non jure merito concurrerem*, ipſique Jeſuitæ concurrerent, *ut quæ laudatiſſimi Anteceſſores pietate & ſtudio pararunt, ſucceſſori-*

ceſſoribus ſervarentur ? Annon jure merito rerum ſibi à Fundatoribus donatarum concupitores ſancto Patriarchæ ſuo Ignatio injurii, bonorum alienorum invaſores, juſtitiæ perturbatores, piæ voluntatis Fundatorum, Decalogique rerum alienarum concupiſcentiam vetantis, violatores audirent? *Idem hic. Conſcientia mihi duco,* (Idem conſcientiæ ſibi ducere ſocios oportet :.. quod enim ſibi nolunt fieri, facere prohibentur alteri) *Conſcientiæ*, inquam, *mihi duco, olim & jam ſanctitate illuſtribus, qui continuis ſæculis Eccleſiam ſuſtinent & adornant, pulſis & ejectis, aliis, quibuſcumque etiam, patrocinari, ut in hæreditates eorum introeant.*

In S. Benedictum, S. Claram, S. Franciſcum, D. Bernardum, magna cœli triumphantis ſimul & militantis Eccleſiæ ſidera, inſurgere trepido; nec familias eorum in terris licitè turbari aſſentior . . . Societati . . . cum aliorum bonorum injuria patrocinari nolim . . . Et amabo! . . . cùm . . . . Societas Regum ferè omnium Catholicorum, Principum, *Archiepiſcoporum, & maximorum Eccleſiæ Præſulum . . . liberalitate ſuſtineatur* , immenſiſque, Palafoxio teſte, divitiis abundet, imò tantis, ut ad ſupremi Principis potentiam ſatis eſſe poſſent; *quid neceſſum his proceſſibus, odio & invidia Orbis, propemodum ſpretis Chriſtianæ charitatis* ac juſtitiæ *legibus, tumultuari?*

Certè fundationes antiquiſſimas laudatiſſimorum Ordinum ſic deſpui, proteri, & in aliud quotidie transferri, omni etiam Fundatorum memoriâ abolitâ, & ſubtracto hæredibus in egeſtate ſubinde comprehenſis, ultimo perfugio, neſcio quam crudelitatis ſpeciem habet. Id verò ſi indulgetur, ego ſcandalizor, nec in pias fundationes conferre velim, licèt millies millena millia quotannis rationibus meis ſupereſſent. Hæreditatem ſi filiis relinquo, illi (modò ne decoquant) nepotibus; qui ordine ſuccedentibus pronepotibus. Nec intervenit, qui in alienam ſtirpem, proceſſu ſpecioſo, à me acquiſita transferre diſponat. Cur, ſi certæ Religioſæ familiæ aſſigno, illi poſt annorum & ſæculorum quietam poſſeſſionem jure exidant? Cur Religioſæ

gioſæ familiæ deteroioris erunt conditionis, quàm familia quælibet ſæcularis? *Theologorum profunda non intueor quidem*, *at* conſcius nimiam eorum ſubtilitatem in jure reprobari, *ſimplici meo ſenſu* RAPINAM *hoc eſſe interpretor :* nefas proinde eſſe aliena bona taliter in ſe transferre.

Enimvero *quorſum tam diræ execrationes Pontificum, Archipræſulum, Imperatorum, & Regum, in perpetuum irrevocabiliter (ut Diplomata loquuntur) pronuntiata in omnes; qui Religionibus ſacra,* ſeu ad canendas Dei laudes donata, *aliò convertunt, aut qualicumque interpretatione, ſive colore, transferunt, ſi eadem mox à facili aſpernati, irrita pronuntiamus ? Non miremur, ſi Chriſti in terris Vicarii denuntiationes, ſi tam dira anathemata, & jacta fulmina rideant, qui ab Eccleſiâ ſeceſſionem fecerunt; cùm & Eccleſiæ ſingulari prærogativâ filii*, aliis obedientiam erga Chriſti Vicarium tantopere prædicantes, ad eamque ſpeciali voto præ cæteris adſtricti, *idipſum, diverſa licèt facie, faciant?*

Quidquid ſit, non alieni ſolùm, aut hæretici, ſed & Orthodoxi, & inter eos magni & boni, ſcandalum inde patiuntur. Longè rectiùs ſancta Societas, & perenni in omnem poſteritatem laude faceret, ſi ſtudia ſua conferret, ad primi fervoris zelum in Ordinum Religioſis (ſi quibus in locis prolapſi) revocandum, ut plurium ope adjuti fructificarent in ædificationem; nec una ſolùm via, id eſt per ſeipſos ſolos, *creſcere Eccleſiam concupiſcerent. Magis, meo ſenſu, operæ pretium eſſet, ſi, datis dextris, jam antè approbatarum Religionum Chriſti ſervi, ſuccincti charitate, in caſtris Dei exercitati pugiles ſtarent. Nunc diſſenſus ille, & velut Antipathia Religioſorum, & Chriſti ſacerdotum* (quam cauſat ſuperbia, extollentia, zelotypia & concupiſcentia Jeſuitarum) *pluribus in ruinam eſt. Equidem ſubinde miror, quòd qui, ſpretis facultatibus, & omni ſpe ac deſiderio habendi projecto, nudi nudum Chriſtum ſequi praelegerunt, tam anxiè ſudent, & ætatis optimas horas impendant, quo familiæ ſuæ locos adjiciant.* Cùm, vel ipſius Senecæ judicio, *ſit intolerabilis res, poſcere nummos, & contemnere.*

In-

Indixiſti pecuniæ odium. Hoc profeſſus es. Hanc perſonam induiſti. Agenda eſt. Iniquiſſimum eſt te pecuniam ſub gloria egeſtatis (dicamus nos ſub voto paupertatis) ſine fine *acquirere*. Et pluſquam iniquiſſimum, aliis ſacrilegè ſurripere. Porrò, ut ſuprà dictum eſt ex Symmacho Papa, *ingens ſacrilegium eſt, ut quacumque vel pro remedio peccatorum, vel pro ſalute vel requie animarum ſuarum, unuſquiſque Eccleſiæ* alicui *contulerit, vel certè reliquerit, ab his, quibus hæc maximè ſervare convenit Chriſtianis..... in aliud transferri, vel converti permittatur.*

Sic enim *idem ſit à ſæculi hominibus & Religioſis, eodem proceſſu, etſi inumbrent, niſi quòd nocentiùs peccent ſub ſpecie boni, qui pietatis colore ſe veſtiunt*, aliena concupiſcentes & ſurripientes, prætextu finis boni, ut ſint, inquiunt, in ſuſtentationem plurium, ad fidei Catholicæ propagationem incumbentium; quem profectò in finem Apoſtoli nec concupierunt, nec ſurripuerunt aliena. Imò licèt poteſtatem haberent de Evangelio vivendi, ne quod tamen offendiculum darent Evangelio, *abdicarunt occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia...... ſed in manifeſtatione veritatis commendantes ſemetipſos ad omnem conſcientiam hominum* 2. Cor. 4. Unde ibid. c. 11. & 12. *ſigna Apoſtolatus mei*, ait Gentium Apoſtolus, *facta ſunt ſupra vos in omni patientia: &, ego non gravavi vos, nec ero gravis vobis: non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui, ſed ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.*

Cur mihi crimini datur (proſequitur Illuſtris D. Baro) *ſi uſurâ, fraude, aut quocumque illicito proceſſu rem proximi meam facere laboro, & mox Eccleſiaſtes aliquis inclamat: Non concupiſces rem proximi tui: ſi Chriſti ſervus ſine noxa, proximæ ſibi familiæ, eâdem reclamante, proteſtante, & non raro ad Dei judicium appellante, patrimonia extorquet, & ſibi ſuiſque adſcribit? Plura vellem* & poſſem adjicere, *ſed occupationes prohibent..... Nec paucula hæc voluiſſem, niſi crebræ, ne dicam continuæ plurimorum querelæ & dicteria in lauda-*

datiſſima Societatis inſatiabilem, ut loquuntur, cupiditatem, etiam quaſi invito extorſiſſent. Una hæc eſt, quam perpetuò, etiam optimi quique, in Patribus Societatis culpant. Si deſideria (putant quos dicò) ſine proximi injuria moderatè urgerent, & res ſuas magis ſtabilirent, &, majori Dei benedictione concurrente, bonorum omnium auxilio abundarent, dicturi cum ſanctiſſimo ſuo Franciſco Xaverio, Satis eſt, Domine, ſatis eſt.

Tam ſolidis argumentis ſuffulta fuit illa Epiſtola, ut ei Jeſuitas ſe reddere oportuiſſet, atque à propoſito deſiſtere. Verùm ardore concupiſcentiæ ſuæ faſcinati, non ſolùm non reſipuerunt, quin potiùs dato ad eundem Illuſtrem Baronem prolixiſſimo reſponſo, totaliter inverſo bonorum Theologorum officio, pertinaciter & inſipienter contenderunt, Imperatorem ſub æternæ damnationis reatu, teneri acquieſcere deſiderio & petitioni ipſorum, Conſiliarioſque Imperatoris ad id ipſi modis omnibus ſuadendum. Cur amabo! Quia, inquiunt, Imperator tenetur in conſcientia procurare Catholicæ Religionis incrementum: Catholicæ verò Religionis incrementum meliùs procurari non poteſt, quàm ſi plurimi ſint adſcripti militiæ ſeu Societati Jeſu. Ergo Imperator in conſcientia tenetur id procurare. Ac per conſequens Societati procurare media, quibus Socios multos alat, veterum Monachorum ac Virginum Monaſteria Jeſuitis concedendo.

Deus immortalis! quàm pœnales cœcitates ſpargis ſuper illicitas cupiditates! Quantam in Jeſuitis cœcitatem demonſtrat deridiculum iſtud argumentum! Defecerunt ſcrutantes *ſcrutationes, & conſilia mala. Quid eſt quod dicis, ô infelix aſtutia?* Tenetur, inquiunt, Imperator curare propagationem Catholicæ Religionis. Sit ita: Quæritur 1. an eam curare teneatur per media illicita, injuſta, ſacrilega, Benedictinis, Ciſtercienſibus, Franciſcanis, Carmelitis &c. ſua Monaſteria ſurripiendo, ut ea dèt Jeſuitis, non ea mutaturis in melius, ſed ex adverſo Jacob (de quo Geneſ. 28. ſcriptum eſt, quòd *videns ſcalam, erexit lapidem in*

ti-

titulum, fundens oleum deſuper) reſervatâ ſibi olei pinguedine, titulum erecturis in lapidem, Monaſteria convertendo in prædia, ſponſam in pediſſequam, Dominam in ancillam, liberum in mancipium, domum orationis in domum negotiationis, domum pœnitentiæ & mortificationis in domum recreationis vitæque mollioris, domum divinæ Pſalmodiæ, in qua Dei laudes diu noctuque quotidie cantabantur, in domum à qua divina exulat pſalmodia; domum hoſpitalitatis in domum qua vix amplius exercetur, imò interdicitur hoſpitalitas; domum denique largarum in pauperes eleemoſynarum, in domum, in qua eleemoſynarum largitas vel modica vel nulla eſt. Igitur ne tantorum inconvenientium, aliorumque ab Illuſtri Barone Queſtembergio commemoratorum Imperator ſit cauſa, Jeſuitis, ſi ita lubet, det bona ſua, v. g. Carinthiam, non aliena, præſertim Eccleſiaſtica, ad ipſum non pertinentia. Si enim fas ipſi non ſit Jeſuitis aliena donare bona laïcalia, ea legitimis Dominis & poſſeſſoribus ſurripiendo, multò minus Eccleſiaſtica, Deo conſecrata, ea legitimis dominis ac poſſeſſoribus, ſanctis utique veterum Ordinum Patriarchis, Benedicto, Bernardo &c. ſurripiendo.

Secundò quæritur, an Catholicæ Religionis propagationem Imperator procurare teneatur per Jeſuitarum duntaxat multiplicationem & ditationem, ita ut vera & Catholica fides aliter procurari non poſſit, vel certè non tam benè. Hoc quidem Jeſuitæ, propriâ ſolùm æſtimatione tumeſcentes prætendunt, ſe utique ad id præ cæteris idoneos eſſe. Sed contra Jeſuiticam iſtam arrogantiam & ſupra alios extollentiam, *reclamant Apoſtolorum Acta, & quindecim ſæculorum experientia, Societate necdum nata* (uti ſapienter obſervat R. P. Hajus in Horti Cruſiani confiniis pag. 359.) *reclamat & totus ſeptentrio, veterum Monachorum operâ, ſequentibus ſignis, ad veram Chriſti fidem perductus,* quemadmodum & Anglia tota, totque aliæ Nationes. *Quis enimverò Ampliſſimum Angliæ Regnum luci veritatis adjunxit, præter Monachos à S. Gregorio Magno ſub-*

ſubmiſſos? Inquit Author ſuſceptæ Cæſareæ defenſionis. *Nonne S. Gerardus, Hungarorum Apoſtolus, & Monachus extitit? Nonne Adalbertus Bohemorum, Rupertus Bavarorum, Kilianus & Burchardus Francorum, Ewaldinus Saxonum, Lambertus Belgarum, Stephanus Sueciæ, Wictperius Friſiæ, Alba Vaſconiæ, Benedictus Poloniæ, alter Adalbertus Ruſſorum & Wandalorum, Amandus Brabantiæ, Wicfridus Hollandiæ, Otho Pomeranorum, Anſgarius Danorum, Bonifacius denique totius ferè Germaniæ & Friſiæ Apoſtoli, & columnæ fidei* abſque Jeſuitis *extiterunt?*

Et quot non hæreſes, abſque Jeſuitis, debellarunt Hieronymus, Auguſtinus, Leander, Anſelmus, Lanfrancus, Bernardus, Dominicus &c.? Quot non earum Diſcipuli? Audiri hìc meretur ſanctioris memoriæ Vir Baptiſta de la Nuza in libello ſupplici ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem: *Infinitos propemodum Albigenſes, tum diſputatione, tum prædicatione, tum impleto per S. Dominicum Inquiſitoris officio profligavit* Ordo Prædicatorum. *Subinde agente & promovente S. Petro Martyre, recentes Manichæos, in univerſa Lombardia graſſantes fudit. Poſtmodum Sabatharios, urgente S. Raymundo de Pennafort, in Catalonia debellavit. Tum Alberti Magni, & S. Thomæ Aquinatis glorioſis laboribus, Guillelmum de S. Amore, ejuſque gregales, nec non hæreticos flagellantes exagitavit. Innumeros ſubinde Begardos, Beguinas, & Fratricellos, toto Orbe dominantes, variorum Inquiſitorum induſtria, exilio & igne damnavit. Demum Religioſiſſimi P. Bartholomæi à Martyribus, ejuſque Sociorum zelo, integram hæreticorum regionem in Armenia vocavit ad fidem, teſte ſummo Pontifice Innocentio VI. Nec minora deinceps, ad hæc uſque tempora, ab ipſis geſta*, in Indiis, in Japonia, in China, in Turcia &c. demonſtrare in promptu eſt. Non ſine ratione ergo Philippus Bergamenſis, Auguſtinianus, ſacrum Prædicatorum Ordinem *fluvio Tigris, magno impetu profluenti* comparavit; quòd videlicet adverſus hæreticos, perverſaque dogmata, ſummo ſemper impetu decertavit. Sancta quoque Tereſia, *varias inter re-*

revelationes, quibus à Deo donata eſt, videt aliquando FF. Prædicatores evaginato gladio plurimam hominum multitudinem interficientes; ipſique cælitùs ſignificatum eſt, eo ſymbolo ſtragem adumbrari, quam adverſus hæreſes illaturi erant, ſicut refert Ribera Jeſuita, atque ex ipſo La Nuza.

Nec hìc prætermittenda verba pientiſſimi Contenſoni Theol. Ment. & Cord. to. 6. l. 9. de Deo homine Diſſert. 9. c. 2. Specul. 3. *Nondum nobis licuit ita inſanire, nec, Deo dante, licebit unquam, ut credamus* Ordinem *noſtrum eſſe turbam phœnicum, vel Angelorum Societatem,* præ cæteris Ordinibus idoneam ad fidei propagationem. *Homines nos eſſe ſcimus, humani à nobis nihil alienum putamus; & poſt exantlatos per quadringentos annos vitæ Apoſtolicæ labores, poſt devictos Albigenſes, poſt prædicatum Barbaris Evangelium, poſt promulgatum Chriſtiano Orbi Deiparæ* Roſarium, *poſt præſervatas ab hæreſum peſte, beneficio Inquiſitionis, Hiſpanias, & Italiæ Regna, poſt ſanguinem fuſum, poſt partos Theologiæ Scholaſticæ & Myſticæ Principes, Aquinatem & Granatenſem........ poſt illa, inquam, ſervos nos inutiles dicimus, peccatores nos ultrò agnoſcimus, ignorantiâ veri, difficultate recti, heu nimium laborantes, ſinceriſſimè profitemur.*

Eadem eſt filiorum ſancti Franciſci, tam benè etiam de Eccleſia meritorum, humilitas, qui etiam ſeipſos ad hæreticorum converſionem cæteris magis idoneos non prædicare, licèt longè plures hæreticos converterint, quàm Jeſuitæ, qui licèt tam numeroſi tamque divites in Germania, in ea ne unam quidem Provinciam, imò nec unam civitatem demonſtrare poſſunt, quam ad fidem Catholicam reduxerint, quia Apoſtolicis armis ad hoc non utuntur, prout Franciſcani, à quibus nedum integræ Civitates & Oppida, quin & ſuperior Palatinatus totus (aliàs totus Calviniſmo abſorptus) adeóque plurimæ animarum myriades, ad avitam ſeu catholicam fidem reductæ ſunt, ut videre licèt in libro *Lucerna fidei* inſcripto.

At, inquiunt Jeſuitæ, exhauſtis jam ærariis alia media

dia alendæ Societati non ſuppetunt, niſi per Abbatiarum bona. Verùm cur Societas, præ aliis Ordinibus, Dominicanorum, Franciſcanorum &c. alenda eſt Abbatiarum bonis? Alendis Sociis non deerunt media, ſi ſupervacanea non deſiderent, ſolis neceſſariis contenti; ſi etiam plures Religioſos Societas non admittat quàm alere poſſit, prout Tridentinum jubet. Ad alendos ergo Socios, neceſſe non eſt ut operiatur unum altare altero diſcooperto; nec ut auferatur Ordinibus antiquis, quod novis detur; nec ut veteres operarii dimittantur, ut novi conducantur. Nec certè Apoſtolica eſt illa Sociorum prætenſio, qua cibum ante laborem habere volunt. Heus, Apoſtole, verte ſtylum, ſi novos illos operarios conducere velis. Noli ſcribere, *Qui non laborat, non manducet*, ſed *qui non manducat, non laboret. Pro pudor!* inquit Hajus, *nunc fides retardatur, & hæreſis fovetur, niſi ante prædicationem menſa paretur. Suſpecta eſt omnis prædicatio, quam præcedit poſſeſſionum deſignatio. Et quid dico, poſſeſſionum deſignatio? Etiam charitatis & juſtitiæ violatio. Quid ergo mirum, ſi tota nocte laborantes nihil capiunt Jeſuitæ, qui retia non laxant in verbo Chriſti....... Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus?......... Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nec retia laxant in ſpiritu Apoſtolico: *argentum, & aurum, aut veſtem, aut bona nullius concupivi*, inquit Apoſtolus; quæ ſi concupiviſſet, Gentium Apoſtolus non fuiſſet. Aliis enim ſuadere cœlum, & hæreditatem alienam in terra concupiſcere, non eſt errantes ad Deum reducere. Unde nec Apoſtolorum, aut Diſcipulorum Domini quiſquam hoc fecit; imò ipſis *ſine pera & baculo* dimiſſis, totum ferè terrarum orbem ſubjecit. Si ergo Jeſuitæ Germaniam convertere velint, hæreditatem alienam non concupiſcant, nec temerè aſſerant Imperatorem in conſcientia teneri ad eam ipſis donandam. Rectiùs & veriùs Imperator in Epiſt. ad Principem Savellum 14. Aprilis 1629. ſcripſit: *Inter alia quæ pro officii noſtri Cæſarei munere nobis incumbunt, illud quàm maximè ſpectamus, ut in* Ger-

Germania noſtra diverſorum errorum ſectarumque tenebris disjectis ac diſcuſſis, Majeſtatem primævam Religio catholica recuperet &c. Atque hunc ſcopum cùm faciliùs Nos conſecuturos exiſtimemus, ſi Monaſteria & loca Sacra & Religioſa, temporum injuriâ profanata, vel in alios uſus converſa, ſuis quæque Ordinibus, quibus debebantur, & à prima fundatione dicata ac conſecrata ſunt, ET NON ALTERI (non proindè Jeſuitis ea concupiſcentibus) *authoritate noſtra Cæſarea reſtituantur.*

At ſaltem propagandæ Religionis bono conſultius eſt (replicant bonorum alienorum avidi Jeſuitæ) iis in locis ſtare Collegium Societatis, ubi ſtat Monaſterium Monialium privatim viventium. Quid verò, reſpondet Hajus, ſi conſultius ſit utrumque ſtare? Hic Martham domum curſitare, ibi Magdalenam Chriſti pedibus inhærere. Duæ ſorores erunt, non unica, non Magdalena mutata in Martham; extincta non fuit, quæ partem elegit meliorem. Nomen ſororum, charitatis nomen eſt, non cupiditatis. Soror non eſt, quæ ſororem cupit extinctam, mortuam, abolitam, ut ipſa ſuperſtes utatur hæreditate ipſius. Melius eſt ambas vivere, conſultius etiam Religioni conſervandæ & promovendæ: nam etiam Virginum Deo dicatarum miniſterio fides Catholica promovetur, hæretici debellantur. Quemadmodum enim *in bello non illi ſolùm milites laude digni ſunt, qui palam brachia manuſque cum hoſte conferunt, ſed etiam qui cuniculos occultiſſimos moliuntur, aut eos pulvere nitrato ſummo cum ſilentio complent; ita nequaquam illi ſolùm credendi ſunt operarii, in excolenda vinea Chriſti Domini qui pro roſtris perorant, qui ſcholas & templa clamoribus implent, ſed etiam qui precibus intra cubiculum ſuum veluti cuniculos agunt, quibus hoſtis tartarei munimenta ſubruuntur, ut cæteri cum emolumento laboris utiliùs operentur* (verba ſunt authoris ſuſceptæ contra Jeſuitas Cæſareæ defenſionis c. 6. n. 4. obſervatione profectò digniſſima) *Quid enim? An non tibi videtur Moyſes fuiſſe miles, quando pugnantibus contra Amalecitas Iſraëlitis, ipſe in mon-*

monte expanſis brachiis orabat , & quoties brachia remittebat laſſus , ſuperabatur Iſraël , quoties iterum extendebat manus , victor evadebat ? Quis dicat Moyſen ſibi ſoli, Deoque vacaſſe ? Ita nequaquam vita Virginum aut Monachorum otioſa credenda eſt , quantumvis quid agant foris non appareat. Nam & ii lapides in muro vel maximè tectum ſuſtinent , quos occultos nemo tuetur. Convertunt Indos alii, Perſas aut hæreticos alii, Magellanici freti accolas iterùm alii. Nihil aliud omnes agunt , quàm quòd contra dæmonem , juratum hoſtem animarum , pugnent hi milites generoſi. Quis ſcit , ſi non forſan hanc ipſiſſimam victoriam obtinet in obſcuriſſimo clauſtri angulo Carthuſianus , vel Capucinus aliquis orans , aut alius occultiſſimus Dei amicus , vel caſtiſſima Chriſti Sponſa ; qui ſi orare deſinerent , ſuccumberent omnes ii , qui ſe ſolos in campo milites opinantur ? Fortaſſis tota Germania dudum in fumum abiiſſet, niſi calentes Monachorum , Virginumque Deo dicatarum lachrymæ ſuſtentaſſent.

Deſinant igitur Socii ſeipſos præ cæteris idoneos jactitare ad procurandam infidelium & hæreticorum converſionem : deſinant, more Phariſæorum, tubâ canere ante ſe , deſinant minima etiam quædam opera , per ſuos præſtita , longaſque converſorum (in Canada v.g.) vulgare ſeries commentitias, per annuas litteras ſuas (vulgo *Nova Jeſuitica*) in Galliâ adeò falſas deprehenſas , ut vulgari prohiberentur. Aliorum potiùs Ordinum ſeſe imitatores exhibeant, qui nec per urbem nec per Orbem ſe per ejuſmodi commenta glorioſos oſtentant, nec minima iſta, v.g. numerum confeſſionum quas exceperant; communionum apud ſuos &c. per inſertos catalogos vulganda tranſmittunt , nec ejusmodi fabellis apud devotas ſibi perſonas gloriolam captare amant; ſed contenti ſunt ſic lucere coram hominibus, ut videantur opera ſua bona, & glorificetur Pater qui in cœlis eſt.

Et quamvis majora hactenus in Orbe Chriſtiano præſtiterint quàm Jeſuitæ, ne tamen vana gloria tot bonorum operum merita evacuet, ſatius eſſe credunt,

neſcire ſiniſtram ſuam, quid faciat dextera, contenti Deum, omnium remuneratorem, nihil latere. Nec operam ſuam Eccleſiæ adeo neceſſariam exiſtimant, ut ſine ipſis fides Catholica propagari non poſſit, nec hæreſes debellari, nec pravi fidelium mores corrigi. Imò poſt impleta omnia, ſibi à Deo, ab Eccleſia, & ab Ordine ſuo præſcripta, ſervos ſe inutiles fatentur (prout Contenſonus ſuprà ſuorum nomine fatebatur) ſibique alios, non ſe aliis ad iſtos vel illos effectus, præferunt. Aliorum proinde Ordinum Monaſteria non concupiſcunt, nec ſibi, ſuiſque laboribus & induſtriis tribuunt eas quas facere videntur, animarum converſiones, ſed aliorum potiùs lachrymis, gemitibus, ſuſpiriis, orationibus & mortificationibus; memores veritatis quam Alfonſus Rodericus to. 3. exercit. tr. 1. c. 3. pulcherrimis hiſce verbis optimè deſcripſit: *Multis Concionatoribus ſacris ſpirituales filios Coadjutores & Laici*, aliorumque Ordinum Religioſi ac Religioſæ *auferent, & ſibi vindicabunt. Hos quidem illi ſuos eſſe putant; ſed in die judicii apparebit, non eſſe ipſorum*, ſed proximè memoratorum. *Et Joſeph verum Chriſti Patrem non eſſe, ſed putatitium. Videntur quidem eſſe filii ſpirituales Concionatorum, vel Confeſſariorum; putantque homines converſi illos Patres ſuos ſpirituales eſſe. At poſtea apparebit eos nonniſi lachrymis atque oratione fratris alicujus Coadjutoris*, ſeu alterius ſervi vel ancillæ Dei, *prognatos eſſe: Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt*, 1. Reg. 2. *Qui prorſus videbatur ſterilis, & infrugifer*, otioſus, & nullius ad aliorum ſalutem utilitatis, *plurimos poſt ſe trahet filios. Et contrà, qui patris dicebatur nomine, multoſque habere filios videbatur, fortaſſe ne unum quidem proprium habere invenietur. Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ, magis quàm ejus quæ habet virum. Iſa. 45. & Galat. 4. Si enim feceris quod debes, fieri poteſt, ut pluribus ſpiritualibus filiis circumcingaris, quàm celebres Concionatores & Confeſſarii; teque poſtea miraberis, tantis filiorum manipulis vallari. Et dices in corde tuo:*

Quis

Quis mihi genuit iſtos? Ego ſterilis, & non pariens. Iſa. 49. Ego non ſum prædicator, non confeſſarius, non doctus. Et iſtos quis enutrivit? Quis eos mihi dedit? Dicam: Oratio, ſuſpiria, lachrymæ & gemitus; deſiderium enim pauperum exaudivit Dominus.

Iſtæ rationes, ſicut & aliæ octodecim proximè ſubjiciendæ, pluſquam ſufficiunt ad damnandam, exterminandam, & reformandam inſatiatam Jeſuitarum cupiditatem aliena ſibi Monaſteria acquirendi. Neque enim excuſant eam futiles rationes, quibus eam colorare nituntur; imò damnabilem oſtendunt in ipſis oculorum extollentiam, qua ſeſe ad fidei Catholicæ propagationem, hæreticorumque converſionem adeò neceſſarios exiſtimant, ut ſine multiplicatis, & optimè dotatis ipſorum Collegiis, alii non ſufficerent, vel certè ipſis minùs utiles & idonei eſſent; cùm oppoſitum manifeſtè demonſtratum ſit. Tanto proindè magis vana eſt exiſtimatio iſta, quanto minùs in vera ratione & experientia fundata.

Quid ergo dicendum de doctrina Laymanni, Lamormanni, aliorumque Sociorum, qua ipſos non puduit, falſum & ſcandaloſum aſſerere Cæſareum Ferdinandi II. Edictum anno 1630. quo ſtatuit ſuis quæque Ordinibus reſtituenda in Imperio Monaſteria, per hæreticos deſolata, Monachis indè depulſis, vel per mortem extinctis; Cæſaremque in conſcientia, ſub gravi obligatione teneri, ex Monaſteriis illis *Collegia ac domicilia quàm plurima Patrum Societatis in quibuſvis Germaniæ partibus inſtituere, fundare, & dotare?* Dicendum, quòd doctrinam iſtam damnabilem exterminandamque eſſe, RR. PP. Benedictini in *Aſtro inextincto*, in *Aula Eccleſiaſtica*, & in *Horto Cruſiano*, aliiſque libris apertè demonſtrarint. 1. quia contrariatur communi fidelium ſenſui, piaſque Chriſtianorum aures offendit. 2. quia ſcandaloſa eſt, & impeditiva ſimilium piarum fundationum. 3. quia nova, & hactenus in Eccleſia inaudita 4. quia falſa & ſacrilega. 5. quia ultimas piorum hominum voluntates, jure gentium ſubſiſtentes, Fundatorumque Anniverſaria, eleemoſy-

moſynaſque fundatas tollit, impugnat, ſubvertit. 6. quia pugnat cum juſtitia. 7. quia nec in canonico nec in civili jure fundata, imò utrique contraria. 8. quia adverſatur communi ac receptæ DD. ſententiæ. 9. quia adeò à recta diſcrepat ratione, ut vel ipſi Doctores acatholici contrarium tueantur. 10. quia Chriſtianæ charitatis eſt offenſiva. 11. quia multipliciter pugnat cum Apoſtolicis, Imperialibus, & regiis piarum fundationum confirmationibus, quibus Ordinis in Monaſteriis illis perpetuitas decernitur. 12. quia pugnat etiam cum Concordatis Nationis Germanicæ, inſiſtentibus juri communi & gentium. 13. quia paci Religionis, & tranſactioni Paſſavienſi adverſatur. 14. quia incentiva eſt turbarum & motuum in Imperio Romano, aliiſque Provinciis ac Regnis Orbis Chriſtiani. 15. quia ſubinfert, acatholicos, elapſo decennio, civilem Monaſteriorum adverſus Regulares poſſeſſionem præſcripſiſſe: nemo quippè civilem decennio poſſeſſionem perdit, quin aliàs rein detinens, eam acquirat, præſcribatque. 16. quia vergit in excidium Ordinum antiquorum, Monaſticæ Virginitatis, & Eccleſiaſticæ in Monaſteriis Pſalmodiæ. 17. quia in hora mortis nimis eſt periculoſa, ob fundatorum injuriam, & incurſam indignationem Cælitum, pro quorum Ordinibus piæ fundationes factæ ſunt. 18. quia magis defenditur ex cupiditate, quàm ex charitate, magis, inquam, ex avara alienæ hæreditatis concupiſcentia, quàm ex veritate & juſtitia.

Iſta omnia ſolidiſſimè probantur in libris ſuprà memoratis, contrariaque argumenta pari ſoliditate profligantur. Mirum proinde quòd avara bonorum alienorum concupiſcentia Socios adeò excæcaverit, ut ea nec concupiſcere, nec invadere deſtiterint, Imperatore per informationes falſas circumvento. Medio utique in lumine non viderunt lumen, nec animadverterunt ſeſe hoc pacto bonorum virorum exiſtimationem amittere, thetaque nigerrimum bono nomini ſuo inferre, & ſcandalum ingens cauſare.

Nam & tres Prioratus Ordinis S. Benedicti in Alſatia,

ſatia, ſancti utique Valentini, S. Jacobi, & S. Martini, nec non Abbatiam *Aula regia* nuncupatam, in Bohemia, & alteram *Dominæ noſtræ Heremitarum*, in Helvetia, per fraudes & impoſturas (to. 2. Moralis pract. Jeſuit. perſpicuè demonſtratas) & alias plurimas in Germania concupierunt, ingentique cum ſcandalo invaſerunt (ut videre eſt ibidem, ſicut & in Aſtro inextincto, Hortoque Cruſiano R. P. Haii Benedictini) inauditaque barbarie, violenter ejectis Sanctimonialibus, cum ipſorum etiam acatholicorum ſcandalo, occuparunt earum Monaſterium Woltigerodenſe in Saxonia, prout irrefragabilibus teſtimoniis demonſtratum videri poteſt in Horto Cruſiano à pag. 251. ad 274. ſignanter ex teſtimonio Reverendiſſimi Domini Abbatis Cæſarienſis in epiſt. ad P. Lamormannum è Soc. Jeſu, Imperatoris Confeſſarium, de data 30. Maii 1631. in qua ſic: *Luſum luſiſtis mirabilem, Patres mei, quem luſum, ab ipſis quæ materia luſus fuerunt, deſcriptum appoſui; qui luſus quaſi formam Paſſionis Dominicæ cum tempore malè ſortitus eſt;* Sabbato namque Palmarum luctuoſus ille luſus accidit. *In quo tamen duo mirabilia concurrerunt: Alterum, fœmineum ſexum Jeſu perſonam indutum fuiſſe, & ſuſtinuiſſe: Alterum, nomen Jeſu profitentes, cum ſuis ſatellitibus, non Jeſum, ſed verosimiliùs Judæos* Jeſum *perſequentes & protrahentes exhibuiſſe.* O *Societas Jeſu! Hæc Societas Jeſu! Non hìc pluribus memorandis immoror: ipſæ litterarum copiæ fuſiùs præclarem pugnam conteſtantur. Quæ occupationes Monaſteriorum mei Ordinis, ſub prætextu fictitiæ donationis vel ceſſionis, Patribus Societatis factæ, cujus me, alioſque Reverendiſſima P. V. inſimulavit.... initium ſumpſerunt.... contra quam donationis ſeu ceſſionis Reverendiſſimæ P. V. aſſertionem.... ante hac conteſtatus & proteſtatus ſum, illam non factam cum veritate aſſeverando.*

Quibus omnibus ſuppoſitis, Societas Jeſu nihilominus noſtra Monaſteria occupare, noſtroſque inde ejicere, non ſine præcedente jactu alearum militarium, auſa eſt, quantumvis ipſimet milites ab tali procedendi modo horruerint, multique Catholicorum & hæreticorum ſcandali-

zati fuerint. Quæ damna per falſas ſub & obreptiones Ordini meo illata, ſilentio præterire nequeo, iterum iterumque conteſtando, citra veritatis injuriam de me dici vel ſcribi non poſſe, quòd unquam vel ſcripto, vel dicto, Patribus Societatis Monaſteriorum Monialium mei Ordinis, ab hæreticis recuperandorum, & obſcuriorum virorum donationem vel ceſſionem fecerim.

Quam ob rem Reverendiſſimam P. V. per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti rogatam volo, quatenus in ſua Societate eò collaborare dignetur, ut Monaſteria tali intuitu..... à Societate occupata reſtituantur, ne Angeli pacis ultra amarè flere non deſinant. Reſtitutio ſi ſecuta non fuerit, media competentia pro reſtitutione non deerunt.

Ecce quomodo per media illicita, ingenti cum aliorum Ordinum injuria, fideliumque & infidelium ſcandalo, divitias ſuas augere Jeſuitæ concupiſcant, per falſas utique informationes, quibus ſupremos Imperii, & ſubinde Eccleſiæ Principes circumveniunt, ab iiſque Diplomata ſub & obreptitia ſurripiunt. Nec ſine diminutione divini cultus, hoſpitalitatis, & largitatis eleemoſynarum in pauperes, quæ ex annuis proventibus Monaſteriorum illorum ampliſſimæ in pauperes quotidiè erogabantur: ſed apud Jeſuitas iſta miſericordiæ opera longè minùs uſitata ſunt. Apud ipſos etiam uſitatum non eſt quotidianum Miſſæ ſacrificium, ſolemniter decantatum, nec divina Pſalmodia, cæteraque pietatis exercitia, à Religioſis antiquis practicari ſolita. Et ſic pereunt piæ fundationes, pereunt & antiqua frequenter Monaſteria, ſeu ipſorum fabricæ ad ſolum paulatim corruunt; ſolis verò Monaſteriorum reditibus & bonis ampliſſimis Jeſuitarum Collegia ditantur, alieniſque, etiam ingenti pauperum cum damno, locupletantur, & nunquam dicunt cum S. Franciſco Xaverio, *Satis eſt, Domine.* Tametſi enim aliunde ſatis habeant ex Regum, Principum & hominum divitum liberalitate, nunquam ampliùs non concupiſcunt. Tametſi etiam ſuis Collegiis tot beneficia uniant, tot fundos ac reditus, tot divitias acquirant, ut teſte P. Mendoza Jeſuita, nullus unquam homo, in univerſa ter-

rra, cujuſcumque ſpiritus, & quamlibet pecuniarum vidus, tot & tantas divitias concupierit, quantas vel olius Luſitaniæ Regis magnifica liberalitas in ſinum ocietatis effudit. Tametſi denique divitias tantas in troque Orbe Jeſuitæ poſſideant, ut cæteris Religioſis mnibus ditiores ſint: eas nihilominus in dies augere ătagunt, terra marique contra ſacros canones, & frequenter repetitas ſummorum Pontificum inhibitiones negotiando.

Quæ cauſa fuit Illuſtriſſimo ſanctæ memoriæ D. Franciſco Palu, Epiſcopo Heliopolenſi, uno ex Vicariis Apoſtolicis in Miſſionibus Orientis, vulgandi tractatum inſcriptum, *Religioſus Negotiator, ſive Diſſertatio brevis, in qua quæritur, An Societatis Jeſu Religioſis liceat in Indiis Orientalibus negotiari.* In cujus parte priori ſolidiſſimè demonſtrat, Religioſis Societatis Jeſu negotiari minimè licere, idque ipſis per Concilia & Canones, per ſummos quoque Pontifices vetitum eſſe, prorſuſque contrarium ſtatui Clericali & Religioſo, atque inſuper ei quem Religio Societatis ſpecialiter profitetur, maximè in Miſſionibus, ad quas à Sede Apoſtolica mittuntur tanquam Evangelii prædicatores, non tanquam terreni negotiatores.

Poſteriori in parte validiſſimè refellit ea quæ ab ipſis in contrarium objiciuntur, concluditque negotiationes quas faciunt, omnino indecoras, dedecentes, & indignas eſſe ſtatu ipſorum, admodùm etiam ſcandaloſas, nec ullo prætextu excuſabiles à peccato mortali. Quod confirmat ex Bulla Urbani VIII. de anno 1633. quâ eas ipſis diſtrictiſſimè prohibet, ſub graviſſima excommunicationis pœnâ. Cui Bullæ cùm debitam, licèt voto ſpeciali promiſſam, non deferrent obedientiam, eam Clemens IX. alterâ Bullâ, *Paſtoralis officii*, anno 1669. confirmavit, ipſorum negotiationes declarans ſcandaloſas, animarumque ipſorum jacturam inferentes. *Et quia*, inquit, *in præmiſſis, & circa eos delinquentes, ut plurimum prætextu neceſſitatis pro eorum Miſſionibus ſe excuſare præſumunt* (volentes habere quod manducent, antequam laborent, contra præcep-

tum Domini, *Quærite primùm Regnum Dei &c.) excuſationes hujuſmodi eis nullo modo ſuffragari poſſe, vel debere, decernimus ac declaramus.*

Nec dubium quòd in eo ſint ſingulares: neque enim aliarum Religionum Miſſionarii hoc faciunt, ſed ſoli Jeſuitæ, in eo certè non imitatores Apoſtolorum, ſed ab Apoſtolico ſpiritu prorſus alieni. *Quæ* enim *alia Religio* (exclamat ſanctiſſimæ memoriæ Angelopolitanus Epiſcopus Palafoxius in epiſt. ad Innoc. X.) *Quæ alia Religio, Pater Beatiſſime, à primis Monachalium, ſeu Mendicantium, ſeu quarumcumque Religionum initiis, in Eccleſia Dei telonium exercuit, pecuniis fœneravit*, cambium palam exercuit, *& in ſuis propriis domibus macella, & alias impuriſſimas officinas in propatulo habuit? Quæ alia Religio foro boniſque ceſſit, & profanis commerciis & contractibus maris terræque totum ferè Orbem, maximo ſæcularium ſcandalo & admiratione complevit?* Certè hæc omnia, *& iſta ad ſæcularia commercia propenſio, non ab eo videtur inſpirata, qui dixit*: Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ; *& per Apoſtolum ſuum*: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſpiritualibus.

Et quid inde contigit in confuſionem ipſorum? *Luget, S. P. Hiſpalenſis populoſiſſima Civitas, complorant viduæ Bæticæ, pupilli, orphani, deſertæ virgines, honeſti ſacerdotes & ſæculares, à Religioſis Jeſuitis deceptos ſe eſſe inclamando, qui plus quàm quatuor centum (quatuor utique centum & quinquaginta) millibus ducatorum miſerabilium iſtarum perſonarum dilapidatis & expenſis in proprios uſus, bonis foroque ceſſere. Et totius Hiſpaniæ graviſſimo ſcandalo de hac fraude Jeſuitis conventis & convictis (quod in quocumque non Religioſo eſſet capitale) ipſis exemptione Eccleſiaſticos gaudere Eccleſia contendentibus, & Conſervatores aſſignantibus, tandem cùm ad regium Caſtellæ Senatum cauſa fuiſſet delata, deciſum fuit, in ea Jeſuitas tanquam laicos coram judicibus laicis eſſe conveniendos, quia videlicet laicalia exercebant commercia & negotiationes. Et hodie grex ille pauperum ſuas pecunias, alimenta, dotes, peculia, per ſæcularia tri-*

ibunalia contra Jeſuitas expoſcentes, eoſdem de fraude ·lentiſſimè incuſant & infamant.

Quid dicent Batavi hæretici, P. B. in illa Provincia r littoribus Gaditanis, ubi hoc accidit, frequentiſſimi? Quid Brittanni & Germani Negotiatores, qui bonam fidem i contractibus ſervare, & integra & candida fronte 1utuò inter ſe contrahere præſumunt? Profectò Catholi-am & Romanam fidem, Eccleſiaſticam diſciplinam, acerdotalem Ordinem, Regulares, ſanctiſſimas profeſ-iones mordebunt, irridebunt, & contumaciores & du-iores in ſuis erroribus permanebunt.

Et nonne pudet, P. B. viros profeſſione perfectos, ſan-ctos, ſacerdotes, prædicatores, communes (ut ipſi ajunt) Eccleſiæ Magiſtros, de talibus exceſſibus coram laicis incu-ſari? Et Eccleſiaſticam immunitatem, & Inſtitutum ſuum, etiam contractibus ſæcularibus maculare, diſper-dere, & profanare? Et tandem exemptione jure divi-no ſacerdotibus conceſſa, ſicut bonis etiam foro cedere? Hæc omnia laicalia & illicita quæ alia Religio egit? Quis Ordo Eccleſiaſticus exercuit? Quæ in Eccleſia Dei Sacer-dotum Societas (præter hanc ſanctiſſimam Jeſuitarum Societatem) Deo, & temporalium rerum contemptui di-cata, patravit.

Et hæc adeò omnibus patent, ut allegationes, accuſa-tiones, declamationes hujus cauſa, per omnium manus, non tantùm in Hiſpania, ſed & in aliis Orbis Chriſtiani partibus & provinciis, ubi fama, ſive potiùs infamia ſcandali hujus pervenit, circumferantur, ut per Illuſtriſ-ſimum Hiſpaniarum Nuntium Apoſtolicum poterit ſuæ Sanctitati evidentiſſimè conſtare.

Quemadmodum & omnibus evidentiſſimè conſtat, Jeſuitas ubique (etiam Romæ, ut audio) campſoriam negotiationem palam exercere. Conſtant pariter ex actis authenticis grandes injuſtitiæ, doli, fraudes, mendacia Jeſuitarum adverſus Religioſas Urſulinas Metenſes, prout videre licet to. 1. Moralis pract. Je-ſuit. pag. 171. & ſeqq. ubi etiam pag. 195. & ſeqq. ex actis pariter authenticis demonſtratur graviſſima alia injuſtitia, quâ nobili cuidam Hiſpalenſi ingentem ſum-

manu ſurripuerunt, ad cujus reſtitutionem per ſupremum Caſtellæ Senatum compulſi fuerunt. Alias inſuper plurimas eorumdem fraudes & injuſtitias eodem in tomo curioſus lector videre poterit.

Nihil proinde mirum, quòd divitias immenſas utroque in orbe poſſideant, qui tot modis, etiam injuſtis, tot etiam cum ſubtilitatibus, & vulpinis adinventionibus (quarum exempla ubique præbent) eas corradunt, & abſque termino quotidie nituntur acquirere. Teſte namque Palafoxio, in priore ſua ad Innoc. X. epiſtola de die 25. Maii 1647. poſſeſſores ſunt omnium penè divitiarum, fundorum, opum ferè omnium Americæ ſeptentrionalis; in eaque adeò divites ſunt, ut duo ſola Collegia ipſorum trecenta poſſideant millia ovium, præter armenta boum, aliorumque animalium. Et licèt Cathedrales Eccleſiæ, & unà cum ipſis alii Religioſi Ordines vix tres poſſideant Saccharrarias, ſola una Societatis provincia, decem duntaxat Collegiorum, ſex ex majoribus poſſidet, valoris plurimorum millionum, quarum nonnullæ quotannis ipſis centum referunt ſcutorum millia. Nec tamen ibi finis. Nam inſuper opulentiſſimas poſſident villas triticeas, tam prodigioſæ extenſionis, ut quamvis altera ab altera quatuor, imò & ſex diſtet leucis, ſeſe invicem nihilomius terræ contingant. Nec tamen his ſatiati, tanto cum exceſſu ſuas in dies adaugent divitias, ut ſi quo procedunt pede procedere pergant, cæteros Eccleſiaſticos, ſæculares ac regulares, ipſos etiam ſæculares laïcos redigent in neceſſitatem apud Socios mendicandi.

Et tametſi decem illorum Collegiorum tanti ſint annui reditus, ut, facto eorum computu, quiſque Sociorum in iis degentium facilè habere poſſet quotannis bis mille quingenta ſcuta: incredibili aviditate, & dexteritate, tum negotiando, tum novas & novas poſſeſſiones acquirendo, divitias ſuas ſuperaugere non ceſſant, etiam modis prorſus dedecentibus & indecoris, publicas utique cum in finem mercium congeries, publicos mercatus, publica in domibus ſuis macella tenen-

endo; nec commerciis, etiam vilioribus, ac prorſus indignis abſtinendo, cæteros denique, nedum Eccleſiaſticos ac Regulares, ſed & ſæculares ad pauperiem redigendo. De quibus teſtimonium omni exceptione majus Illuſtriſſimus Palafoxius Innocentio X. reddit in epiſt. ſuprà laudata, ipſum propterea humiliter atque inſtanter rogans, ut tantis malis remedium, tamque exceſſivis, Cleroque & populo tam diſpendioſis acquiſitionibus moderationem adferre dignaretur; maximè cùm Eccleſiæ Cathedrales, per immoderatas illas acquiſitiones, ſuas paulatim decimas, ſuam proinde ſuſtentationem, divinique cultus intertinentiam amittant. Eò quod in Europa quidem Eccleſiæ Cathedrales diverſa habeant bonorum genera, ex fidelium donationibus, ſummorum Pontificum conceſſionibus, & Principum ſæcularium largitate, ita ut divites ſint in poſſeſſionibus, prædiis, reditibus, aliiſque bonis mobilibus & immobilibus: aſt non ſic in America, in qua Cathedrales Eccleſiæ alios non poſſident reditus, nec alia bona, præter decimas, per S. Sedem Regibus Catholicis conceſſas, & ipſorum pietate Eccleſiis Cathedralibus, pro ſubſtantiali præbendarum portione, divinique cultus ſplendore attributas; quibus proinde per Jeſuitas ſpoliatæ, ſpoliantur omni ſuo reditu, & ſuſtentatione. Continuis verò novorum prædiorum acquiſitionibus ſuis, decimas ex illis provenientes ſibi, cum Eccleſiarum illarum depauperatione & injuria, acquirere prætendunt Jeſuitæ. Et ideò injuriam illam Cathedralibus fieri Clemens VIII. & Paulus V. per Bullas ſuas compulſi fuerunt ſeriò prohibere. Verùm quia iis (privilegiorum ſuorum prætextu) Jeſuitæ ſe ſubmittere renuebant, privilegia illa pro Hiſpaniarum Regnis, anno 1626. Urbani VIII. Bulla revocavit, Jeſuitiſque injunxit, ut rem tam juſtam & ſanctam deinceps ſolverent, licèt pro præterito vigeſimam duntaxat.

Verùm enimverò in Hiſpania novâ, aliiſque Indiarum Regnis, ab Hiſpania dependentibus, ne iſti quidem Pontificiæ Bullæ Jeſuitica potentia ſe ſubmiſit; imo ad-

verſùs Palafoxium, pro Cathedralis Eccleſiæ ſuæ decimis juſtiſſimè decertantem, perſecutionem horrendam (poſtea deſcribendam) ſuſcitavit.

Nec hìc abſque ratione de Jeſuitica loquor potentia, dum agere propoſitum eſt de Jeſuiticarum divitiarum inſatiata cupiditate. Ad quid enim Jeſuitis tam immoderatæ ſerviunt acquiſitiones? Quem in finem tam immenſas divitias congregare amant, & congregandi finem non faciunt, niſi ut per divitias magis & magis creſcat potentia ipſorum, & adverſus omnes, Jeſuiticis prætenſionibus adverſantes, divitiarum prævaleant potentia, dum prævalere non poſſunt ratione & juſtitia? Ut per aurum, inquam, & munera ſibi devotos, ſuiſque prætenſionibus devinctos habeant Tribunalium Miniſtros, Regum ac Principium, ipſius etiam Romani Pontificis familiares & Aulicos; atque hoc pacto ſupra Epiſcopos, imò etiam ſupra Canones, & ſupra ipſamet Pontificia & Regia Diplomata ſeſe erigant, omnibuſque ſeſe formidabiles reddant. Hoc eſt quod Didacus de Monroi, Collegii Angelopolitani Rector, non obſcurè ſignificavit. Cùm enim Domina Beatrix de Amanilla, dives Vidua Mexicana, neglectis pleriſque egenis, orphanis, & derelictis conſanguineis ſuis, legaſſet Jeſuitis pluſquam ſeptuaginta ſcutorum millia, Rector ille (unus ex præcipuis Illuſtriſſimi Epiſcopi Palafoxii perſecutoribus, qui Concilii Tridentini Decretorum executioni ſeſe opponebant) dicere non erubuit: *Diabolus Societatem auferat*. (devota profectò exclamatio!) *ad quid nobis ſeptuaginta illa ſcutorum millia in pecunia ſerviret, niſi ad lutes illas* (adverſus Epiſcopum, pro Tridentinorum Decretorum executione pugnantem) *devincendas?* Quod & ſanctus Epiſcopus iſte teſtificatur, adjiciens in epiſt. ſupra memorata, quòd ut electorum à ſe Conſervatorum aſſenſum conſequerentur, quatuor ipſis millia ſcutorum; Aſſeſſori verò Vice Regis, ut ipſum ſibi adverſus Epiſcopum conciliarent, decem millia largiti fuerint. Denique in epiſt. ad P. Thomam Hurtado, data in Burgo Oxomenſi 22. Maii 1654. teſtimonium perhibet, quòd in eaſdem.

ı lites; tam in Indiis, quàm Matriti & Romæ, enta impenderint millia, nec litigare ceſſaverint, ıe dum ſeſe viderint ubique condemnatos, impoſi-.que ſibi ſilentium perpetuum.

lec in ſola Hiſpania nova per divitias ſuas Re-ım Tribunalium Miniſtros, ipſos etiam Vice-;es ac Gubernatores ſibi conciliant; ſed & in ıguaia, Philippinis &c. uti per inſtrumenta authen-demonſtratur to. 5. Moral. Pract. Jeſuitarum. De-ıſtratur, inquam, Jeſuitas in Paraguaia immenſas idere divitias, ſibique (cum præjudicio Regis) ·opriare provincias multas, argentique & auri fo-.s ibi exiſtentes, ac per conciliatos ſibi Gubernato-per armatoſque milites Indos (quorum plura mil-ıabent ſibi ſubjecta) impedire, ne provinciæ illæ & næ in notitiam Regis, vel Epiſcopi veniant. De-ıe demonſtratur, quòd totam patriam illam, Ec-aſque Cathedrales ad inopiam redigant, ſoli ipſi › divites, ut ex ſola civitate Aſſumptionis (dum ɜa expulſi fuerunt ob intolerabiles exceſſus ſuos) quam quingenta ſcutorum millia aſportaverint, im ex villis & vineis ſuis, partim ex macellorum, cium ac negotiationum lucro comparata.

ı Hiſtoria quoque Illuſtriſſimi D. Philippi Pardo, hiepiſcopi Manilienſis, in Inſulis Philippinis (quæ ɜm extat tomo) Jeſuitæ convincuntur de avaritia gioſo ipſorum ſtatu prorſus indigna, quâ & illici-ıegotiationes publico cum ſcandalo exercuerunt, & ·etinere affectarunt duarum vel trium ſucceſſionum ıarum bona, quorum adminiſtrationem habebant, ve-xecutores teſtamentarii: eorum quippe rationem red-·noluerunt; nec parere ſententiæ Illuſtriſſimi Domini hiepiſcopi, legitimi iſtius cauſæ Judicis (qua ad red-lam de iis rationem adigebantur, ſub pœna excom-ıicationis ipſo facto) nec poſt denuntiatam publicè ›mmunicationem ſe gerere pro excommunicatis.

ı Europa etiam, ſive in Italia, Hiſpania, Germa-&c. divitiis congregandis Jeſuitica cupiditas neſcit ɜre modum. Admiratione dignæ ſunt adinventio-

nes ipſorum in iis ſibi coacervandis. In Germania quid adinvenerint, ſuprà eſt enarratum. Vix certè enarrare quis ſufficiat, quot fundos, pagos, vineas, reditus poſſideant, non ſolùm in Germania; ſed & in Boehemia, Hungaria, Polonia &c. In Italia Carolus Zani, filius Illuſtriſſimi D. Comitis Joannis Zani, Bononienſis, anno 1627. Societatem ingreſſus, poſt factam à ſe juridicam renunciationem bonorum omnium, quæ ipſi, quomodocumque obtingere poſſent; ad quæ nec ipſe nec Societas aliquid unquam prætendere poſſet, poſt annos undecim in Societate tranſactos; parente ſuo, & fratre Angelo comite vitâ functis, ſuperiorum ſuorum ſuaſu, de licentia Generalis ſui Vitteleſchi, è Societate egreſſus fuit., ut patris & fratris hæreditatem captaret, ſic tamen ut litteræ dimiſſionis è Societate ipſi conſignatæ non fuerint; niſi facto coram Reverendo P. Stephano Menochio Societatis Provinciali, voto redeundi in Societatem cum omnibus bonis ſuis, poſtquam negotiis ſuis finem, judicio Reverendi P. Vincentii Mariæ Bargellini ſufficienter impoſuiſſet. Sic enim voluere Patres, dimiſſionis litteras ipſi aliàs non conſignaturi. Facto itaque voto iſto Societatem egreſſus, accepta bonorum poſſeſſione, mutata voluntate, voti relaxationem Romæ inſtanter petiit ab Innocentio X. ſed eâ non obtentâ, ſeverè correptus, inſtante morte, Patrum diu noctuque ipſum obſidentium ſuaſu, bonis ſuis Collegio ipſorum Bononienſi teſtamento relictis, obiit. Poſt obitum Jeſuitæ manus injecerunt in bona, ſed lite adverſus ipſos à Comitibus Zani apud S. Rotam intentata, Jeſuitæ formidantes ne palam innoteſceret novellæ adinventionis votum, ſimulque inaudita avaritia ipſorum, mirabiliſque modus alienas invadendi hæreditates, ab Alexandro VII. ſignaturam impetrarunt gratiæ, quâ Rotæ Auditores juſſi fuerunt negotium amicabiliter componere. Facta compoſitione, boniſque in duodecim partes diviſis, ex iis quinque partes Jeſuitis, reliquæ ſeptem aſſignatæ fuerunt Comitibus Zani, nec tamen ab ipſis poſſeſſæ, niſi poſt mille moleſtias ſibi à Jeſuitis illatas.

In

In Hiſpania, præter ingentia patrimonia, & hæreditates unctiſſimas, quibus ex magnatum aliorumque liberalitate potiuntur, præter ſupradictas divitias immenſas quas in Societatem Regis Portugalliæ liberalitas effundit; ſi fides fratri Junipero de Ancona in ſua Conſultatione, ex Catholici Regis vectigalibus, quæ *privatis* hominibus oppignorata, vel redemerunt, vel expalparunt, & eblanditi ſunt, pluſquam quingenta aureorum millia quotannis captant in ſolis Caſtellanis Regnis, in quibus Luſitania, Valentia, Navarra, Aragonia & Catalonia non comprehenduntur. Quidquid de eo ſit, certum eſt ipſos Catholicis Regibus valde oneri eſſe, magnaſque ærariis ipſorum, etiam cum *Provinciarum* & civitatum damno maximo, lacunas facere: quippe exiſtimant ſeſe minus Eccleſiæ navare operam poſſe, ſi non omnibus rerum copiis & commoditatibus affluant. Neque unquam ſatiari poſſunt, quin poſtquam jam de victu abunde eis cautum eſt, *ſemper*, ſive in ſacram ſuppellectilem, ſive in commodiorem, & latiorem habitationem, ſive in hortorum amœnitatem, ſive in apparatum Comædiarum (quem niſi ſumptuoſiſſimum habeant, cadere fabulas putant) ſive ad conciliandos ſibi auro amicos, augendamque Societatis potentiam, ſeu denique alias ob cauſas minimè neceſſarias, ſtipes odioſè corrogant, burſas emungant, Principibus & populo plus oneroſi, quàm quiquam alii Religioſi: nam tametſi gratis docent, nihil hinc Principibus & populo compendii lucrique accidit; cùm aliter eorum opera uti nequeant, niſi maximis expenſis Collegia ipſis exſtruant, & vectigalibus ampliſſimis dotent. Nec tamen dotibus illis contenti, ſemper plura & plura petunt, hæreditateſque & legata vulpinis artibus ſibi captant, omneſque bolos cæteris Religioſis præripiunt.

Atque hinc, non è vulgo ſolùm, ſed & ex prudentibus, ex principibus etiam nonnulli, videntes tam multa pecuniarum in Collégia Jeſuitica ingredientium millia paſſim, egredientium verò nulla apparere veſtigia, theſauros ab ipſis colligi, rerumque novarum,

ſeu

ſeu turbarum fundamenta jaci, & adjumenta comparari non abſque fundamento ſuſpicantur. Cùm id ex antedictis ipſaque experientia probabile videatur, qua videmus Jeſuitas modis omnibus anniti, ut ab omnibus vel amabiles ſe exhibeant, vel ab iis formidabiles, à quibus non amantur.

Præterea, quòd ii qui è Societate egrediuntur, vel etiam dimittuntur, etſi millia multa ingrediendo contulerint, nihil egrediendo reportent, notum omnibus experientia facit. Lepidam ea de re hiſtoriam levandi tædii cauſa ex theatro Jeſuitico Pag. 66. hìc referre non injucundum erit. Filius fabri ferrarii Matritenſis Societatem ingreſſus duo ei ducatorum millia contulit. Verùm quia poſt tempus aliquod dimiſſus fuit, parens ipſius ſummam illam, juxta contractum cum Societate initum, repetiit. Sed apud judicem ſibi devotum Jeſuitica potentia impedivit ne aliquid obtineret. Id animadvertens, ſtratagemate obtinuit, quod ſententiâ non potuit. Jeſuitico namque habitu indutum filium ſuper incudem ferrum palam percutere juſſit, nec deſiſtere, quoadusque à Jeſuitis, pudore coram populo ſuffuſis ac deriſis, ſummam ſuam recepit.

Infinitus eſſem, ſi inſatiatæ Jeſuitarum cupiditatis exempla omnia proſequi vellem. Sequentia proinde ad finiendum prolixum hunc articulum ex eodem Theatro Jeſuitico adjicere ſufficiet. Primum ex pag. 241. quod capitale apud ipſos crimen ſit, dimiſſioneque dignum, ſi quis ex ipſis Chriſtiana erga legitimos ſucceſſores compaſſione motus, revocari faciat unctuoſum aliquod teſtamentum, ab alio Jeſuita in favorem Societatis impetratum. Quo in genere, Matriti accidit, quòd cùm ex iis quiſpiam fœminam prædivitem, cui erat à Confeſſionibus, gravi infirmitate laborantem, induxiſſet ad omnia bona ſua Jeſuitis, neglectis nepotibus ſuis, teſtamento relinquendo; idque alius illuſtris familiæ Jeſuita revocari, bonaque illa nepotibus indigentibus relinqui procuraſſet, eam ſolam ob cauſam (erat quippe alias in moribus irreprehenſibilis) protinus è Societate dimiſſus fuit.

Secun-

Secundum ex pag. 250. quòd ex Melita Inſula anno,
543. vel 1644. Jeſuitæ expulſi fuerint propter avari-
m ſuam, quâ frumenta ſua (quibus ſoli abundabant,
: quibus plena erant granaria Collegii ipſorum) in
blica egeſtate occultarunt, ut in extremitate cariùs
venderent; interim apud ſupremum Equitum Meli-
nſium Magiſtrum mentientes ſibi panem deeſſe, fru-
entumque ad panem emendicantes.

Tertium ex pag. 253. quòd ſimiliter ex Cochino,
diarum Orientalium Inſula, ejecti fuerint ob ava-
tiam ſuam. Quod ibi ſic deſcribitur: ex Civitate
oa Jeſuitæ Cochinum venerunt, ſpecie quidem Epiſ-
pum adjuvandi in converſione infidelium. Sed
amvis in principio id utiliter præſtiterint, poſtea-
am Indorum, loci incolarum, ſibi per hoc animos
nciliarunt, manifeſtum fecerunt ſcopum in quem
llimabant. Ab ipſis namque gemmas emere cœpe-
nt, cariori pretio alibi retrovendendas, quas ex quo-
m ibi lacu, magno cum labore Indi piſcabantur.
uem tandem lacum, arce in medio ejus conſtructâ,
ellicíſque tormentis, armatiſque militibus munitâ,
olenter occuparunt, Indoſque compulerunt ad gem-
as ſibi ſolis expiſcandas. Qua violentia cùm regio-
em illam ad extremam redigerent pauperiem: nec E-
ſcopo, arcis demolitionem præcipienti, imò nec
mmo Pontifici, nec Catholico Regi obedire vellent:
ngregato exercitu cum ipſis Epiſcopus conflixit, vi-
oriaque reportata, arcem deſtruxit. Cúmque nihilo-
inus Jeſuitæ (ſperantes lacus recuperationem poſt
piſcopi mortem) invito Epiſcopo in Inſula perſi-
erent, Epiſcopus, divino inſpirante Numine, ad ri-
m lacus veniens, verba iſta ad lacum protulit:
ametſi Miniſtrorum Dei minimus, indigniſſimuſque,
bi in nomine divinæ ſuæ Majeſtatis, authoritate ipſius
ibi commiſſa, præcipio, ne gemmas ultrà proferas,
uoadusque Jeſuitæ ex hac regione diſceſſerint. Quod ſi
s proferre perrexeris, Deum rogo ut ſuam tibi det ma-
dictionem, quemadmodum do tibi meam. Res miran-
: hiſce verbis ab Epiſcopo prolatis, aquis in ſeipſas,
ſeu

ſeu velut in centrum ſuum illicò regredientibus, gemmæ penitus diſparuerunt. Quo viſo Jeſuitæ, ſpe ſua fruſtrati (magis enim gemmas, quàm animas Indorum illorum quærebant) dimiſſo Cochinenſi Collegio Goam reverſi ſunt, ipſiſque egreſſis, reverſæ ſunt aquæ, gemmaſque in abundantia lacus, ut antea, protulit. Hiſtoriam hanc Joannes de Ribas Ord. Prædicatorum Magiſter, Theatri author, à Reverendo Adm. Patre Didaco Collado, ejuſdem Ordinis celibri Miſſionario Apoſtolico Granatæ ſe accepiſſe teſtatur.

Quartum ex pag. 311. quòd per avaritiam ſuam duos in Japonia Reges Chriſtianos amicos ſuos, Jeſuitæ perdiderint, Regem utique Omuræ, Protectorem ac ſuſceptorem ſuum, Regemque Arimæ, magnum benefactorem ſuum. Qua de re juratum teſtimonium Chriſtiani locorum illorum perhibuerunt in Memoriali ſummo Pontifici in Congregatione de propaganda fide, & ſupremo Indiarum Conſilio Matriti præſentato.

Quintum ex pag. 383. quòd Cartagenæ in Indiis (ubi menſam publicam habent, ſicut & in Provincia quæ apellatur *Quito*) volentes ſibi attrahere omne lucrum ex negotiationibus quæ fiunt inter duo iſta loca, habitaculum ſibi conſtruxerunt ad ripam fluminis magni, *Magdalena* nuncupati (*la Madelene*) ſub prætextu negotiatorum confeſſiones excipiendi, ipſiſque Miſſam faciendi. Nec multo poſt mercium officinas ædificarunt, atque exinde mercatores ſollicitarunt, ut mercium ſuarum ſarcinas in iis deponerent, eo prætextu: quòd ipſis pecuniam ad Cambium darent in Quito ſolvendam. Hoc quod volebant lucrum obtinentes, animum ad ampliora lucra applicarunt. Nam & mulos multos coëmerunt ad mercium vecturam in portum Barancenſem; quas ut inde in regiones ſibi bene viſas tranſportarent, & ſic lucrum omne cæteris negotiatoribus ſurriperent, ſexaginta naviculas in ſuprà memorato flumine magno conſtrui fecerunt, navim etiam Cartagenæ, quam mercibus onuſtam in Hiſpaniam miſerunt, cum mandato ut ex Hiſpania navis rediret per Angolam, inde cum ſexcentis Negris, ſeu mancipiis

ibi

coëmendis reverſura Cartagenam. Quòd cùm ita ſtum eſſet, Negros illos partim vendiderunt, partim naviculis ad remigandum collocarunt. Et ſic vectu-rum omnium per terram & aquam Magiſtri facti it. Sed de eo querelis ſupremo Indiarum Conſi-delatis, Jeſuitæ prohibiti fuerunt naviculas, & mer-im officinas habere, dumque Conſilii ſententia ex-ſtaretur, omnes naviculæ ipſorum ab antiquis vectu-rum Magiſtris igni traditæ ſunt Et ſic non ſine con-ione caſtigata fuit avaritia ipſorum.

Sextum exemplum, cum quo prolixum hunc arti-lum ſeu Clangorem finiemus, contigit etiam Carta-næ. Ibi palus erat quam à Rege Jeſuitica ſic poſtu-it concupiſcentia, ut Regi non expoſuerit valorem us. Rex exiſtimans modici eſſe valoris, Jeſuitarum nuit poſtulationi. Verùm à Civitate monitus quòd nuè valeret decem pataconum millibus, revocata con-ſſione paludem Jeſuitis auferri voluit, prout videre li-: Theatri Jeſuitici pag, 385.

Et quid eſt quod bono nomini ſuo tam malè conſu-it Jeſuitæ? An non ſciunt avaritiam ſuam, bonorum-e alienorum concupiſcentiam, unam eſſe ex cauſis blici erga ipſos odii? Si publicæ utilitatis forent a-intes, tam pretioſi non forent operarii, ſed ſatage-it, ut ſua opera quàm minimè homines gravaret. *populo conſulis*, ait Cicero, *remove à te ſuſpicionem vati alicujus commodi.* Nec ad majorem Dei glo-n, nec ad populorum ſalutem, eſt in Jeſuitis inſa-a illa divitiarum cupiditas. Si majorem ſuam po-s quàm Dei gloriam non quærerent, tantam divi-um potentiam non affectarent, ſed ſibi axioma au-m iſtud Clementis Alexandrini dictum putarent, *Deum nobis poteſtatem uſus dediſſe, ſed eam tamen* ı abſque termino, ſed *uſque ad id quod eſt neceſſa-n. Nam & uſum communem eſſe voluit.* Abſur-ı verò & turpe *eſt, unum lautè vivere*, ex alienis editatibus, *cùm multi* ex iis quos legitimos eſſe o-teret earum ſucceſſores, *eſuriant. Quanto enim oſius eſt multis benefacere*, vel certè ſuas ipſis hære-

ditates

ditates non ſurripere, quàm *magnificè habitare*, odioſaſque ſtipes in Societatem ſuam congerere? *Quantò autem prudentius in homines, quàm in lapides & aurum*, vel in odioſas lites *impenſas facere?* Hoc non attendunt Jeſuitæ, nec meminerunt ſuprà memoratæ ſententiæ Senecæ l. 2. de benef. ipſos velut digito demonſtrantis: *Eſt intolerabilis res, poſcere nummos*, & emiſſo voto paupertatis eos *contemnere. Indixiſti pecuniæ odium, hoc profeſſus es, hanc perſonam induiſti, agenda eſt. Iniquiſſimum eſt pecuniam ſub gloria egeſtatis* (quam Mendicantes Ordines profitentur) *acquirere*. Fortaſſis ideò conatibus ipſorum Deus non benedicit. Nam ſive rei familiaris gerendæ imperitia, ſive effuſa in lites, & conciliandos ſibi potentes amicos nimia ſubſtantia, ſive aliis de cauſis, tam ingentia plerique in Provinciis Jeſuitæ contrahunt debita, ut (teſte Mariana cap. 8.) *in ſola hac Provincia* (puto Toletanâ, de qua ipſe erat) *pluſquam ducenta quinquaginta ducatorum millia* Jeſuitæ *deberent. Non ſic*, inquit, *cùm reditus noſtri adhuc erant exigui. Tunc namque in noſtro eramus ære, nec alienis nummis paſcebamur. Nunc autem, poſtquàm divites facti ſumus, debitis penitùs obruimur.*

CLANGOR VIII.

Quintò, Reformandus eſt in Jeſuitis Aulicismus.

SI quibus artibus, quoque ſpiritu excitata & conflata fuit Societas, eodem aleretur & conſervaretur, uſque adeò non deficeret, prout eam deficere ſoli illi non vident, qui oculos habent & non vident. *Quod me attinet*, ait Mariana in operis ſui concluſione, *quanto magis mihi* (ob ætatem) *propinquus eſt dies judicii mei à Domino, tanto magis confirmor in ſententia, qua judico, quòd Opus hoc Societatis noſtræ, ſine dubio divinum, in terram abit, brevi abiturum in ruinam, niſi Deus ipſe, omnipotente manu ſua, ſuique filii, ſimplici filiali affectu, minimè intereſſato, dum adhuc tempus, ſeriò dent manum, & ad vivum reſecent infectionem ipſius, ne ulteriùs progrediatur.* Enim-

Enimvero notum omnibus experientia facit, quòd quicumque Ordines Inſtituti ſui rationem à Fundatoribus propoſitam, in rebus non parvi momenti reliquerunt, à ſcandalis immunes multo tempore non permanſerunt, & longè minori cum fructu, quàm in prioribus annis, in Eccleſia laborarunt. Non eſt ergo quòd quiſquam miretur, quòd Societas, ex quo à S. Ignatii Fundatoris ſui Spiritu & Inſtituto tot in præcipuis punctis receſſit, non ſolùm longè minori cum fructu, quàm in prioribus annis ſuis in Eccleſia Dei laboret, ſed nec à ſcandalis immunis ſit. Ipſimet enim Jeſuitæ Dilingenſes in placida ſua Diſſert. pag. 41. velut Caïphæ fata canentes, aiunt quòd *quamdiu Societas ſtabit in prima Regula Fundatoris ſui Ignatii, fructus optatos referet. Si inde dimoveri ſe patiatur, motu magno quatietur, nec Pontifex, nec Cæſar, nec amici, nec opes ſervare eam poterunt, Deo non probante.*

Inter puncta verò præcipua in quibus à primævo ſancti fundatoris ſui Ignatii ſpiritu, & vivendi formula, ſe dimoveri Societas paſſa eſt, præter ſuperbiam, invidiam, avaritiam &c. (de quibus hactenus dictum eſt) Aulicismus meritò computatur. Aulam quippe à ſuis fugiendam, ſuo eos exemplo docuit S. Ignatius, utpote qui (apud Maffeium l. 3. vitæ ipſius c. 1.) *peregrinis hominibus conditionem (ipſo Interprete) in Principum Aula quærentibus, negabat ſibi rem eſſe, niſi cum ſummi Regis Aula: ad eam ſi aditum optarent, daturum ſe operam, ut eſſent in intimis Regis amicis, ac familiaribus.* Et in libro cujus inſcriptio eſt, *Inſtructio ad Provinciales & ſuperiores Societatis*, inſtruct. 14. pag. 86. ſic loquitur: *Cautela eſt adhibenda, ne Principum & Magnatum Aulæ noſtris obſint. Itaque præcidantur familiarites iſtæ cum Principibus, quæ Societati noſtræ, niſi fortiter obſiſtamus, graviter minitantur.* Propterea inter canones ſecundæ Congregationis generalis Societatis, unus hiſce verbis Aulicismum ſuis interdicit: *Nec Principibus, nec Dominis aliis ſæcularibus, aut Eccleſiaſticis, aſſignari debet aliquis ex noſtris Religioſis,* qui

qui Aulas eorum ſequatur, & in eis habitet, ut Confeſſarii, aut Theologi, aut alio quovis munere fungatur, niſi fortè ad perbreve tempus, unius vel duorum menſium.

Nec ſine ratione magna: cùm Aulicifmus vitium ſit, quod Religioſos efficit ſæculares, imò ſæcularibus non rarò pejores, utpote hypocritas, quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, & plerumque carnales. Corruptio namque optimi peſſima. Quapropter in vita Petri Caniſii, teſtatiſſimæ virtutis & eruditionis Jeſuitæ, pag. 296. ſic habetur: *Anno 1592. prænobili ac pro Dynaſta* (Guillelmo Bavariæ Duci) *à Confeſſionibus erat Sacerdos de Societate, animorum tractandorum bene peritus, ſed qui frequentior erat in Aula, quàm diſciplina domeſtica, inſtitutiſque Ordinis conveniret. Eam ob rem tentaverunt Patres, ſi poſſent, hominem ab eo munere locoque, evocatum Romam, abſtrahere: nec quicquam erat profectum, niſi ut graviter Princeps offenderetur. Cauſa igitur vel tranſigenda, vel mitiganda, à Præpoſito Generali permiſſa eſt authoritati prudentiaque Caniſii. Dolebat Princeps bonum gratumque ſibi Confeſſarium tam ſubitò in Urbem evocari, & tanquam malè geſto munere deformari. Proferri jubebat, ſi quid ſubeſſet fraudis. Sin autem nihil explicaretur, aiebat nihil ſibi reſtare aliud, dum videret immerentem hominem tam durè tractari, quàm ut culpam in odium & invidiam domeſticam transferret. Tum Caniſius, gravem ac ſapientem diſputationem ingreſſus, palam oſtendit, quàm nihil bonæ frugis tantus Aulæ uſus Confeſſario ipſi, nec Socio, nec Aulicis, nec aliorum denique cuiquam afferret. De veneratione & obſervantia, quæ ſacris viris debetur, Aulicos multùm remittere. Mortales alios, ex quibus tam multos Satan æmulos & obtrectatores Societati ubique conciliat, exiſtimare nos Magnatum aſſentatores, & negotiorum publicorum captatores eſſe. Ipſos quoque ſapientes offendi, quòd pateremur hominem tam diu nequicquam foveri, delicatéque ali, ac ſubinde venanti etiam Principi adeſſe. Ipſum verò & ſocium paulatim degenerare à religioſa profeſſione in aulicam* (utinam hoc

ex-

experientia tam multiplex non doceret!) *denique rem cum* SOCIETATIS MORE LEGIBUSQUE PUGNARE. *Itaque id exempli nonnullis aditum ad licentiam pandere, ut cogitent aliquando ſibi quoque permitti poſſe, ut religioſam diſciplinam cum Aula deliciis commutent; aliis indignationem adverſus homines tales accendere, unde mutua charitas læderetur. Scire ſe Principem toti Societati optimè velle. Quare pro ſua clementia providendum eſſe, ne communi ejus bono privatam hominis cauſam anteferret. Nihil in Religioſorum familiis pernicioſius tentari poſſe, quàm ut obedientia, & Præſidum adminiſtratio convelleretur. Hæc vincula, hos nervos eſſe ſacrarum hujuſmodi Rerumpublicarum: qui ſi laxarentur, diſſolvi totum corpus, & membra diſſipari neceſſe eſſe. Ordinis ergo ſibi addictiſſimi patrocinium ſuſciperet, ac præſidum tueretur authoritatem. Fruſtra ipſos Principes, niſi conſervetur familiaris diſciplina in Cœnobiis, utiles inde operarios deſideraturos.... Principis ipſius dignitatem agi, velut ex Jeſuita unius conſilio ſe ſuoſque regat, ſtatuatque omnia.... Hæc omnia, cum gravitate modeſtiam, ſummamque obſervantiam, ac verecundiam, cum ſimplici libertate conjungens, ſic egit, ut ſapiens Princeps diſputationem omnem probarit, ac permiſerit, egeritque, ut Confeſſarius in Collegio verſaretur ex norma communi.... Niſi enim Confeſſarii ab Aulis procul abeſſent.... multo citiùs ipſi naufragium ſpiritus facerent, quàm Aulicos Chriſto piſcarentur: quod manifeſtis multorum exemplis videre eſſet.*

Idipſum rurſum aſſerit in epiſt. ad Præpoſitum ſuum generalem Everardum: *Si noſtri paulò diutiùs apud ſæculares Aulicoſque verſentur, ut nunc res nobilium..... comparata ſunt, plus in ſeipſis detrimenti, quàm in aliis ſpiritualis commodi experientur; & vix effugient, quin vel inviti ſubinde peccatis communicent alienis, in hac communi hominum licentia, corruptaque nobilium* hominum (etiam Principum) *diſciplina.*

A Caniſii judicio haud quaquam abiit Claudius Aquaviva, quintus Societatis generalis Præpoſitus: nam & Auliciſmum in Societate damnavit, & eo plures (etiam ſupe-

ſuperiores) Societatis ſupra modum ægrotare confeſſus fuit in libro inſcripto: *Induſtriæ ad curandos animæ morbos*, cap. 15. En verba ipſius: *Sæcularitas & aulicismus, inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, morbus eſt in Societate, & intra*, Sociis ipſis, *& extra*, Principibus & Aulæ Magnatibus *periculoſus*; *& iſtis qui eum patiuntur, & nobis* (ſuperioribus) *ferè neſcientibus paulatim ſubintrat* (tunc paulatim quidem, nunc impetuoſi torrentis inſtar ubertim ſubintravit) *ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandique* ad divinum obſequium hujuſmodi *homines* Societati; *ſed revera quærimus interdum* (tunc *interdum*, nunc, experientia teſte, *ut plurimum*) *nos ipſos*, & ſic ipſos nobis lucrifacimus, non Chriſto, *& paulatim ad ſæcularia deflectimus*, deflectentesque aſpendii efficimur, intus canentes, noſtriſque emolumentis velificantes, & ea quæ in mundo ſunt diligentes, opes ſcilicet, delicias & honores: quia à Principibus ditari, in Aulis ipſorum adſpectari, & palatinis deliciis ſaginari gaudemus. Et in alio libro, cui titulus: *Inſtructio pro ſuperioribus, ad augendum in Societate ſpiritum*, cap. 1. *Eſt & alia malorum radix longè periculoſiſſima, eoque periculoſior, quo minùs vulgò noxia cenſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occupatio* (præſertim in Aulis) *in quam ſuperiores ut plurimùm, ac variis nominibus, ſupra modum effundi ſolent. Per ſpeciem proximos lucrifaciendi, multis ſeſe viſitationibus implicant, iiſque non modò non neceſſariis, ſed parum etiam utilibus. Atque ita in his verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſcedant.* De quo etiam Mariana conqueritur in libro ſupra laudato c. 20. *Jeſuitæ*, inquit, *ſub pietatis ſpecie multis implicantur negotiis alienis, magiſque ſæcularibus, quàm ſpiritualibus* (quaſi ſcriptum non ſit: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. 2. Timoth. 2.) *Conciliant matrimonia, condunt ſæcularibus ſua teſtamenta, patrocinantur litigantibus; gratiam aliquam apud Magnates & Judices ambientibus ſuffragantur; proſpiciunt eis delicias, & domeſticas neceſſitates, ut propediem videantur ſuſcepturi etiam officium Majoris-domûs,* vel

vel Aulæ Præfecti apud Principes, niſi tamen id jam ſuſceperunt. Quin uſque adeo abuſus iſte rediit (proſequitur Mariana) *ut ſub Confeſſarii titulo multi Magnates, tam ſæculares, quàm Eccleſiaſtici, quocumque vadunt, aſſeclam habeant, aut in comitem habeant aliquem ex noſtris, non aliter ac ſi eſſent eorum ſacellani, vel capellani, ad ſacra in domeſticis eorum Oratoriis facienda. In ſola quidem Civitate Valliſoleti plusquam duodecim Patres in ejuſmodi negotiis occupantur . . . . Hinc porro multa parum nobis digna oriri ſolent. Nonnemo enim noſtrorum, fretus favore Magnatis, cui eſt à Confeſſionibus, minimè bonus Regulæ ſuæ obſervator evadet, & ſuperioribus ſuis adverſari non timebit, ſicut ſane quotidie experimur, &c.*

Ex his manifeſtum evadit, mala multa, eaque ingentia, ex Sociorum Aulicismo & ſæcularitate proficiſci. Præter recenſita namque à Caniſio, Aquaviva, & Mariana, ſignanter quòd inde Socii à vita religioſa ad ſæcularem & aulicam degenerare ſolent, Principum ingeniis & receptis Aularum moribus ſeſe accommodantes, ipſorum & Aulicorum ipſius gratia & favore frequenter abutuntur, non ſolùm ad profeſſionis ſuæ neglectum, excutiendumque obedientiæ jugum, ſed & ad oppreſſionem innocentium, virorum integerrimorum, ſuis ſuorumque placitis adverſantium; ad occupanda aliena Monaſteria, Seminaria, Collegia, Univerſitates; ad promovendum per fas & nefas quidquid ad rem Societatis facere poteſt; ad faciendum denique ſpiritûs naufragium. An non iſta omnia, quotidiana docet experientia? An non etiam quòd Principum ingeniis ſeſe accommodantes, & conſcientias ipſorum malè regentes (ut eos habeant ſibi faventes) peccatis ipſorum communicent, dum os habent, & ne principibus diſpliceant, non loquuntur; oculos, & non vident; pedes, & non ambulant, ex Aula ſeſe proripiendo. Nec clamare audent in gutture ſuo, quaſi tuba exaltantes vocem ſuam, ut Principibus annuntient ſcelera eorum, ad implendum boni Confeſſoris officium (ut cui dictum eſt, *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vo-*

cem tuam &c.) quin imò, ſive adulando, & placentia loquendo, eumque in finem divina præcepta ad ſalivam Principum inflectendo, ſive diſſimulando & tacendo, peccatorum ipſorum ſeſe participes efficiunt.

Denique multiplici ſpecie mala Jeſuiticus Aulicismus plurimos mortalium graviter offendit, Societatisque famæ & bono nomini non modicum infert præjudicium. Nam & ipſimet Socii plerumque in Aulicorum veniunt contemptum, dum cum corruptis corrumpuntur, cum inſipientibus deſipiunt, cum furioſis inſaniunt, & inter ſimias agentes, ipſis ſimiles fiunt. *In Aula* quippe *cadit corruptio & interitus, inibique eſt vana honeſti opinio, inanis gloriæ cupiditas, error & adulatio*, ait Clemens Alexandrinus Pedag. l. 2. c. 10. Præterea eum qui in Aulis verſari amat, oportet omni die ac nocte alienum ſumere vultum, Deique, ut placeat hominibus, non ampliùs eſſe ſervum. Dicit enim Apoſtolus: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Galat. 1. Dicit etiam Regius Pſaltes. Pſ. 52. *Deus diſſipavit oſſa* (id eſt fortitudinem) *eorum qui hominibus placent. Confuſi ſunt, quoniam Deus ſprevit eos.* Et Jacobus Apoſtolus c. 4. *Amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei. Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi* hujus (prout experientia teſte, velle ſolent Jeſuitæ Aulici) *inimicus Dei conſtituitur.* Et quamvis nihil eorum uſuveniret, adhuc S. Petri exemplo, fugiendæ Aulæ conſilium ſuſcipere deberent Socii Jeſu: nam is ſemel duntaxat Aulam ingreſſus, ter Dominum Jeſum negavit. Quid ergo mirum, ſi Socii, Aulæ addicti, à Jeſu abeant? Plùs namque S. Petro Dominum Jeſum amare credendi non ſunt, cùm ſui & amicitiæ Aulicorum adeo amantes ſint; nec Deo ſervire poſſint, & mammonæ; nec poſſibile ſit, ſi Hieronymo credimus, *ut quiſpiam præſentibus* & futuris fruatur, *ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, & in præſenti ac futuro ſæculo ſit glorioſus.* Quod quiſquis eſſe amat, non eſt profectò Socius Jeſu, imo veſpertilioni ſimilis, *nec in muribus planè eſt, nec in volucribus*, ut Varro loquitur, id eſt nec plane Aulicus, nec religioſus.

Quid

Quid ergo? *Erro*, aut *verbero*, vel *eſurio*; quippe *erronis eſt, aut verberonis, ut puto, aulas ſequi, vel eſurionis deniqne*, ait Diphilus Poeta Comicus. Hoc ſalem indubitatum, qui ejuſmodi eſt, Apoſtolicum non habere ſpiritum. *Neque enim fuimus aliquando in ſermone adulationis*, inquit Apoſtolus 1. Theſſ. 2. *neque in occaſione avaritiæ..,. neque quærentes ab hominibus gloriam, nec à vobis, nec ab aliis*. Quid nuper acciderit Confeſſario Sereniſſimi Principis Leodienſis, toti notum eſt Belgio & Leodio, ſi non Orbi toto. Quid verò Jacobo Rehingio, tametſi quarto Societatis voto ligato, in Aula Sereniſſimi Principis Neoburgici depravato, ſicut & Nicolao Coprevicio, videri poteſt in Relatione Alfonſi de Vargas. cap. 14. & 15. ubi duo exempla iſta Jeſuitarum in Aula corruptorum, alterum à primario uno è Cardinalibus, alterum ab Epiſcopo quodam, Magni Principis Legato, (teſte jurato) ſe accepiſſe conteſtatur.

CLANGOR IX.

Sextò, Reformanda Jeſuitarum adverſus inviſos ſibi Epiſcopos inſolentia, abſque veneratione Epiſcopalis dignitatis ipſorum.

VEl ſola Hiſtoria Illuſtriſſimi Palafoxii, ſanctæ memoriæ Epiſcopi Angelopolitani ingens iſtud Jeſuitarum vitium manifeſtum facit. Cùm enim Eccleſiæ ſuæ Cathedralis, ſuæque dignitatis, adverſus ipſos jura, cum inculpatæ tutelæ moderamine defenderet, adverſus ipſum, tanta cum audacia & inſolentia novæ Hiſpaniæ Socii inſurrexerunt, ut vix credituri ſint poſteri; nam & per libellos famoſos, ſatyraſque furorem ſpirantes, & per *maſcarades*, ut vocant, violentiaſque piis omnibus horrorem incutientes uſque adeo perſecuti ſunt, ut tandem ipſum compulerint fugere in montes. Cujus fugæ rationem ipſemet reddens in epiſtola ad P. Andream de Rada, Mexicanæ Provinciæ Societatis Provincialem (quæ integra videri poteſt Moral. pract,

Jeſuit. to. 2. pag. 307. & ſeqq. & ab ipſomet Palafoxio publico data fuit in ſua *Denfenſione Canonica*, & adverſus Jeſuiticas cavillationes & impoſturas defenſa to. 4. p. 3. ſect. 2. art. 1. 2. 3. 4. & 5. ſic ipſum alloquitur: „ Sat omnibus notæ ſunt rationes, quæ me ad „ fugam iſtam compulerunt, & quali cum violentia „ vos me perſequebamini, omniaque iſta Regna perturbabatis. Neque enim de ſola perſona ac dignitate mea quæſtio erat, ſed de publica pace & tranquillitate, Religioſis veſtris altè conclamantibus, *Melius „ eſſe quòd tota nova Hiſpania periret, quàm Societas „ jacturam faceret honoris ſui ac famæ.*

„ Sed quid eſt quòd aliorum Ordinum Religioſorum „ exemplo, Societatis honorem & famam in virtute „ non ſtabilitis (in humilitate ſcilicet, & veneratione „ Prælatis debita) ſed in vitio?

„ Quæ alia mihi cauſa fuit fugiendi in montes, niſi „ ut cum beſtiis viverem minùs crudelibus, quàm „ forent Religioſi veſtri, qui adverſus Concilium Tridentinum rebellando, Sacerdotes perſequebantur, „ Canonicos expellebant, Epiſcopos excommunicabant, Eccleſiiſque ſuis ſpoliabant, Paſtori cædem „ comminantes, ut, ipſo percuſſo, Magiſtri efficerentur gregis, violentiis veſtris expoſiti, pro eo quod „ Prælatum ſuum ſequeretur, injuriiſque ipſi illatis „ compateretur. Propterea ergo me ſubduxi, quia „ ſanguinem adeò non ſitio, quemadmodum Religioſi „ veſtri, qui per plateas cum bombardis, & armis excurrebant in capite ſceleratorum multorum, quos in „ domibus ſuis collegerant, ut Epiſcopale palatium „ meum invaderent, magis de patientia mea, quàm „ de viribus ſuis confiſi.

Et infrà: „ Religioſi veſtri jactaverunt ſeſe, quòd „ Epiſcopum compuliſſent ad fugam in montes, adjicientes quòd ſibi perſuadere non debebat, ſibi actionem eſſe cum Religioſis tunicæ griſeæ ..... quòd „ nigram ipſi tunicam haberent, potentiamque magnam. Quaſi habenda foret ratio potentiæ, quæ ſe „ ſpectabilem non præſtat niſi per ſubverſionem legum „ omnium,

„ omnium, rationis, atque Eccleſiaſticæ juriſdictio-
„ nis, cujus vis maxima exitium cauſat eâ uten-
„ tium.

Ante verò, Provincialem illum graviter increpaverat, quòd ſe protectorem exhiberet rebellium Eccleſiaſticorum ſuorum, qui ipſum mitrâ ſuâ ſpoliaverant, ac dignitate; eorum item, qui cenſuras ſpreverant Eccleſiaſticas, irregulareſque erant, ac ſuſpenſi; nec tamen deſiſtebant à divini officii celebratione, ſacrificiique oblatione in ipſorum Collegiis; nec non eorum, qui Prælato vivente Sedem ipſius vacantem declaraverunt, acceptis propterea à Jeſuitis permagnis pecuniæ ſummis, prout in lite probatum eſt; præterea eorum qui palam detrectarant obedientiam Prælato ſuo debitam, immemores jurisjurandi quod præſtiterant, dum præbendarum ſuarum poſſeſſionem acceperant; denique eorum, qui Vicarium generalem, alioſque Officiarios nominaverant, & confeſſiones excipiendi, prædicandique licentias dederant, vivente legitimo Prælato ſuo, tres Vicarios generales habente, qui vices ſupplerent, ipſo abſente: hoc pacto januam pandentes apertiſſimam infinitis ſacrilegiis.

In epiſtola quoque ad Innocentium X. de die 8. Jan. 1649. ſic ipſum alloquitur: *Sacerdotes, Beatiſſime Pater, ad Te miſſi.... me ab aſſertis* (Jeſuitarum) *Conſervatoribus...... excommunicatum* (*non aliam ob cauſam, quàm quòd in animarum ſalutem, & propugnationem eccleſiaſticæ juriſdictionis, & Decretorum Sacri Concilii Tridentini incumberem, ut Congregationi ſacræ ſuper hoc negotio à Tua Sanctitate aſſignatæ patuit*) *& aliis innumeris injuriis impetitum fuiſſe...... retulerunt, & ad alia ſcandala deveniſſe nuntiarunt. Verùm poſt eorum diſceſſum Religioſi Jeſuitæ majores turbas contra me, & dignitatem meam excitarunt, acriores ſeditiones commoverunt, & injuriis atrocioribus dehoneſtarunt, & Clerum meum ac gregem crudeliſſimè vexantes .... in majores anguſtias redegerunt.*

Cæco enim quodam quaſi furore perciti..... videntes meos ſubditos Conſervatorum ſuorum invalidis excommunica-

nicAtionibus non aſſentiri, ſed ſuo amabili Paſtori, vocem ejus in ſuis Edictis agnoſcentes, inhærere, ſe exiſtimantes contemptos, in maximam iracundiam exarſerunt, & niſi eorum libidini & arbitrio meam dignitatem & baculum paſtoralem ſubmitterem, de incarcerando Epiſcopo cogitarunt.

Cùm autem hoc non ea qua deſiderabant facilitate conſequi poſſe viderent (quia horror ipſe facinoris ad defenſionem ſui proprii Paſtoris populos excitabat) non tantùm alios Regulares, tanquam pro communi eorum cauſa, contra me convocarunt, ſed, quod gravius eſt, profanum & ſæcularem gladium (Comitis ſcilicet de Salvatierra Viceregis, qui mihi, totius Regni Viſitatori generali, in protectionem miſerabilium Indorum incumbenti, quos ſui Miniſtri maximè exagitabant, infenſiſſimus erat) etiam ingenti pecunia emptum, temeritate maxima exemptum, digladiantes, dignitatem meam, perſonam, gregem, armis, incarcerationibus Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, & aliis quamplurimis injuriis vexarunt; etiam hominibus flagitioſiſſimis armatis, dieque deſtinato (is autem fuit feſtum Corporis Chriſti, eodem enim die conveniens erat ut traderetur Epiſcopus, quo captus fuerat Epiſcoporum Epiſcopus) ut meam perſonam caperent, dignitate exſpoliarent, gregem diriperent. Interim juriſdictione Inquiſitorum ad id per ipſos conductâ (prætextu quod excommunicationes nullas Conſervatorum mei ſubditi parvifacerent) incarcerante Clericos & Laicos, & atrociora, niſi Conſervatoribus obedirent, minitante.

Dum hæc omnia à Religioſis Jeſuitis, & Conſervatoribus, & Tribunalibus ad id convocatis geruntur, ego, quantum adjuvante Domino potui, pro grege, pro fide, pro juriſdictione, pro Concilio, pro Apoſtolicis Conſtitutionibus & Regulis, quamvis ſolus, laborare non deſtiti, non tantùm Regulares cenſuris ſeveriſſimis terrendo, & ſæculares eiſdem fulminibus, & edictis, & epiſtolis, & voce, & ſermone, intra ordinem & obedientiam continendo, ſed etiam, cùm parum hoc proficeret (contemnebant enim Jeſuitæ cenſuras eccleſiaſticas, & vinculis earum innodati, ſuſpenſi, & irregulares, publicè celebrabant

bant

bant, ſacramenta miniſtrabant, invito Epiſcopo etiam in non ſuis Eccleſiis prædicabant populo, ſæcularium Confeſſiones audiebant) Viceregem, & Auditores Regios exhortatus ſum, ut aliqua congruenti moderatione & remedio, miſſis ad id aliquibus de meo Capitulo Commiſſariis, differentiæ iſtæ & diſcordiæ ſedarentur, ſalvâ tamen Tuæ Sanctitatis irrefragabili deciſione; & interim Republica quieta, fidelium eccleſia pacifica, & omnium ſuſpenſi animi ſententiam Apoſtolicam expectarent.

Sed Religioſi Jeſuitæ, P. S. gladio ſæculari armati... & omnibus penè Regni Tribunalibus variis artibus in ſuam poteſtatem redactis, nullam compoſitionem aut concordiam admittere volentes, Commiſſariis eccleſiaſticis ignominioſè dimiſſis, imò expulſis, non pacem, non inducias, ſed bellum cruentiſſimum indicentes, niſi me, meamque jurisdictionem, & baculum Paſtoralem, arbitrio ipſorum & ſuorum Conſervatorum, quos ego, tanquam Authores hujus miſerabilis ſchiſmatis, paulò antè anathemate perculſeram, ſubmiſiſſem, cædes, carceres, exilia, proſcriptiones, ſi aliter facerem, comminantur.

Ruptis ab eis honeſtæ concordiæ articulis, à me, ut tanta ſcandala vitarentur, propoſitis, acriùs Religioſi Jeſuitæ bellum contra meam dignitatem gregemque repetunt & inſtaurant, plures Clericos ſcilicet incarcerando, & hos honeſtiores, electum Epiſcopum de Honduras Vicarium meum generalem, virum doctiſſimum & honeſtiſſimum, manu ſæculari diriſſimè recludendo, & tandem meum gregem crudeliſſimè omnibus modis vexando, & iterum ardentiori affectu meam incarcerationem; aut extra Provinciam relegationem, diverſis machinationibus diſponendo.

Ad hos ſacrilegos conatus, P. S. iterùm excitati populi, Epiſcopum, propè ante Viceregem, & Gubernatorem amantiſſimum, jam tot petitum inſidiis, injuriiſque exagitatum intuendo, ad ſui Paſtoris & Miniſtri Regii propugnationem convolant, & mortem ſubire parati, & ſua etiam vita Paſtoris vitam defendere contendunt. Et ita diviſo Regno, & in partes diſtracto; brachio ſæculari, & Jeſuitis, & Conſervatoribus contra Epiſcopum & eccleſiaſti-

ſiaſticam jurisdictionem; populis autem & Clero pro juriſdictione & Epiſcopo contendentibus, in ſummum periculum redacta Reſpublica eſt.

Has inter anguſtias fluctuabat mens mea, æſtuabat animus, & conſilium hærebat, expoſcens à Deo, etiam profuſis lachrymis, ut viam mihi dignaretur aperire, quâ ſalva fieret pax publica, juriſdictio oppugnata, & vita petita. Deſerere enim eccleſiam, juriſdictionem & baculum paſtoralem Religioſis Jeſuitis ignaviter tradere, viliſſimum: armis autem & ſanguine filiorum ſpiritualium cauſam defendere, duriſſimum, & diriſſimum: nihil autem agere, ſed Conſervatorum iræ me meaque committere, nocentiſſimum & imprudentiſſimum eſſe videbatur....

Ideo utrimque anguſtias, utrimque pericula contuens, tanquam ſi in auribus perſonarent voces illæ Salvatoris, ſuos Apoſtolos & Diſcipulos in ſimili caſu docentis, fuga eccleſiaſtica victoriam, non bello mortem, aut populorum jacturam prætendendam eſſe (dicebat enim, Cùm perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam) ſtatui honeſtiſſima fuga, non autem gladio crudeli, & filiorum ſanguine defœdato, vitam & dignitatem meam propugnare.

Videbam enim adverſariorum mentes in id maximè tendere, ut meam caperent perſonam, aut in ipſa expugnatione perimerent, quâ captâ, aut peremptâ, & de mitra captivâ triumphum, & de grege ſpolia, & de cauſa victoriam reportarent. Percuſſo enim Paſtore quàm facillimè diſperguntur & oves; poſteaque falſis probationibus, & calumniis, & criminationibus adverſariorum, veritas Paſtoris indefenſa, & fama acquiſita cum ipſo corpore occiſo conſepulta jacerent....

Fugâ ergo Rempublicam ſalvam facere ſtatuens; & meis pœnis adverſariorum culpas, imo & iras, aut eludere, aut delinire conſtituens, ne populus innocens noſtris omnium erroribus plecteretur; commendato priùs grege æterno Paſtori, relictis etiam tribus Vicariis generalibus; ut, ſi fortè abſentes, vel legitimè impediti fuiſſent, unus pro alio eccleſiaſticam jurisdictionem defenderet. Scriptâ

etiam

etiam epiſtola Capitulo, in qua cauſas meæ ad tempus diſceſſionis narravi, & ad defenſionem eccleſiaſticæ juriſdictionis excitavi: duobus famulis tantùm, Secretario ſcilicet, & eo qui mihi erat à Confeſſionibus, comitantibus, exteros familiares per diverſas vias mittens, ut confuſione ipſa inimici mei diſtracti, ubi ego deliteſcerem ignorarent: in montibus quæſivi refugium, & inter ſerpentes, ſcorpioneſque, & animalia peſtifera (quorum hæc regio feraciſſima eſt) ſecuritatem & ſocietatem, quam in hac Religioſorum implacabili ſocietate invenire non potui.

Ubi poſtquam per viginti dies, non ſine magno vitæ periculo, & alimentorum penuria (aliquando enim ſolo pane tribulationis, & aqua lachrymarum paſcebamur) tandem in quodam parvo tuguriolo per quatuor menſes delitui, exquiſitiſſimis interim modis à Religioſis Jeſuitis quæſitus & pecuniâ maximâ expenſâ, ut inventus, aut baculum Paſtoralem traderem, aut me vitâ exuerent & occiderent. Ecce quàm procul à Jeſu itis, Jeſuitæ nomine, non re.

Hoc modo, hiſque periculis & anguſtiis ſalva Reſpublica fuit; &, ſi non pax ſpiritualis, ſaltem temporalis & publica reddita eſt regno. Nam ſpiritualis... ubi cum Jeſuitis res agitur, ſolùm à Jeſu Chriſto, & à Tua Sanctitate ejus Vicario, reddi ſtabilirique poteſt. Adeo enim terribilis eſt, ſi non reformetur eorum in Eccleſia univerſali potentia, adeo ampliſſimæ facultates, honores, divitiæ, ut omnibus dignitatibus, legibus, Conſiliis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus potentiores exiſtant; ita ut neceſſe Epiſcopis ſit (ſaltem in his partibus) aut in concertatione mori, & pia cauſâ cadere & ſuccumbere, aut ſuis nutibus obſecundare, aut ad minus ſummo diſcrimini, periculis, expenſis, incommoditatibus, falſiſque eorum criminationibus illaqueatis, dubium exitum de ſanctiſſimâ & juſtiſſima cauſa expectare.

Cùm ergo Viri Jeſuitæ fruſtra Epiſcopum carceri quæſiviſſent, gregem ipſius vexare, & miſerabiliter perſequi & affligere ſtatuerunt, ad hoſque ſequentes actus non ſine maximo populorum ſcandalo proceſſere.

Primò enim ſuos aſſertos Conſervatores, Religioſos Dominicanos, è Mexico in Civitatem Angelorum, ubi mea Cathedralis Sedes praeminet, maxima Fratrum ſuorum & Jeſuitarum comitante manu, incredibili pompâ, plurimis curribus ad eorum adventum congregatis adducunt, ignorantem etiam plebem Religioſis Jeſuitis monentibus, & per compita & plateas, equitando clamantibus, ut genua flecterent duobus illis fratribus Dominicanis, aſſertis Conſervatoribus (à me paulò antè excommunicationis fulmine & anathemate, ut prædixi, perculſis) ipſos aſſerentibus eſſe Papas, & Pontifices ſummos, & ut plus hæc ſuaderent, poſtquam ipſos cum Cruce proceſſionaliter extra clauſtra Fratres ſui Ordinis ſuſcipiunt, non tam ſuadent quàm jubent Jeſuitæ (qui eos conduxerant) erigerent tribunal, creare fiſcales, & Apparitores ac Notarios nominare.

Deinde per plateas galeris ſericis & violaceo colore exornatis, incredibili faſtu circumducunt, & etiam prope Epiſcopale palatium, ut majori contemptu de dignitate Epiſcopali triumpharent, maxima comitante Regularium caterva, cum ſuis apparitoribus & Miniſtris, curribus pluribus vecti circumambulant, & tandem omnia quæ ſanctum Concilium Tridentinum etiam legitimis Conſervatoribus prohibet, Conſervatores iſti intruſi patraverunt.

Deinde Tribunali erecto, & his omnibus ſumma jactantia geſtis, omnes eccleſiaſticos, & miſeros ſæculares variis modis & moleſtiis vexant, alios excommunicationibus, alios bonorum ſuorum diſtractionibus, alios ſæculari manu, exilio, vinculis, & injuriis, alios aliis artibus diriſſimè perſequuntur.

Doctorem enim D. Manuelem Bravo de Sobremonte, Cathedralis Eccleſiæ Theſaurarium; Doctorem D. Ludovicum de Vongora, antiquiorem Canonicum, Doctorem D. Nicolaum de Aſperilla Portionarium; Sacerdotes honeſtos & doctos, per manum prophanam ab Eccleſia & diœceſi relegant: Archidiaconum eccleſiæ Cathedralis Doctorem D. Ildefonſum de Cuevas & Avalos; Licentiatum D, Petrum de Angulo; Doctorem D. Andream de

Luci;

Luci; Baccalaureum Franciſcum de Requeſia, Capitulares & Sacerdotes, itidem viros eruditos & cordatos, fugâ ſalutem petere cogunt: alios etiam ſacerdotes & ſæculares partim incarcerant, partim relegant, partim in angulis latere compellunt, & populum omnem ſuis deſerre fidem invalidis cenſuris, & edictis, minis ſuppliciiſque intentant.

Hic actis ad cauſæ ſententiam illi Fratres Conſervatores in hac cauſa procedunt, declarantes, & publico edicto pronuntiantes, Epiſcopum, & ſuum Proviſorem Vicarium generalem injuriis affeciſſe Religioſos Jeſuitas, in expoſcendo ab eis licentias prædicandi, & audiendi ſæcularium Confeſſiones, & prohibendo, ut uſquequo eas exhiberent, à Confeſſionibus abſtinerent. Quamvis mihi certiſſimè conſtaret, eos neque meas, neque meorum anteceſſorum habere licentias.

Sententia ita lata, & in publicis eccleſiarum ſuggeſtis publicata, ad alia atrociora procedunt, minis, præmiis, & aliis artibus ſuadendo Capitularibus, imò & aliquos compellendo; ut Sedem vacantem publicarent, brachio ſæculari ad id implorato, & hoc præſentibus, imò & intra Diœceſim exiſtentibus Epiſcopo proprio, Proviſore, Vicario generali, non tantùm uno, ſed tribus, & his non obſtantibus declarat Capitulum populo, Sedem vacantem eſſe.

Jam hoc conſecuti Jeſuitæ, qui hæc omnia machinati fuerant, Juriſdictionem Eccleſiaſticam invadunt, uſurpant, dilacerant, adulterium ſpirituale committunt, nefarium altare contra legitimum altare erigunt, alios Eccleſiaſticos Officiales, Proviſorem, Vicarium generalem, etiam Vicarium Monialium nominant, & ab Epiſcopo nominatos amovent: & huic Capitulo Sede-vacante Jeſuitico prædicti Jeſuitæ licentias quaſdam confitendi & prædicandi ab alienis Epiſcopis obtentas, (ex quibus quatuor tantùm erant meorum Anteceſſorum) & certa privilegia, quæ ad terras infidelium (quales hæ non ſunt) & hæc temporalia, & ſuſpenſa, & finita, dicto Capitulo exhibent. Et tandem documenta hæc talia qualia, quæ noluerunt legitimo Epiſcopo, & ſuo Vicario generali ex-

hibere, Capitulo per eos compacto & coadunato nulliter, imò & ſacrilegè, Diœceſim vivente Epiſcopo gubernante, exhibuerunt.

Hiſce privilegiis, & aliarum Diœceſium Epiſcoporum licentiis viſis à Capitulo, pſeudo Sede-vacante, edictum ab eo conficitur, ſecretò tamen ab ipſis Jeſuitis compoſitum, & per omnia Eccleſiarum ſuggeſta divulgatum, in quo omnibus fidelibus intimatur, Jeſuitas Religioſos non egere licentiis Epiſcoporum propria Diœceſis ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, propter ſua privilegia, & ſi egerent, eas habere, & Capitulo exhibitas eſſe; & ſi non haberent, & ſufficientes non eſſent, eas Capitulum generaliter, etiam ſine examine, concedere libentiſſimè, declarando adeo eſſe doctos Religioſos Jeſuitas, ut nunquam fuiſſet credendum, eos ſine legitimo titulo Confeſſiones ſæcularium audiviſſe. Alia etiam in hoc edicto ſubinferendo, juriſdictioni Epiſcopali, & authoritati Eccleſiæ, & Tridentini Concilii, & animarum ſaluti nocentiſſima.

Deinde cenſuras Eccleſiaſticas, à Vicario generali Epiſcopi, contra Conſervatores, & Jeſuitas, qui Confeſſiones ſæcularium ſine licentia proprii Paſtoris audiebant, latas delent, auferunt, publicè dilacerant; eas autem, quæ contra Epiſcopum proprium, ejuſque Vicarium generalem, nulliter & indebitè (ut à Tua Sanctitate declaratum eſt) latæ fuerant ab intruſis Conſervatoribus, parietibus fixas relinquunt, videntibus & gementibus, non tantùm omnibus eccleſiaſticæ diſciplinæ amatoribus, ſed populis etiam clamantibus & reclamantibus, qui tot injurias Epiſcopo ſuo amantiſſimo inferri conſpiciebant.

Deinde Capitulum hoc pſeudo-Sede-vacante, contra Epiſcopum erectum, & à Jeſuitis, tanquàm ſi eſſent ipſi de corpore Capituli, directum, omnia edicta, quæ circa mores, & eccleſiaſticorum, & ſæcularium reformationem fuerant ſtabilita, in Epiſcopi odium abrogant.

In Eccleſiis, à quibus ego profanos cibos, & comeſſationes prohibueram, iterum ipſi edere, & ſic eas polluere permittunt. Clericos, Regulareſque, quos ego ab audientiis ſæcularium Confeſſionibus arcueram, ipſi approbant; hone-

honeſtos ſacerdotes, modeſtos, ſpirituales, quos ego præmio affeceram, ipſi ſupplicio afficiunt. Seminariſtas, Collegiorumque meorum cultores, quos ego, tanquam Dei Eccleſiæ maximè neceſſarios, paterno educabam & inſtruebam affectu, ipſi moleſtant, & etiam de ipſis extinguendis conferunt.

Clauſtratibus Virginibus, quæ meis monitis, edictis, & exhortationibus, intra ſuæ profeſſionis ſepta libentiſſimè continebantur, non tantùm permiſſione (quod nefarium eſt) ſed publicis exhortationibus (quod nefandiſſimum) ut ad ſuſpectas collocutiones ſæcularium, & Regularium, & Clericorum, iterum redeant, ſuadent. Et tandem licentias innumerabiles Religioſis adoleſcentibus ad audiendas mulierum confeſſiones concedunt, & ut de alieno theſauro, de mea Eccleſiaſtica juriſdictione, profuſiſſimè prodigunt & impendunt.

Hæc omnia me, P. B. non latebant, imò ex tuguriolo meo, in quo proſtratus coram Chriſto Crucifixo Domino jacebam, & pro populo gregeque miſerabiliter afflicto, profuſis lachrymis efflagitabam, tanquam à ſpecula oves crudeliſſimè diripi, ſponſam meam amantiſſimam Eccleſiam dilacerari & impiiſſimè vexari conſpiciens, fractum paſtoralem baculum, mitram conculcatam oculis dolentiſſimis intuens, ſuſpiria, gemitus, lamentationes mearum ovium irreparabiliter non minoribus gemitibus & ſuſpiriis exaudiens, etiam ſine armis, etiam ſine viribus, etiam proſtratus, etiam ſolus, divino tantùm auxilio fretus, meum gregem curare non deſtiti.

Illic enim, tanquam ex carcere, ſi non eodem ſpiritu, ſaltem primitivorum præſulum exemplo, literis, nuntiis, manuſcriptis Paſtoralibus epiſtolis juvare, ſuadere, conſulere, conſolari ſtudui, ut in fide & charitate permanentes, fortitudine ærumnas, conſtantiâ tribulationes, patientiâ perſecutiones ſuperarent; & à Confeſſionibus & Prædicationibus eorum, qui Diœceſani Prælati licentias non habebant, abſtinerent, & fugerent, quod pietate divina, non meæ humilitatis & fragilitatis viribus maxima ex parte obtinui, ita ut pauciſſimi fuerint in hiſce innumerabilis multitudinis populis, qui etiam tot incarceratio-

nibus & relegationibus comminati, Religioſis Jeſuitis, & aſſertis Conſervatoribus fidem detulerint, & adhæſerint.

Sed Religioſi *iſti.... potentiâ potentiam defendentes, & ex abyſſo ad abyſſum præcipiti curſu prolapſi, tanto plus irâ excandeſcentes, quanto populos à ſuo Paſtore divellere ſe non poſſe, imò ipſis Jeſuitis offenſiſſimos eſſe conſpiciebant, Judices ſæculares, expenſa maxima pecuniarum quantitate conducunt, qui.... criminaliſſimum proceſſum contra me ſcribunt, teſtes violentiſſimè cogunt, alios pecuniâ corrumpunt, alios aliis artibus compellunt, alios attrahunt & alliciunt, ut deponant, & etiam jurejurando affirment, me contra* Reipublica *ſalutem (quæ mihi carior ſemper vita extitit) machinatum eſſe, & uno eodemque tempore à ſeptem judicibus (tanta eſt. P. B. Jeſuitarum potentia) in mea ipſa Diœceſi, imò & Epiſcopali Civitate, ſimul cum grege amantiſſimo ſyndicatus fui, à tribus ſcilicet ſæcularibus, à Vicerege miſſis, à duobus Regularibus Conſervatoribus, & ab aliis duobus Eccleſiaſticis ſacerdotibus, ab ipſa Societate expulſis, Inquiſitionis Commiſſariis, & his ſeptem Judicibus (S. P.) talibus moribus defœdatis, quos modeſtia tacet, & zelus colet.*

Sed Deo infinitas gratias ago, qui, ut ſuperbis reſiſtit, humiles, & propter ſuam cauſam perſecutionem patientes protegit ac defendit: tot enim judicibus, tot teſtibus inter ſe convenientibus & conſpirantibus, imò & ipſas depoſitiones & acta propalantibus, inter ſe & ad eundem finem dirigentibus, dignitate aliquid meâ indignum Epiſcopali, etiam nulliter & violenter probare minimè potuerunt; ſed declarationes vagas vilium hominum coacervarunt, in quibus generaliter aſſerebatur, me maximam ſeditionem excitaſſe, & terribilibus injuris Jeſuitas affeciſſe, quòd videlicet Confeſſiones audire ſine licentia Epiſcopi prohibuiſſem, & ad ordinem Concilii Tridentini, & Gregorii XV. Conſtitutionis decreta ipſos per legitimos tramites redegiſſem.

Eluſa ergo proceſſalis forma perſecutione, P. B. quia Jeſuitæ nihil probabant, neque his facinoribus obtinebant,

imò

imò populi magis ac magis ab eis averſi, ipſiſque infenſi pro Paſtore ſuo certabant, & ejus conſiliis & exhortationibus inhærebant; jam ruptis verecundiæ & religioſæ modeſtiæ vinculis, ad aliam atrociorem formam; me, meamque famam, dignitatem, perſonam perſequendi proceſſere.

Convocatis enim Scholaſticis ſuis (quos alia certè doctrina imbuere debuiſſent) prætextu ſolemnitatis S. P. Ignatii, ſui Fundatoris (cujus animam ſanctiſſimam maximè hæc omnia adhorrere & abominari compertiſſimum eſt) choreas ſceleſtiſſimas (maſcaras, ſeu maſcaradas *Hiſpani vocant) conſtituerunt, in quibus, in contemptum meæ perſonæ, dignitatiſque, & omnium Sacerdotum, qui inter cæteros vita arctiori & honeſtiori fulgebant, & inter hos Procuratorem meum Silverium de Pineda, qui tunc Romæ aderat, & Tua Sanctiſſima præſentia fruebatur, horribilibus larvis, ac geſticulationibus, & nefariis aliis modis, Epiſcopum, Sacerdotes, ſanctas & venerabiles Moniales, dignitatem Epiſcopalem, imò & Catholicam Religionem infamarunt, irriſerunt, illuſerunt.*

Larvati enim, & has perſonas ſacras infami habitu, tanquam in ſtatuis, per Civitatem totam, medio diei tempore circumgeſtantes, orationem ſanctiſſimam & devotiſſimam, Dominicam ſimul & Angelicam, aliis profanis verbis immixtis turpiſſime decantantes, has infandas choreas per Civitatem prædictam Jeſuitici Scholares circumducentes, & à ſuis propriis domibus educentes, in ſolo Chriſtiano & Catholiciſſimo, gentilicia & hæretica theatralia facinora contra Dei Eccleſiam, ſuoſque Epiſcopos & Sacerdotes, audaciſſimè perpetrarunt.

Aliqui enim eorum, P. B. infames cantilenas ſupradictæ orationi Dominicæ immiſcentes, pro libera nos à malo, quod in fine dicitur, decantabant: Sed libera nos à Palafox, nempe quia ego à malo (quod eſt intra limites ſuæ profeſſionis non contineri) Jeſuitas liberare, & in ordinem redigere conatus ſum. Eodem pene modo Salutationem Angelicam corrumpentes, maledictis in eumdem finem tendentibus deturpabant.

Quidam de ipſis, impuris bovis armis ſignando ſeipſum (quod

(*quod Ethnicos contra Chriſtianos feciſſe non traditur*) *cunctis videntibus clamando pronuntiabat: Hæc ſunt arma perfecti & veri Chriſtiani, cornua tauri pro cruce ſanctiſſima demonſtrando.*

Alius autem in altera manu dulciſſimi pueri Jeſu imaginem, in alia impudiciſſimum Inſtrumentum portabat, piiſſimi nominis, & infantiæ Jeſu devotioni illudendo.

Alius equi caudâ pendentem baculum paſtoralem portabat, & in ipſis ſtapedis depictâ mitrâ Epiſcopali, equitabat, ut calcatam pedibus exprobraret.

Deinde inſolentiſſima carmina, & incredibiliter ſacrilega, & ſatyrica, contra Clerum & Epiſcopum in populo ſpargebant, gloriantes, ſeipſos Jeſuitas Epiſcopum viciſſe, & de eo triumphaſſe, ipſi quidem victi, ſuperati & triumphati à ſua ipſamet impotentiſſima potentia. Pluríma etiam epigrammata Hiſpano ſermone ſpectatoribus tradiderunt, Famæ Paſtoris & Cleri exiſtimationi detrahentia, & inter alia ſequens, quod quia maximè explicat quanto errore teneantur Religioſi Jeſuitæ, qui, repagula ſuarum Conſtitutionum rumpentes, intra ſua ſepta contineri non valent, hic inſeri, P. B. non impertinens judicavi:

Oy con gallardo denuedo
Se opone la Compania
A la formal heregia.

Hoc eſt:

En ut corde & mente alacri
Societas opponit ſe
Formali cuicumque hæreſi.

Hucuſque, P. B. potuit ſpiritualis iſta obcæcatio mentis procedere: cùm enim ego defenderim S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, Decreta Pontificia, ſalutem animarum: hæc omnia, quia eos ligant & arctant, hæretica eſſe populis Jeſuitæ ſuadent & ſuggerunt. Expugnare autem Conſtitutiones Apoſtolicas, Decreta œcumenici Concilii Tridentini contemnere, Pontificias deciſiones evertere, Diæceſim invadere, Epiſcopum à ſua Sede manu ſæculari detrudere, non ſolùm injuriis,

ſed

ſed etiam armis impetere, irridendoque & illudendo non tantùm Epiſcopum, ſed etiam Clerum, & Religionem Chriſtianam maledictis infamare, hoc Catholicum, ſanctum, juridicum eſſe docent.

Haud multò minori cum inſolentia Jeſuitæ perſecuti ſunt Illuſtriſſimum D. Hernardum Guerrero, Archiepiſcopum Manilenſem, ſucceſſoremque ipſius Illuſtriſſimum D. Philippum Pardo, in Inſulis Philippinis, Illuſtriſſimum D. Matthæum de Caſtro in Indiis, Illuſtriſſimum D. Bernardinum de Almanſa, Archiepiſcopum Sanctæ fidei in Peruvio, Illuſtriſſimum D. Bernardinum de Cardenas, Epiſcopum in Paraguaia, Illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum Calcedonenſem in Anglia &c.

De Illuſtriſſimo Domino Hernardo Guerrero Palafoxius ſuprà laudatus in *Defenſione* ſua Canonicâ teſtatur, quòd ipſum Jeſuitæ per Gubernatorem Manilæ è ſuo Archiepiſcopatu ejici fecerint, eo quod ab ipſis exegiſſet teſtimoniales facultatis audiendi ſæcularium Confeſſiones, quam ab ipſo non habebant. Quódque ejectionem iſtam ultio divina fuerit conſecuta, tam in Gubernatore, qui *de conſilio Patrum Societatis* id fecit, quàm in Miniſtris ipſius, qui malè perierunt.

De Illuſtriſſimo Philippo Pardo Ord. Prædic. videri poteſt Hiſtoria ipſius Moralis Practicæ tomo 5. in qua ex actis authenticis, & teſtibus omni exceptione majoribus, deſcribitur indignus ac planè barbarus modus quo ipſum Jeſuitæ fuerint perſecuti, eo quòd quemdam ex ipſis juſtiſſima de cauſa excommunicaſſet, prodigioſamque detexiſſet negotiationem à Sancta Sede, & à Catholica Majeſtate ipſis vetitam, quam in Inſulis Philippinis faciebant.

Illuſtriſſimum D. Matthæum de Caſtro, natione Indum Bracmanum Urbanus VIII. Epiſcopum pro Indiis ſacraverat, & in Indias tanquam Vicarium Apoſtolicum ad infidelium converſionem miſerat: ubi cùm plurimos ad Chriſti fidem perduxiſſet, & Eccleſias ædificaſſet, Jeſuitica zelotypia tam proſperos Viri Apoſtolici.

ſtolici ſucceſſus diſſeminatis calumniis interrupit. Quam ob cauſam cùm Romam veniſſet, calumniarum falſitate detecta, dijudicatâ tandem innocentia ipſius, in Indias remiſſus fuit.

Cùm Illuſtriſſimus D. Bernardinus de Almanſa, Archiepiſcopus S. Fidei in Bogora Peruvii, ob violatam Eccleſiaſticam immunitatem iſtius Regni Viceregem cum officiariis ſuis excommunicaſſet, Sebaſtianus Morillo Jeſuita Viceregi perſuaſit, ut excommunicationem floccifaceret, ab eaque ipſum protinus abſolvit non ſine plurimorum ſcandalo, aliaſque inſolentias magnas ipſe aliique Socii, adverſus ſanctum Archiepiſcopum exercuerunt, quæ videri poſſunt in vita ipſius à cap. IV. uſque ad XI. compoſita per D. Baccalaureum Petrum de Solis & Valencuela (quæ manuſcripta extat apud fratrem ipſius R. P. Brunonem de Valencuela Carthuſianum) & in Theatro Jeſuitico pag. 260. cujus Author eſt Joannes de Ribas inſignis Doctor Ordin. Prædicat. apud ſuos laudatiſſimus. Verùm Jeſuiticas inſolentias illas divina providentia impunitas non dereliquit. Sociorum namque illorum unus per mulam occiſus fuit, alius per peſtem, tertius per ſubitum morbum, quartus lapſus eſt in inſaniam, prout in vita illa enarratur.

Quàm horribiliter Jeſuitæ perſecuti fuerint Illuſtriſſimum D. Bernardinum de Cardenas, Seraphici Ord. S. Franciſci, Epiſcopum Aſſumptionis, in Paraguaia, videri poteſt to. 5. Moralis Pract. in Hiſtoria ipſius, ex informationibus juridicis deſcripta in Memoriali Catholico Hiſpaniarum Regi præſentato per Fr. Joannem de Villalon, ejuſdem Ordinis, Epiſcopi iſtius Agentem in Curia Matritenſi. In ea longè latéque continetur, tum perſecutionis cauſa (quia nimirum Epiſcopus ille, juſſu Catholicæ Majeſtatis viſitare voluit Provincias de Parama & Vrugaia, in quibus Jeſuitæ dominationem cum præjudicio Regis uſurpantes, ingentium theſaurorum cognitionem Regiis Miniſtris ſubtrahebant) tum horribilis perſecutio ipſa, quæ tanta fuit, tam barbara, tam ſcandaloſa, ut Epiſcopum ex civi-

civitate ſua Epiſcopali ſæpius depulerint; autoritatem ipſius uſurpaverint; Sedem ex Cathedrali Eccleſia in ſuam tranſtulerint; ad ipſius januam patibula erexerint, in quibus ſuſpenderentur, quicumque ſchiſmaticum altare non recognoſcerent; Indorum exercitum ſuis ſumptibus congregarint; in capite exercitus ſeſe collocarint; aciem inſtruxerint; militares exhortationes Indis illis fecerint; acie congreſſi fuerint; Civitatem Epiſcopalem Aſſumptionis vaſtarint; Eccleſiaſticos illius catenis conſtrinxerint; Epiſcopum in Eccleſia ſua obſederint; ad deditionem, ne fame interiret, erepto è manibus ipſius Venerabili Sacramento, compulerint; carcere clauſerint; ad ducenta milliaria exulem fecerint; vaniſſimos verſus Hiſpanicos interim ad populum ſparſerint, Societatis potentiam extollentes, Eccleſiaſticorum verò, ac Religioſorum Epiſcopo adhærentium, velut canum & formicarum imbecillitatem exprobrantes. Verſus verò Hiſpanicè ſic ſonabant:

Vulgo loco, y deſatento
Ya te pagas de mentiras;
Pues con mas afecto miras
Lo que menos te eſtà à cuento
La enſeñanço, y documento
Nos deves; ſi, que es tu guia,
Porque, aunque todo a porfia;
Te acude de polo à polo;
Vàs ciego, perdido, y ſolo,
Quando vàs ſin compañia.
Todos nos han meneſter,
Frailos, Cabildos, y Audiencia.
Y todos en competencia
Tiemblan de nueſtro poder:
Y pues hemos de vencer
Eſta canalla enemiga
Todo eſte pueblo nos ſiega
Y no quieran inconſtantes
Perder amigos gigantes
Por un obiſpo Hormiga.

Qui

Qui verſus latinè ſic reddi poſſunt:

Siccine Te, popule inſipiens, mendacia ludunt,
 Majori in pretio ut fulcra minora habeas.
Nos, Nos, Doctores veſtri ſumus, atque Magiſtri,
 Abſque Jeſuitis Grex ſine Rege eritis.
Etſi vobiſcum totus conſiſteret Orbis.
 Abſque Jeſuitis quid niſi ſoli eritis?
Nec ſolùm ſoli, cæci quoque, perditi, & abſque
 Omni præſidio, luce, patrocinio.
Aſt etiam ſine ſpe: totus ſiquidem indiget orbis
 Noſtra ope, Magnates, Canonici, Monachi.
Tanta eſt Majeſtas Sociorum, & tanta poteſtas,
 Ut ſub ea pavidus contremat omnis homo.
Quando igitur de iſtis Canibus Victoria noſtra
 Certa eſt, omnis plebs ad Socios veniat.
Nunquam etenim prudens ſe privat amore Gigàntum
 Mitratam formicam ut ſibi conciliet.

Altiuſne Jeſuitica adverſus ſanctum Epiſcopum aſcendere potuit inſolentia?

Nec tamen minor fuit inſolentia Sociorum adverſus Epiſcopos ab Alexandro VII. ſub initium Pontificatus ipſius in Indiam miſſos, tanquam Vicarios Apoſtolicos in Regnis Chinæ, Cochinchinæ, Tunquini, Camboiæ &c. quibus cæteros Miſſionarios, etiam è Societate, juxta expreſſam Clementis IX. declarationem, ſubeſſe oportuit. Subjectionem iſtam, tametſi à S. Sede demandatam, Jeſuitica ferre non potuit ſuperbia: Miſſionibus iſtis præeſſe voluerunt, non juxta ſpeciale ſuum erga S. Sedem obedientiæ votum ſubeſſe. Ea propter Epiſcopos illos, maximè Berythenſem, & Heliopolenſem (tametſi Societati addictiſſimos, quorum iſte duos in Societate fratres habebat) adeò averſari cæperunt & inſolenter perſequi, ut modis omnibus ipſos à Miſſionibus illis exturbare conati fuerint; excommunicarint, velut intruſos, hæreticos, exploratores, Janſeniſtas, palam traduxerint; fidelium adverſus ipſos ſchiſma ſuſcitaverint, Brevia Apoſtolica ipſorum in aquam & lutum projecerint, tanto cum ſcandalo, ut ipſos

ipſos erga S. Sedem rebelles Clemens X. declaverit 10. Decembris 1673. & Innocentius XI. compulſus fuerit Præpoſito Generali Societatis diſtrictè injungere, ut quatuor Jeſuitas, in partibus illis Miſſionarios, per literas ad ipſos datas protinus inde revocaret, nec alios illuc mitteret, uſque ad aliam Apoſtolicæ Sedis ordinationem. Quorum omnium veritatem eſſe certiſſimam, videbit, quiſquis abſque præventione legerit Moral. Pract. Jeſuit. Tomum III. à pag. 435. ad 471. & Tomum VII. à pag. 346. ad 434. Supra etiam Clangore VI. de eadem veritate teſtimonium extat Illuſtriſſimi Domini Urbani Cerri Secretarii Congregationis de propaganda fide.

Sed jam ab Indiis ad Europam tranſeuntes, videamus an ſaltem ibi Jeſuitæ reprehenſibiles non ſint de inſolentia adverſus Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Epiſcopos? Ipſorum etiam ibi adverſus Epiſcopos inſolentiam demonſtrant exempla ſequentia.

Primò namque adverſus Illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum Calcedonenſem, ab Urbano VIII. ad Cleri Gallicani inſtantiam miſſum in Angliam, ut Anglicanam Eccleſiam tanquam Vicarius Apoſtolicus gubernaret, Catholicos Anglos ſibi devotos concitarunt, & tam inſolentibus libellis, adverſus ipſum, ſicut & adverſus Epiſcopalis gubernationis neceſſitatem editis, quàm conſpirationibus, ſecretis delationibus, aliiſque conſuetis artibus ſuis apud Angliæ Regem effecerunt, ut Epiſcopus ille ex Anglia ejiceretur.

Tanta verò fuit libellorum illorum inſolentia, ut eos, variaſque propoſitiones iis contentas Gallicani Epiſcopi penè omnes, & Sorbona univerſa meritiſſimè condemnarint. Verùm iſtammet ob cauſam adverſus omnes Epiſcopos illos, ſicut & adverſus Sorbonicos Doctores Jeſuitica uſque adeo exſurrexit impudentia, ut Epiſcopos Socii veriti non fuerint Pilato impiè comparare, aliaque immanis petulantiæ pleniſſima inverecundè effutire, Doctoreſque traducere velut *lupos, lupercos, cerbero ſimiles, qui gutture triſauci infernales territat umbras, ſtupidos, cenſores ejuſdem cum Calvino pala-*

palati, hæreſes, errores & ſcandala foventes, ſycophantas, impiè & ex malitia errantes, peſtilentes, verſipelles, ſophiſtas, ſpermologos, homines ad miraculum malevolos, nugatores, falſarios, veteratores, ſenſum hæreticum habentes &c. ut videre licet apud Santamoreum in collectione addita ad Diurnum ſuum pag. 28. 29. 30. 31. 32.

Secundò, Illuſtriſſimum D. Rovenium, ſicut & illuſtriſſimum D. Caſtorienſem in Confœderatis Belgii Provinciis, nec non Illuſtriſſimum D. Jacobum Boenenium, Archiepiſcopum Mechlinienſem, & Illuſtriſſimum D. Trieſtium, Epiſcopum Gandavenſem, in Belgio Catholico, ſcriptis maledicis inſolenter ſunt perſecuti.

Tertiò, quot non Epiſcopos irreverenti audacia perſecuti ſunt in Gallia? Fere omnes, ut proximè dixi. Nec eo contenti, adverſus Archiepiſcopos quinque, & Epiſcopos viginti quinque (qui librum De frequenti communione approbarunt, adoptaruntque, velut continentem doctrinam ſaluberrimam, ſanandiſque peccatoribus neceſſariam; in quo nullam etiam labem (poſt biennii examen Romana invenit Inquiſitio) per univerſam Galliam, immodeſtiſſimis declamationibus, in exedris, velut adverſus hæreticos, ſtatuſque & Religionis peſtes inſurrexerunt.

Quartò, quibus non calumniis, impoſturis, & criminationibus falſis perſecuti ſunt eximiæ ſanctitatis & eruditionis Epiſcopos, Nicolaum Pavillonum, Alectenſem, Franciſcum Caulet Appamienſem, Nicolaum de Buzenval Bellovacenſem, & Henricum Arnauld Andegavenſem? Malignis informationibus & molitionibus ſuis Clementem IX. & Ludovicum XIV. adverſus ipſos adeo prævenerant, exacerbaverantque, ut diſpoſito adverſus ipſos, velut Janſeniſtas Eccleſiæ rebelles Tribunali, vix non deſperata foret cauſa ipſorum. Verùm acceptis de calumniarum illarum falſitate teſtimoniis, omni exceptione majoribus, novendecim præcipuorum Galliæ Epiſcoporum, certificantium quod adeo excellens foret virtus ipſorum, ut impetratura eſſet, vel ab inimicis, *hoc teſtimonium, non alios eſſe qui Ordinem*

dinem Epiſcopalem magis exornarent, & Eccleſiam magis ædificarent, quique populorum ſaluti, & commiſſi ſibi gregis curæ vigilantiùs incumberent, qui omnes Epiſcoporum partes cumulatiùs explerent, qui denique non parvam pietatis ſuæ partem in eo ponerent, ut Apoſtolicæ Sedi ea qua par eſt demiſſione ſubeſſent, ejuſque dignitatem debita veneratione tuerentur &c. Tandem à Clemente IX. dijudicata fuit ipſorum innocentia, plenaque ac perfecta erga Sedem Apoſtolicam obedientia. Nec tamen ideo Jeſuitæ ceſſarunt ipſos calumnioſè perſequi, etiam poſt obitum ipſorum, in tantum ut Collegiatas Eccleſias ipſorum de Collegiis vitæ ſanctioris effecerint Collegia vitæ ſolutioris.

Hæc omnia flocci facit P. Huylenbroucq ac aſpernatur quaſi *dicteria omni probatione deſtituta.* Nec ſperandum puto, fore ut majorem abdibeat fidem iis quæ Macao ſcripſerunt Miſſionarii Apoſtolici, Eminentiſſimi Cardinalis de Tournon comites, de perſecutione quam pientiſſimus ille Legatus Apoſtolicus miniſterio Jeſuitarum paſſus eſt, in qua & curſum conſummavit.

Cùm juſta illius horrendæ Tragediæ idea paucis verbis exhiberi non poſſit, & volumen hoc nimium exſcreſceret, ſi quibus meretur coloribus depingeretur; ſatius eſt lectorem remittere ad explanationes in Orationem funebrem laudati Cardinalis, & ad compendioſam relationem iſtius perſecutionis, excerptam ex Commentariis Patrum Ordinis S. Dominici, in China Miſſionariorum, qui & illius perſecutionis pars magna fuerunt, & typis editam in Gallia à paucis menſibus.

Jeſuitarum molitiones adverſus Eminentiſſimum Cardinalem de Noailles prætereo: ut earum pars aliqua noſceretur exſcribenda hìc foret pœnè integra Epiſtola Illuſtriſſimi Epiſcopi Aginnenſis ad Excellentiſſimum Comitem de Pont-chartrin. Legi poteſt in libro gallico recens edito, cui titulus: *Relation du different entre M. le Cardinal de Noailles Achevêque de Paris, & MM. les Evêques de Luçon, de la Rochelle & de Gap, avec un Recueil d'Ecrits importans ſur ce ſujet, & ſur ce qui s'eſt paſſé entre ſon Eminence & les Jeſuites.*

CLAN-

CLANGOR X.

Septimò, Reformandus in Jeſuitis contemptus Cenſurarum Epiſcopalium.

CEnſuras ab Epiſcopis jure latas ab Orthodoxis omnibus formidandas, venerandaſque eſſe, nemo eſt Catholiçorum qui inficietur. Nec inficiantur Jeſuitæ, dum adverſus alios, ſibi non devotos, feruntur. Sed quòd eas contemptui habeant, dum feruntur adverſus ipſos, vel alios ipſis devotos, teſtem habemus omni exceptione majorem Illuſtriſſimum Palafoxium in epiſt. ad Innocentium X. §. 8. ubi ſic loquitur: *Dum..... ego, quantum adjuvante Domino potui, pro grege, pro fide, pro juriſdictione, pro Concilio Tridentino, pro Apoſtolicis Conſtitutionibus & Regulis....... laborare non diſtiti, non tantùm Regulares cenſuris ſeveriſſimis terrendo, & ſæculares eiſdem fulminibus & edictis, & epiſtolis, & voce & ſermone intra ordinem & obedientiam continendo, ſed etiam, cùm parum hoc proficeret, (contemnebant enim Jeſuitæ Cenſuras Eccleſiaſticas, & vinculis earum innodati, ſuſpenſi & irregulares, publicè celebrabant, Sacramenta miniſtrabant; invito Epiſcopo, etiam in non ſuis Eccleſiis prædicabant populo, ſæcularium Confeſſiones audiebant. &c.)*

Et § 29. *Cenſuras Eccleſiaſticas à Vicario Generali contra Jeſuitas, qui Confeſſiones ſæcularium ſine licentia proprii Paſtoris* (id eſt Epiſcopi) *latas delent, auferunt, publicè dilacerant.*

§. 60. *Poſt Tuæ Sanctitatis Breve* 16. *Maii anno iſto* 1648. *expeditum.... ipſis intimatum, poſt ipſas etiam Regias declarationes..... notificatas, ſemper in ſuo errore Jeſuitæ verſantur, & vinculis excommunicationis innodati, irregulares & ſuſpenſi, publicè celebrant.*

Alterum iſtius contemptus exemplum in Paraguaia contigit, atque in Memoriali Catholico Regi per Fr. Joannem Villalon, Ord. S. Franciſci, procucatorem provinciarum Tucumaniæ, Paraguaiæ, & Buenes-Ayras,

Ayras, Agentem Illuſtriſſimi D. Bernardini de Cardenas Paraguaiæ Epiſcopi, præſentato, p. 1. c. 2. in fine continetur his ferè verbis: *Cùm Paraguaiæ Gubernator D. Gregorius de Hineſtroſa ab Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Bernardino de Cardenas declaratus fuiſſet Bullæ Cœnæ Cenſuras incurriſſe, & à Judice Metropolitano denuntiatus excommunicatus, ob violentiam illatam Religioſo Sacerdoti Ord. S. Franciſci, violatamque Eccleſiaſticam immunitatem, Jeſuitarum conſilio ſeſe non geſſit pro excommunicato.*

Tertium extat ibidem c. 3. cùm enim idem D. Gubernator altera vice à Proviſore ejuſdem Epiſcopi 1. Novembris 1644. palàm denuntiatus fuiſſet excommunicatus, ob violentas manus in Eccleſia injectas in ipſummet Illuſtriſſimum Epiſcopum, tenentem actu SS. Sacramentum, excommunicationem contemptui habuit, ac deriſit, eo quod à Jeſuitis accepiſſet eam eſſe nullam & ridiculam.

Quartum exemplum cap. 6. enarratur, quòd cùm Provincialis Cordigerorum, tanquam Commiſſarius Judicis Metropolitani alterum Paraguaiæ Gubernatorem D. Didacum de Eſcobar Oſſorio, Gregorii de Hineſtroſa ſucceſſorem, excommunicaſſet, pro eo quòd Epiſcopum in Eccleſia ſua Cathedrali obſeſſum injuſtè detineret, ideòque Gubernator ſe gereret pro excommunicato, Jeſuitæ de eo offenſi ſcripto à ſex Sociis ſubſcripto, ipſi perſuaſerunt nihili faciendam iſtam excommunicationem.

Quintum exemplum habetur c. 12. ubi narratur, quòd Jeſuitæ adverſus Epiſcopum ante memoratum congregarint 4000. Indorum, ut ipſum è ſuo Epiſcopatu jam tertiò ejicerent, quódque cum Indis illis, plures erant Hiſpani excommunicati, quorum conſcientias Jeſuitæ jubebant eſſe ſecuras, ipſis ſacramenta adminiſtrantes, & ad excommunicationum contemptum ipſos inducentes, Epiſcopalem denique jurisdictionem, authoritate regia vallatam, armis, fraudibus, & omni fallaciarum genere conculcantes.

Sextum exemplum deſcribitur p. 2. art. iv. hiſce

verbis: Cùm D. Manuel de Trias Paraguaiæ Gubernator ab Illuſtriſſimo D. Thoma de Torres, Bernardini de Cardenas Deceſſore, excommunicatus fuiſſet, Jeſuitarum iterum reſolutio fuit, quòd excommunicatio non teneret, ſuoque in Collegio ſacramenta ipſi adminiſtrarunt. Verùm cùm idem ipſe Gubernator Commiſſarium poſtea miſiſſet ad viſitandos Indos Jeſuitis ſubditos, de Commiſſionis nullitate proteſtati ſunt, pro ratione dicentes, quòd data eſſet ab excommunicato. Atque hoc modo de cenſuris Eccleſiaſticis quaſi luſum faciebant Jeſuitæ, volentes eas ſervandas eſſe, dum iis innodatus contra prætenſiones ipſorum ageret, non ſervandas, dum pro ipſis agebat contra Epiſcopum: quaſi cenſurarum valor à beneplacito ipſorum dependeret. Quod animadvertens Gubernator, ad Regiam Audientiam recurrit, à qua declaratus fuit legitimè excommunicatus, & ad mortem uſque, abſque abſolutione manſit excommunicatus, neque enim abſolutionem ab Epiſcopo obtinere potuit, quia ipſi ſatisfacere renuit. Et ideò miſerè periit. Et quis cauſa fuit perditionis ipſius, niſi Jeſuitæ? Memoriale Villaloni, ex quo iſta deſcripta ſunt, videri poteſt in Mor. Pract. Jeſuit. tom. 5.

In quo & deſcribitur Hiſtoria Illuſtriſſimi D. Philippi Pardo, Archiepiſcopi Manilenſis ex actis ſupremo Indiarum Conſilio exhibitis. Ex quâ ſextum habemus exemplum in P. Ortega Jeſuita, quem cùm Illuſtriſſimus ille graviſſimam ob cauſam legitimè denuntiaſſet excommunicatum, contemptâ excommunicatione P. Ortega, abſque abſolutione, publicè celebrare, & Confeſſiones audire non deſtitit.

Et ibidem ſeptimum additur exemplum, quòd ſcilicet Jeſuitæ velut ignorantes traduxerint, deriſerintque eos, qui juxta Clementinam I. de pænis, & Bullam Cœnæ, pro verè excommunicatis habuerunt eos, qui innocentiſſimum Archiepiſcopum illum (in gratiam Jeſuitarum) ab Eccleſia ſua violenter ejectum, in exilium miſerunt, Eccleſiæque ipſius gubernationem, contra Archiepiſcopi ordinationem, illegitimè uſurparunt,

runt, & uſurpari juſſerunt. Quod factum Rex Catholicus declaravit attentatum injuſtum, Regioſque Auditores, Jeſuiticæ perſecutionis fautores (qui, ut gratiam ipſis præſtarent, ſcandaloſiſſimum attentatum iſtud commiſerant) unà cum Gubernatore, & aliis qui in eo partem habuerunt, officiis ſuis privatos pro meritis caſtigavit, ſicut & Michaelem Ortis de Covarruvias Capituli Decanum, pro eo quòd Eccleſiæ gubernationem illegitimè uſurpaſſet, varioſque exceſſus uſurpando commiſiſſet. Denique ob præmiſſa excommunicatos, quos Jeſuitæ perperam cenſuerant excommunicationem non incurriſſe, ab Archiepiſcopo abſolvendos Rex pronuntiavit, pronuntiandoque falſum eſſe ſignificavit quòd Jeſuitæ in contemptum excommunicationis ab iis incurſæ dixerant: *In ſola Societate inveniri regulas & principia pro conſolatione univerſorum* (quod profectò dixerant, ut excommunicati parvifacerent excommunicationem) unde & excommunicati, ob conſcientiæ ſuæ remorſum, ab Archiepiſcopo abſolutionem petierunt, excepto uno P. Ortega Jeſuita, qui ſeſe humiliare renuens, in comtemptu excommunicationis forduit.

Exemplum octavum Clangore præcedenti enarratum fuit, hiſce verbis: Cùm Illuſtriſſimus D. Bernardinus de Almanſa Archiepiſcopus S. Fidei in Bogora, ob violatam Eccleſiaſticam immunitatem, iſtius Regni Viceregem..... excommunicaſſet, Sebaſtianus Morillo Jeſuita Viceregi perſuaſit, ut excommunicationem floccifaceret, ab eaque ipſum protinus abſolvit, non ſine plurimorum ſcandalo &c.

Exemplum nonum in Gallia contigit (ubique enim Jeſuitæ ſunt Jeſuitæ, nec alii in Europa, quàm in Aſia, America &c.) Appamiæ utique, ubi cùm Epiſcopus omnibus ſacerdotibus ſuæ Diæceſis, ſæcularibus & Regularibus, ſub pœna ſuſpenſionis ſibi exhiberi mandaſſet literas approbatorias ad audiendas ſæcularium Confeſſiones, ut ſibi de eorum approbatione conſtaret; mandato tam juſto paruerunt omnes, ſolis Jeſuitis exceptis, qui ſæcularium Confeſſiones

contumaciter audire perrexerunt, poſtquam ab iis audiendis ipſos Epiſcopus ſuſpenſos declaraſſet, etamſi id ipſis ſub pœna excommunicationis ipſo facto prohibuiſſet. Non ſolùm enim cenſuras ipſius contempſerunt, ſed & adverſus Epiſcopum infamibus pariter & injurioſis paſquinis, per platearum angulos affixis, nec non libellis ac diſcurſibus ſcandaloſis & ſeditioſis inſurrexerunt. Et ne tunc quidem à celebratione & Confeſſionibus ſæcularium audiendis deſtiterunt, poſteaquam ab eodem Illuſtriſſimo, ob contumaciam & rebellionem ſuam tam ſcandaloſam, denuntiati fuerunt excommunicati, prout conſtat ex epiſtola encyclica ejuſdem Epiſcopi ad omnes Galliæ Epiſcopos, nec non ex ſententia adverſus ipſos juridicè lata, quæ duo videri poſſunt to. 1. libri inſcripti: *Relatio eorum quæ contigerunt in negotio pacis Eccleſiæ ſub Clemente IX.* pag. 413. 415. 416. 417. 418. 419. 420. & 421.

Nonne ſaltem erga aliorum Gallicanorum Epiſcoporum cenſuras magis venerabundi fuerunt Jeſuitæ? Judicet Orbis univerſus ex certiſſima narratione ſequenti. Anno 1658. & 1659. ſolemnes trium Archiepiſcoporum & octodecim præcipuorum Galliæ Epiſcoporum cenſuræ adverſus Caſuiſtarum Apologiam, peſtiferaque ipſius dogmata prodierunt, iiſque reliqui Gallicani Epiſcopi (uno excepto) aſſenſerunt. Quid verò Jeſuitæ, ſoli ipſi unanime tot Epiſcoporum judicium & cenſuras contempſerunt, ſparſiſque libellis inſolentiam, imò & furorem ſpirantibus, adverſus Epiſcopos tumultuati ſunt. Imò & adverſus Romanum Pontificem Alexandrum VII. poſteaquam & ipſe Apologiam condemnavit, contumelioſis verbis invecti ſunt; quemadmodum & adverſus Innocentium XI. velut Janſeniſtam, dum 65. propoſitiones cenſoria notâ dignas cenſuit. Erga eoſdem Epiſcopos Jeſuiticæ modeſtiæ, debitæque Eccleſiæ Principibus obſervantiæ, inſigne ſpecimen exhibuit Honoratus Fabri, Jeſuita Lugdunenſis, dum in Apologetico Societatis to. 1. Vah, inquit, quid non potis ſum de illis Epiſcopis efferre? Abſtineo tamen præ modeſtia & cultu, etiam immeritis debito. Ne-

Neſcio quas hic injurias, mulieris protervæ & maledicæ quàm Sacerdotis digniores, in autorem Tubæ non evomat P. Huylenbroucq: *Impudentiam tuam nemo eſt qui non videat, & qui non unà intelligat quòd tibi ſit cerebrum, quæ mens, quàm vilis animus & humano commercio indignus*: illum præ tribunali ſuo præſto adeſſe jubet: *Cape ſedem, &, ſi potes, tantiſper impera tibi ut auſcultes; paucis te volo.* Nimium feſtinanter epinicium canis, mi Huylenbroucq; nihil affingitur Honorato Fabri quod non dicat in *Apologetico doctrinæ moralis Societatis*. Fateris quidem reperiri parte 2. cap. 8. tibi pag. 337. mihi (qui editione Colonienſi utor) pag. 485. hæc verba: „ A cauſa (cur ab aliquibus Epiſcopis Jeſuitæ malè habeantur) prudens „ abſtineo; publica eſt, notoria eſt, & innumeri ferè „ libelli in hanc rem ſcripti, numquam illam ita ob„ ſcurabunt, quin palam ſemper, & comperta ſit; in„ telligenti pauca: latiſſimus certè ſcribendi campus „ pateret, ſed præ reverentia ſtilum contineo & „ ſiſto. Et ut aliud ſpecimen exhibeas moderati hu„ jus Jeſuitæ animi, hæc illius profers verba: *Jeſuitæ vix centeſimâ ſuorum privilegiorum parte utuntur in Gallia: Epiſcoporum verba & nutus adorant* Hæc ipſe refers; quàm acri judicio dicant alii. Mihi certè videris: in hoc, ſicut & in multis aliis, prodere tuam Societatem.

Aſt ne autumes velle me aliò te traducere: ad locum Fabri qui te irâ incendit, revertor. Inveniſſes *acum in horreo* illo (ſeu potius, putida cloaca) laxitatum veſtrarum, ſi probè quæſiviſſes. Lege *Confutationem præloquii tertii* Wendrokii, mihi pagina 665, & videbis quomodo pungat Epiſcopos: *Quàm multa ſuper his* (Epiſcopis) exclamat, *dicere valerem; ſed præ modeſtia & cultu etiam minùs dignis debito, abſtineo.*

Habuiſti priùs ſenſum propoſitionis Patris tui Honorati Fabri; modò habes ipſiſſima verba. Scire amas cur ſenſus tantum priùs relatus fuerit, non verba? Deſiderio tuo faciam ſatis. Penes autorem Tubæ non erat *Apologeticus* ille. Verba deſumpſit ex ſcripto Gallico

 cui

cui titulus: *Seconde Correction faite au P. Payen.* Inde in latinum tranſtulit. Si quis plura velit de reverentia Patris Fabri & aliorum Jeſuitarum erga Epiſcopos, illum libellum adeat.

CLANGOR XI.

Octavò, Reformanda Jeſuitarum inobedientia & contumacia, adverſus Eccleſiæ, Summorumque Pontificum Decreta, Sociorum votis adverſantia.

DEmonſtrat inobedientiam & contumaciam illam Chriſtianus Alethophilus in libro ſecundis typis nuper edito ſub hoc titulo, *Artes Jeſuiticæ*, à pag. 537. ad 550. cujus verba hìc inſerere non pigebit. „ Nullos erga S. Sedem tam ſubmiſſos eſſe quàm Jeſuitas „ paſſim jactitant Jeſuitæ; imò ſoli ipſi ſunt erga S. „ Sedem verè obedientes, ſi ipſis fides. Nec à ſexaginta circiter annis de alio ſolemniùs ſermonem inſtituunt, quàm de obedientia ſummis Pontificibus debita, de ſubmiſſione ad eorum Conſtitutiones, de „ Formula Alexandrina ſubſcribenda &c. Curita? Notum eſt Orbi univerſo, ideo eſſe, quia in obedientia „ iſta particulare ſuum inveniunt intereſſe. Innocentianam quippe Conſtitutionem, ſicut & Aleandrinas duas, noviſſimamque Clementinam, *Vineam* „ *Domini Sabaoth*, Moliniſmo ſuo ſtabiliendo favorabiles exiſtimant.

„ Verùm ipſos præ cæteris inobedientes eſſe, à debitaque Summorum Pontificum Decretis ac Conſtitutionibus, Sociorum votis adverſantibus, obedientia deficere, ſequentia probant ſpecimina ſeu exempla.

„ Id probant inprimis, tot artes §. 5. enarratæ, quibus S. Sedis judicium, in cauſa Molinianarum Novitatum, ſubterfugere conati ſunt. Quod certè judicium non eſt animi erga S. Sedem verè ſubmiſſi, „ nihilque niſi veritatem amantis.....

„ Secun-

„ Secundò id probant moleſtiæ, quas Clementi VIII.
„ ad definiendum contra Molinam accincto, fecerunt.
„ Nam ut clariſſimus Autor Hiſtoriæ Congregatio-
„ num de Auxiliis narrat. l. 2. c. 23. *Clemens VIII.*
„ *hac unica difficultate cruciabatur (quam poſt dies ali-*
„ *quot Franciſco Pegna, Rota Romanæ Decano, ſecretò*
„ *detexit) ne ſcilicet Jeſuitæ Apoſtolicæ definitioni ſubeſſe*
„ *detrectarent.* Quod facilè ex tumultibus Societatis,
„ querelis, ac minis ſuſpicari erat.... Quemadmodum
„ & ex eo quòd ſub Paulo V. cùm jam inſtructum eſ-
„ ſet Pontificii Diplomatis ſpecimen.... Claudius A-
„ quaviva, Societatis Præpoſitus Generalis, liberali
„ audacia Pontifici ſignificavit, *ſe quidem, ſi fortè San-*
„ *ctitas ſua eam infamiæ notam Societati inureret* (ad-
„ verſus Molinam definiendo) *dena Jeſuitarum millia*
„ *præſtare non poſſe, qui contumelioſa & indecora Apo-*
„ *ſtolicæ Sedis authoritati non ſcriberent.* ..... Dignum
„ profectò Sociorum erga Decreta Apoſtolica reve-
„ rentiæ & obſervantiæ documentum, dignum pecu-
„ liaris obedientiæ ſpecimen, quâ S. Sedi cæteris ar-
„ ctiùs conſtringuntur.

„ Alterum ſpecimen exhibent amaræ Sociorum de
„ eodem Clemente VIII. expoſtulationes: hunc *malo*
„ *in Societatem animo fuiſſe. Ab Hiſpanis in Prædica-*
„ *torum gratiam circumventum. Minus pro dignitate*
„ *argumenti peritum. Molinianæ doctrinæ, ac præſer-*
„ *tim ſcientiæ mediæ myſteria non ſatis edoctum....*

„ In familiari etiam colloquio.... cùm eidem Cle-
„ menti VIII. Generalis Prædicatorum ſpopondiſſet,
„ Ordinem ſuum id omne libenti pronoque exceptu-
„ rum animo, quod Pontificia authoritate ſanciret,
„ Pontifex reſpondit: *Eandem ſe obſequii fidem in Je-*
„ *ſuitis vehementer deſiderare..... Sat clarè perſpectum*
„ *habere, PP. Jeſuitas velle huic negotio moras injicere,*
„ *conantes mihi timorem injicere de magnis turbis inde*
„ *orituris, ſi cenſuram adverſus Molinam emittam, an-*
„ *te auditas omnes illorum Apologias; cùm tamen jam*
„ *per duos integros annos illos quotidie audiverimus.*
„ *Imò voluerunt & autorem per ſeſe audiendum, con-*

„ *ſulendas totius Orbis Academias, quin etiam Concilium Generale indicendum......* ita ut Pontifex intimum doloris ſui ſenſum patefaceret, dicens..... „ *Adeo me iſti perturbant, ut penè mentis errore ex perturbatione me afficiant.* An non iſta præclara Jeſuiticæ erga S. Sedem obſervantiæ ſubmiſſioniſque ſpecimina?" Omnia tamen facta iſta ſolidè probat Hiſtoricus.

„ Tertiò id ipſum probant expoſtulationes ipſorum „ tempore Innocentii X. Cùm enim ſanctiſſimus ille „ Pontifex anno 1646...... pro reformandis abuſibus, „ qui in regimine Societatis emerſerant, Conſtitutionem edidiſſet ſapientia & æquitate pleniſſimam, quâ „ ſub pœna excommunicationis ipſo facto, nec non „ ſuſpenſionis à divinis, privationiſque vocis activæ & „ paſſivæ, atque inhabilitatis ad quodcumque officium, indiſpenſabiliter in perpetuum ſtatuit, Congregationes generales ſingulis novenniis exactè celebrandas, in iiſque novos Aſſiſtentes ſemper eligendos: Provinciales verò, Viſitatores, Rectores, aliosque Officiarios inferiores nonniſi per triennium „ in officiis iſtis permanere poſſe, eoque elapſo per „ annum & dimidium ab iſtis Officiis vacare debere. „ Adverſus Conſtitutionem.... pro bono Societatis „ tam ſapienter editam, Pater Avendaño ejuſdem Societatis, in Theſauro Indico (à Provinciali Toloſano & pleriſque gravibus Soc. PP. approbato) to. 2. „ c. 4. inſurrexit, tanquam Societati *pernicioſam, inconvenientem, contra ordinem fabricatam.... contrariam juri communi*, ex adſtantium *non vera ſuggerentium vitio emanatam.* Sic utique Conſtitutionibus Pontificiis Socii ſe ſubmittunt, dum ad ſalivam „ non ſunt.

„ Quartò, dum Sociorum doctrinam Sedes Apoſtolica proſcribit, nullum jam ampliùs obedientiæ, ſed „ rebellionis & inobedientiæ ſpecimen præbent Jeſuitæ, prout apparuit, dum Pozæ librum doctrinamque" (tot erroribus ſcatentem) „ damnavit. Hiſpanicam namque Inquiſitionem adverſus Romanam,

Regiam-

„ Regiamque authoritatem " (à ſe circumventam)
„ adverſus Pontificiam concitarunt. Palam quoque
„ ſcripſerunt contra Romanam Cenſuram librorum
„ Cellotii, Baunii, Rabardei &c.

„ Quintò, dum Alexander VII. Facultati Theologi-
„ cæ Lovanienſi Breve reſcripſit, quo SS. Doctorum
„ Auguſtini & Thomæ doctrinam mirificè commen-
„ davit, inconcuſſaque atque tutiſſima eorum dogma-
„ ta declaravit, ex Sociis *nonnulli*, *in furorem velut*
„ *acti, in impias has voces erupere*, *laudatum Breve*
„ *per diabolicam machinationem fuiſſe impetratum*. An
„ non egregium Jeſuiticæ obſervantiæ ſpecimen erga
„ Apoſtolicam Sedem? Porrò narrationis iſtius teſtes
„ ſunt Cardinalis Noriſius....... Chriſtianus Lupus.......
„ Vincentius Baronius......

„ Sextò, dum idem Alexander VII. infamem Ca-
„ ſuiſtarum Apologiam ſolemniter condemnavit, con-
„ tumelioſis vocibus adverſus Romanum Pontificem
„ Socii inſurgendo (quemadmodum & adverſus Inno-
„ centium XI. tanquam Janſeniſtam, dum 65. pro-
„ poſitiones, ex ipſis ferè omnes excerptas, velut ut mi-
„ nimùm ſcandaloſas & perniciosas proſcripſit) modi-
„ cæ ſuæ erga S. Sedem obſervantiæ & ſubmiſſionis
„ iteratum exemplum dederunt.

„ Septimò, tantus etiam furor ipſorum adverſus de-
„ nuntiatores propoſitionum illarum, argumentum
„ non eſt jactitatæ ab ipſis Jeſuiticæ ſubmiſſionis ad
„ judicium ſupremi Eccleſiæ Judicis; uti nec temeri-
„ tas, qua in dies adhuc audent nonnullas ex damna-
„ tis propoſitionibus illis ſuſtinere.

„ Octavò, poſt damnatam ſupradictam Apologiam,
„ eam adhuc in deliciis habent, nec adduci poſſunt,
„ ut eam ipſi damnent. Poſt damnatum quoque ſpe-
„ ciali cenſurâ Stubrochium, Apologiæ defenſorem;
„ damnatum ipſius librum Honoratus Fabri, Pontifi-
„ ciam prohibitionem nihil reveritus, Apologetico
„ ſuo doctrinæ Societatis inſeruit.

„ Nonò, Honoratum imitatus P. Moja, ſub nomi-
„ ne Amadæi Guimenii, damnatas Apologiæ laxitates

„ tanta adhuc petulantiâ ſuſtinuit, ut piorum omnium
„ in ſe concitaverit horrorem, multiplicemque S.
„ Congregationis prohibitionem. Cui ſeſe non ſub-
„ mittentes Socii, cùm adhuc Amadæum legendum
„ diſtribuerent, Innocentius XI. de iſta inobedientia
„ graviſſimè conqueſtus, Guimenii librum non ſolùm
„ iteratò proſcripſit, velut Chriſtianis moribus exitio-
„ ſum, ſed & flammis addixit.

„ Decimò, poſt damnatam ab eodem Innocentio
„ XI. ſexageſimam (Baunii) propoſitionem, P. Da-
„ niel, ſeu Autor noviſſimæ reſponſionis ad litteras
„ Provinciales, adhuc eam ſuſtinere audet, dicens
„ propoſitionem illam *nihil mali continere*, uti demon-
„ ſtrat litterarum illarum Apologiſta epiſt. IX. ſicut &
„ ſuſtinere non veretur Sancheſii ſui de reſtrictionibus
„ mentalibus doctrinam, ab eodem ſanctiſſimo Ponti-
„ fice in terminis damnatam propoſ. 26. & 27. prout
„ videre eſt apud eundem epiſt. 15. & 16. Qui etiam
„ epiſt. 5. 6. 7. 8. 13. 15. & 16. demonſtrat, alias inſu-
„ per propoſitiones, partim ab eodem Pontifice, par-
„ tim ab aliis damnatas, variis in Theſibus, libelliſque
„ Sociorum, de homicidio, de probabilitate, de pec-
„ cato Philoſophico &c. adhuc propugnari, ſaltem ut
„ ſpeculativè probabiles......

„ Undecimò, dum Luſitaniæ Socios S. Sedes ſolve-
„ re juſſit pecuniam Cameræ Apoſtolicæ debitam, ip-
„ ſorum diſparuit obedientia, rebellio apparuit.

„ Duodecimò, dum eadem S. Sedes ipſis inhibuit,
„ è fœderatis Provinciis eleemoſynas, à Catholicis ac-
„ ceptas transferre, eò quòd inde Catholici efficeren-
„ tur odioſi, orphanique pueri parochiarum ipſis
„ commiſſarum, Catholicorum auxiliis deſtituti, cum
„ orphanis parentum hæreticorum in hæreſi educa-
„ rentur; adduci non potuerunt, ut tam rationabili
„ mandato obtemperarent." Seducti ab avaritia ſua,
quâ Sociorum divitias puerorum iſtorum ſaluti, Catho-
licæque religionis honori prætulerunt.

„ Decimò tertiò, dum eadem S. Sedes ipſis multo-
„ ties inhibuit negotiationes, tot Pontificiis inhibitio-
„ nibus.

„ nibus uſque adeo prævaluit Sociorum cupiditas con-
„ gregandi divitias, ut Pontificia authoritate non po-
„ tuerit cohiberi, uti demonſtrat Moralis Practica Je-
„ ſuit. to. 3. c. 7.....

Decimò quartò, ob ſuam inobedientiam & rebellionem adverſus Vicarios Apoſtolicos, à S. Sede miſſos, à Tunquinenſi, Cochinchinenſique Miſſionibus per S. Sedem excluſi fuerunt, ut conſtat ex dictis Clangore IX. Ob eandem ipſis quoque novitiorum receptio per totam Italiam, Inſulaſque adjacentes ab Innocentio XI. anno 1684. interdicta fuit.

Decimò quintò, Jeſuitarum adverſus Eccleſiæ & SS. Pontificum decreta inobedientiam & rebellionem demonſtrat omni laude digniſſimus Palafoxius, Angelopolitanus Epiſcopus in priori ſua ad Innocentium X. epiſtola de die 25. Maii 1647. cujus iſta ſunt verba:
„ Pontificiæ Bullæ Clementis VIII. Pauli V. & Urba-
„ ni VIII. prohibent Eccleſiis Cathedralibus ſubtrahi
„ decimas, ab iis jure poſſeſſas, revocatis ab Urbano
„ VIII. pro Regnis Hiſpaniarum (à quibus hæc Re-
„ gna dependent) Jeſuitarum privilegiis in contra-
„ rium, ipſis injungendo ut ſolverent jus tam juſtum
„ & ſanctum, & pro præterito unam vigeſimam dun-
„ taxat. Verùm Jeſuitica potentia hiſce in Regnis ſu-
„ pra Bullas eſt, totque artibus earum impediunt
„ executionem, tot etiam pecunias impendunt, ut
„ fruſtranea reddant S. Sedis Decreta, ut Cathedrali-
„ bus Eccleſiis non relinquatur niſi gemitus & impo-
„ tentia ſeſe defendendi adverſus potentiam adeò ex-
„ ceſſivam, quam novis acquiſitionibus in dies augere
„ non deſinunt: hoc pacto per divitias ſuas injuſtitiam
„ ſuam ſuſtinentes, impedienteſque ne vox noſtra au-
„ diatur, & jus noſtrum, tametſi fundatiſſimum, ad-
„ verſus eorum potentiam defendatur.

„ Videns igitur, Sanctiſſime Pater, Religioſos illos
„ in hoc & aliis Epiſcopatibus adeò diteſcere, atque
„ hoc pacto ſibi decimarum dominium attribuere, Ec-
„ cleſia mea in Capitulo (cui tanquam Epiſcopus ad-
„ ſtiti) ſtatuit cum poſſibili moderatione uti remedio

„ ſibi ſubminiſtrato per Concilium Moguntinum (relatum cap. *Si quis laicus vel Clericus* 16. q. 1.) & per „ Innocentium III. in Concilio Lateranenſi, relatum „ cap. *In aliquibus*, de decimis: ſtatuit (inquam) ſæcu- „ laribus notum facere, ut in venditionibus, quas per- „ ſonis facerent, decimas reſervarent; utpote quas „ cum Cathedralium præjudicio alienare non poſſent, „ ut hoc pacto, ſi recuperari præteritum non poſſet „ (quod admodum notabile erat) ſaltem in futurum „ ſiſteretur continuatio injuſtitiæ, ruinam totalem a- „ lioqui cauſatura.

„ Reſolutio tam juſta, tam legitima, tam juridica, „ tam neceſſaria, S. P. petra fuit ſcandali, cauſaque „ indignationis, perſecutionis, & furoris, cum quo „ Religioſi illi adverſum me, & eodem tempore ad- „ verſus dignitatem meam inſurrexerunt. Videntes „ namque hoc remedio violentam ſiſti invaſionem, qua „ tam ingentes congregabant divitias, ſeſeque omni- „ bus in tribunalibus, ad quæ nos per poſtulationes & „ querelas ſuas attraxerant, cauſâ cadere, ob juſtitiam „ & æquitatem cauſæ noſtræ, juſtitiæ proceſſus atro- „ ces in injurias, poſtulationes juridicas in famoſos „ commutarunt libellos, adverſum me ſcribendo & a- „ gendo, pro eo quòd Eccleſiam meam, & pauperes, „ adverſus ipſorum tuerer Societatem. Tantaque id „ cum audacia & elatione fecerunt, ac ſi Epiſcopalis „ Dignitas prorſus inferior eſſet profeſſione ipſorum. „ Nam & adverſum me in exedris concionati ſunt; & „ in ſermones debitæ venerationi adverſantes in con- „ verſationibus effuſi ſunt; & propoſitiones ſanctas Ca- „ tholicaſque, velut ſuſpectas traduxerunt; & illos ex „ ipſis, qui majori pietate modeſtiaque excellebant, „ è Societate ideo dimiſerunt, quòd aliquam erga me, „ meumque agendi modum, conſiderationem habe- „ rent; illos verò, qui majoris erant audaciæ & petu- „ lantiæ, promoverunt & præmiarunt; ſæculares po- „ teſtates adverſum me concitarunt, ſuadentes ut ex „ hiſce regnis me ejicerent, & ad tantum ſacrilegium „ Regios Miniſtros impellentes; qui tamen Religioſis

„ iſtis ſapientiores, tam intemperantis iracundiæ mo-
„ tibus non ceſſerunt. De aliis injuriis magnis quas
„ mihi fecerunt, S. V. informare poterunt adjuncta
„ ſchediaſmata.

„ Nec mihi poſſibile fuit furorem indignationem-
„ que ipſorum temperare, ne precibus quidem & ſol-
„ licitationibus, per me, & per alios factis, ut ipſos
„ ad pacem, honeſtamque concordiam invitarem;
„ quin ad majores potius exceſſus, poſt illas odii ſui
„ manifeſtationes, proceſſerunt.

„ Siquidem non contenti præjudicio intertinentiæ
„ divini cultus, & pauperum ſublevaminis, per Eccle-
„ ſiaſticorum redituum diminutionem illato, Religioſi
„ Societatis ad aliud longè majus præjudicium proceſ-
„ ſerunt, contra Epiſcopalem juriſdictionem, legiti-
„ mamque ſacramentorum adminiſtrationem. Nam
„ quia magnum habent numerum ſæcularium ſibi ſub-
„ ditorum, in terris quas poſſident, & pluſquam cen-
„ tum Indos ſibi ſubjectos in ſola terra de Amaluca....
„ non deſunt probationes, quòd ipſis abſque neceſſa-
„ ria ad hoc facultate & juriſdictione Sacramenta mi-
„ niſtrent, ipſoſque matrimonio jungant..... licèt adeò
„ occultè..... ut in notitiam noſtram nunquam perve-
„ niſſet, niſi Indi ipſi, orta inter ipſos & Jeſuitas diſ-
„ ficultate, nobis revelaſſent.

„ Quàm grande peccatum iſtud, matrimoniis inva-
„ lidis implicare fideles, quorum Curati non ſunt,
„ contra Concilium Tridentinum & Clementinam 1.
„ de privileg. ubi ſimilia facientes incidunt ipſo facto
„ in excommunicationem, ſoli S. Sedi reſervatam!
„ Quanta temeritas iſtis Eccleſiæ Decretis contrave-
„ nire!

„ Quot ergo non incurrerunt irregularitates & ſuſ-
„ penſiones, in tali ſtatu celebrando & confeſſiones
„ audiendo! Qualis eſt ſtatus eorum quos talibus ma-
„ trimoniis invalidè jungunt, vel quibus alia ſacramen-
„ ta invalidè miniſtrant! Quale non cauſat ſcandalum
„ contemptus iſte ordinationum Eccleſiæ, Apoſtolica-
„ rumque Conſtitutionum! .....

„ Nec tamen ibi finis exceſſuum & contemptuum, „ ex illo ad alium haud minorem, imò ad majorem „ tranſierunt. Tametſi enim ſanctum & venerandum „ dum Tridentinum Concilium prohibeat, ne quis „ confeſſarius vel prædicator functiones iſtas exerceat „ abſque facultate Epiſcopi loci, iſtudque Concilii Decretum „ cretum Summi Pontifices confirmaverint, & inviolabiliter „ labiliter obſervari præceperint, ſcilicet Pius IV. & V. „ Paulus V. Clemens VIII. Gregorius XV. & Urbanus „ nus VIII. omnibus hiſce Conſtitutionibus inobedientes „ dientes PP. Societatis, cùm eſſem abſens & occupatus „ tus in viſitatione Diæceſis meæ, & hujuſce Regni.... „ deſierunt licentias poſtulare, & quamvis mutarent „ Religioſos ſuos, de novo adventantes jubebant confeſſiones „ feſſiones excipere, & prædicare abſque ulla facultate, „ te, & approbatione mea, vel Vicarii mei generalis... „ Cùm itaque ex Regiſtro Secretariæ Epiſcopalis conſtaret, „ ſtaret, ipſos deſtitutos eſſe facultatibus ad iſta neceſſariis, „ ſariis, ad præcavenda mala inde nata ſequi, ipſis, „ conformiter Tridentino, prohibitum fuit, ſæcularium „ rium Confeſſiones audire, & prædicare, uſquedum „ ad id facultatem à me, vel à Vicario meo generali „ poſtulaſſent, & obtinuiſſent.

„ Ipſis perfacile erat tam legitimæ tamque neceſſariæ „ riæ prohibitioni reſpondere, facultates ſuas exhibendo, „ do, ſi haberent, vel poſtulando, ſi non haberent. „ Aſt extrajudicialiter reſponderunt, ſe habere privilegia „ legia ad Confeſſiones abſque approbatione & licentia „ excipiendas. Poſtulatâ ab ipſis Privilegiorum iſtorum „ rum exhibitione, reſponderunt, ſe privilegium habere „ bere de non exhibendo. Poſtulatâ denique ſaltem „ iſtius privilegii exhibitione, reſponderunt ſe ad id „ non teneri. Cúmque in poſſeſſione eſſent prædicandi, „ di, confeſſioneſque excipiendi, continuaturos ſeſe „ functiones iſtas, prout de facto continuarunt, non „ obſtante prohibitione ſibi facta.

„ Id cernens Vicarius meus generalis, attentis ſacrilegiis „ crilegiis quæ committebantur per ejuſmodi Confeſſiones „ feſſiones non approbatis factas, contra Concilium

„ Tri-

„ Tridentinum, Apoſtolicaſque Conſtitutiones; attentis nullitatibus ejuſmodi Confeſſionum, & ſcandalis inde exorientibus in materia ad ſacramenta ſpectante, Edictum promulgavit, quo fideles monuit, ne Jeſuitis facultate Confeſſiones excipiendi deſtitutis confiterentur, & Jeſuitis prohibuit confeſſionum auditionem continuare, uſquedum facultatem obtinuiſſent, vel privilegia ſua exhibuiſſent.

„ Inde offenſi ſancti illi Societatis Religioſi, etiamſi Vicarius meus generalis nihil feciſſet niſi in executionem Decreti S. Concilii Tridentini, Pontificiarumque Conſtitutionum, Mexicum profecti.... non ſolùm non obedierunt, nec ſeſe ſubmiſerunt Concilio, nec Sanctæ Sedi, ſed contra obedientiam utriſque debitam omni diligentia Conſervatorem quæſierunt, apud quem de me, meoque Proviſore conquererentur. Aſt ſapientioribus Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus commiſſionem iſtam recuſantibus, duo Dominicani, Joannes de Paredes, & Auguſtinus Badinez...... quatuor millium ſcutorum pretio conducti, & inducti, prout omnibus notum eſt, commiſſionem acceptarunt contra juris præſcripta (Regularibus in cauſa Regularium conſervatoriam acceptare inhibentia) eo quod eandem habeant cauſam, & idem intereſſe....

„ Erecto à prætenſis iſtis Conſervatoribus Tribunali contra præſcriptum Concilii Tridentini, Jeſuitæ coram iſto Tribunali contra me, & Vicarium meum generalem intentarunt actionem injuriæ, quam ſe accepiſſe dicebant per mandata ab ipſis exigentia licentiarum ſuarum exhibitionem, confeſſionumque auditionem inhibentia, donec exhibuiſſent, pro injuria Societati ſuæ facta id accipientes, quod non erat niſi pura puta executio Bullarum Pontificiarum, ſacrique Concilii Tridentini, neceſſaria ad legitimam ſacramentorum adminiſtrationem.

„ Jeſuitæ, S. P. hiſce in provinciis tàm imperioſè ſe gerunt, ut Epiſcopalia jura pro injuriis habeant, obedientiamque Eccleſiæ legibus præſtitam, pro

„ præ-

„ prætenſarum exemptionum ſuarum prævaricatione,
„ commentitiis interpretationibus & imaginariis præ-
„ tenſionibus ſuis fruſtranea, imò & odioſa reddentes
„ Eccleſiæ ſeu Conciliorum & SS. Pontificum Decre-
„ ta quæ non emanarunt, niſi ut mandarentur execu-
„ tioni. Siquidem accuſant, perſequuntur, calum-
„ niantur Prælatos executionem exigentes, ſuas alle-
„ gantes conſuetudines, quas Concilium damnat, al-
„ legantes & practicam ſuam Eccleſiæ legibus in ma-
„ teria ſacramentorum diametraliter adverſam.

„ Tametſi verò Conſervatores iſtos, ſuppoſito quòd
„ Conſervatores eſſe potuiſſent, ante juridicum pro-
„ ceſſum, oportuiſſet commiſſiones ſuas Ordinario
„ præſentare, ut eis deferret, ſi legitimas exiſtimaſ-
„ ſet; ſin minùs, *nequaquam in cauſa procederetur,*
„ *donec per arbitros in forma juris electos, ſuper ſuſpi-*
„ *cione, aut juriſdictionis competentia fuiſſet judicatum,*
„ prout iis ipſis verbis ſtatuit S. Concilium Tridenti-
„ num, & antè ſtatuerat Apoſtolica Conſtitutio Boni-
„ facii VII. per Bullam Gregorii V. confirmata: pro-
„ ceſſus ſuos inde ipſi inchoarunt, ubi alii Judices fi-
„ nire ſolent, à prolatione utique ſententiæ. Non au-
„ ditis namque partibus, non exhibitis Ordinario
„ commiſſionibus ſuis..... facultates ſuas excedentes,
„ alienaque in Diœceſi juriſdictionem exercere volen-
„ tes, Judices eſſe voluerunt ipſiuſmet Epiſcopi, ſui-
„ que Vicarii generalis, ſub cenſuris, pœniſque pe-
„ cuniariis, ipſis præcipientes, ut Religioſos Societa-
„ tis, nullam habentes prædicandi, confeſſioneſque
„ excipiendi facultatem, reſtituerent in uſum poſſeſ-
„ ſionis id faciendi. Quod idem fuit, ac præcipere,
„ ut ipſos reſtituerent in uſum poſſeſſionis tot & tanta
„ ſacrilegia committendi, quot & quanta committunt
„ qui abſque legitima facultate prædicant, confeſſio-
„ neſque excipiunt. Uno itaque ictu duo iſti Religio-
„ ſi revocare auſi ſunt, eo in puncto, Concilium Tri-
„ dentinum, Bullas SS. Pontificum, declarationes
„ Cardinalium, ſenſum unanimem Theologorum,
„ etiam Societatis, ipſas quoque Societatis Conſtitu-

„ tio-

„ tiones, Jeſuitis inhibentes prædicare, & Confeſſio-
„ nes excipere, abſque licentia & approbatione Epiſ-
„ copi loci.

„ Videns itaque Vicarius meus generalis temerita-
„ tem illam magnam Jeſuitarum, in contemptum
„ Concilii, Bullarum, propriarumque Conſtitutio-
„ num. Videns etiam quòd duo illi Religioſi, non
„ tam Conſervatores eſſent, quàm Diſſipatores Eccle-
„ ſiaſticæ juriſdictionis, ac diſciplinæ, legitimæ admi-
„ niſtrationis ſacramentorum, quódque contra me di-
„ rectè agerent, imò contra Eccleſiæ Decreta, cenſu-
„ ris manifeſtis ſeſe illaqueantes, & ſeſe gerentes cum
„ eâ temeritate & audacia, cujus in Catholicis regio-
„ nibus viſum hactenus non eſſet exemplum. Videns
„ denique quòd tanta cum temeritate uſurpando ju-
„ riſdictionem, Nobis Epiſcopis, tanquam S. V. De-
„ legatis competentem, manifeſtè incidiſſent in excom-
„ municationem latam in Bulla Cœnæ art. 15. 16. & 17.
„ ipſos denuntiavit excommunicatos.

„ Perfacile erat Jeſuitis, ut antè dixi, totum iſtud
„ negotium componere, facultates ſuas exhibendo,
„ vel novas poſtulando: verùm Eccleſiæ Decretis ſe-
„ ſe humiliter ſubmittere detrectantes, recuſata au-
„ dientia Regia, ſubſidium, in favorem Conſervato-
„ rum, petentes ab amico ſuo Vicerege, ad ſæcula-
„ rem poteſtatem recurrerunt, ut manu armata Con-
„ ſervatores cum gladiis & bombardis protegeren-
„ tur.

„ Qua protectione obtenta, protinus intruſi Conſer-
„ vatores, nulla facta citatione, nec actorum ſuorum
„ inſinuatione, ſtupenda cum temeritate declararunt,
„ Me, Vicariumque meum generalem, Notarium
„ publicum, & alios domeſticos cenſuras incurriſſe,
„ contraque jura omnia agentes, ſcandala multa &
„ nullitates commiſerunt, atque excommunicati miſ-
„ ſas publicè celebrarunt. Ad vindicandoſque illegiti-
„ mos proceſſus ſuos, teſtes falſos quæſierunt, qui
„ dicerent, Me & Vicarium meum generalem non
„ permiſiſſe, ut nobis inſinuarentur Acta ipſorum;

„ etiam-

„ etiamſi quotidie ad Eccleſiam egrederemur, & ad „ civitatem, ubi nos negotia vocabant, domeſticiſque „ noſtris injungeremus, ne cui nos alloqui volenti ac- „ ceſſum negarent. Eadem illa acta ſua, nobis abſen- „ tibus detulerunt, parietibus intimuarunt, vel perſo- „ nis ſuppoſititiis, ut prætextum haberent proceſſui ea, „ manifeſta cum fallacia, inſerendi. Quo fideles adeò „ ſcandalizati fuerunt, ut ne in Eccleſia quidem Ca- „ thedrali Mexicana, viginti leucis diſtante ab Ange- „ lopolitana, ferre potuerint ut Conſervatorum illo- „ rum Edictio legeretur, populo acclamante lectori, „ ut è cathedra deſcenderet: quia Conſervatores habe- „ bat velut notorios Concilii, Apoſtolicarumque Con- „ ſtitutionum inimicos. Eò denique temeritas ipſo- „ rum proceſſit, ut Me publicè denuntiarint excom- „ municatum...... (tametſi nihil iſto in negotio ege- „ rim, ſed ſolus Proviſor meus) ex quo facto adeò „ ſcandalizatæ fuerunt iſtæ Provinciæ (quarum Vice- „ Rex fui & Viſitator generalis) ut à populis, zelo „ accenſis, cenſuræ fuerint laceratæ. Nec enim ferre „ potuerunt injuſtitiam tantam, nec tantam Epiſcopa- „ lis dignitatis injuriam & contemptum.

„ Ecce quomodo hiſce in provinciis agunt Patres „ Societatis, S. P. abſque ulla utique veneratione, „ obedientia & ſubmiſſione ad Bullas & Concilia, ſuis „ abutentes privilegiis, eaque non ſolùm extendentes „ ad ea quæ iis non continentur, ſed & ad ea quæ iis „ prohibentur, altaria conſecrando, & calices &c. „ Tametſi enim in iis expreſſè declaretur id ſolùm poſ- „ ſe in infidelium terris, ubi nullus eſt Catholicus E- „ piſcopus, ſacraque Eminentiſſ. DD. Cardinalium „ Congregatio anno 1626. declaraverit id ipſos non „ poſſe, contemptis hiſce declarationibus id facere „ præſumunt hiſce in regionibus, ubi Epiſcopi non „ deſunt, ſeſe fundantes in privilegiis, à ſe nunquam „ viſis. Quorum dum poſtulatur exhibitio, ſuſtinent „ ſe ad eam non teneri. Si ad exhibitionem cenſuris, „ ſecundùm diſpoſitionem juris, adſtringantur, Con- „ ſervatores nominant, ſæculareſque ſibi devotas

„ com-

„ commovent Poteſtates. Si adverſus ipſos ſecundùm „ ordinarias juris regulas procedatur, injurias maxi„ mas Societati ſuæ fieri contendunt, altè conclaman„ tes ſe perſecutionem pati, velutque in fide ſuſpectos „ traducentes eos qui nihil agunt, niſi ſecundùm Ec„ cleſiæ deciſiones, quæ fulcimenta ſunt fidei. Nec „ hiſce contenti, ſcandaloſa ſcripta componunt, & in „ populo ſpargunt, in Scholiſque ſuis pueros docent „ Epiſcopum ſuum non venerari, nec ipſi obedire. „ Ipſis denique legendas tradunt ordinationes Conſer„ vatorum, quos Epiſcopus publicè denuntiavit excom„ municatos, reſolutioneſque, quibus aſſerere audent, „ peccatum eſſe mortale, Paſtori & Epiſcopo ſuo obe„ dire in concernentibus litem, quam ſuſtinet adverſus „ Societatem.

„ Omnia iſta, S. P. demonſtrantur in ſchediaſma„ tis quæ ad S. V. tranſmitto. In iis videbit quomodo „ fideles inducere conentur, 1. Ad ſeſe erigendum „ adverſus Epiſcopum ſuum, denegandamque ipſi o„ bedientiam, & ſubmiſſionem. 2. Ad diſrumpen„ dum ſpirituale iſtius ſubmiſſionis vinculum. 3. Ad „ erigendum altare contra altare. 4. Ad ſchiſma & „ animorum diviſionem. Quibus exceſſibus adeò ma„ nifeſtis, quia Epiſcopus ſe opponit, ipſum perſe„ quuntur, & accuſant de illata ſibi injuria..... Ob id „ ſolùm, quia ipſis non placet ſeſe humiliter ſubmit„ tere S. Concilio Tridentino, prout cæteri Religioſi „ ſeſe ſubmittunt.

„ Si Concilii Tridentini executio ſit Societati inju„ ria, dicendum eſt, S. P. Concilium iſtud Societati „ eſſe injurioſum, injuriarumque & gravaminum fon„ tem. Et ſi Summorum Pontificum Decreta, abſque „ peccato, offenſâque proximi, mandari non poſſent „ executioni, dicendum foret, Eccleſiæ regulas, quæ „ fundamenta ſunt juris ac juſtitiæ, injuſtitiæ fontes „ eſſe. Fuitne aliquando Catholicus, qui jus & juſti„ tiam ipſam, injuſtitiam vocaret? Poſſibilene eſt, „ quòd ſanctarum Concilii definitionum, inordinatio„ nem omnem & confuſionem eliminantium, execu„ tio,

„ tio, inordinatio ſit? Aliquidne magis inviolabile eſt
„ in Eccleſia, quàm quòd œcumenica nos Concilia
„ ſacris in canonibus docent, & in deciſionibus ſuis S.
„ Sedes? Credibilene eſt, decretorum iſtorum amo-
„ rem, venerationem, obedientiam eorum cordibus in-
„ eſſe, qui de eorum executione conqueruntur? ....

„ Jeſuitæ, S. P. ſtatum totum Eccleſiaſticum per-
„ turbant, in eum lamentabile ſchiſma inducendo,
„ dogmataque prorſus damnabilia ſequendo, populo-
„ que credibilia reddendo, dum ab ipſis videt in pra-
„ xim reduci;

„ 1. Quòd ſæcularium confeſſiones excipere poſſint
„ abſque licentia & approbatione Ordinarii loci, in quo
„ eas excipiunt: cùm id Societatis Patres de facto pra-
„ cticent.

„ 2. Quòd extra domos ſuas matrimonio jungere
„ poſſint eos quorum Curati non ſunt, ipſique ſacra-
„ menta miniſtrare.

„ 3. Quòd injuriam faciat Societati, qui adverſus
„ eam Eccleſiæ ſuæ jura tuetur, dum decimas ipſi
„ debitas Socii ſurripiunt.

„ 4. Quòd Jeſuitæ privilegia ſua exhibere non te-
„ neantur Epiſcopo, nullam de iis notitiam habenti,
„ dum eorum exhibitionem poſtulat, ut conſcientiæ
„ ſuæ ſatisfaciat.

„ 5. Quòd injuriam faciat Societati, qui mediis le-
„ gitimis utitur pro executione decretorum Eccleſiæ,
„ Papaliumque Conſtitutionum.

„ 6. Quòd Conſervatores nominare poſſint, qui eos
„ tueantur adverſus Epiſcopum, dum purè exequi-
„ tur præfata decreta, quaſi in eo injuriam ipſis fa-
„ ciat, & Societas Conciliis & Pontificiis Bullis ſubdita
„ non ſit.

„ 7. Quòd Regulares in Conſervatores nominare
„ poſſint, quàmlibet jure exceptos, ob intereſſe ipſis
„ commune.

„ 8. Quòd fideles Diæceſani obedire non debeant
„ Epiſcopo ſuo, adverſus Socios litiganti, tametſi ni-
„ hil faciat niſi purè exequi ordinationes Concilii.

„ 9. Quòd

„ 9. Quòd Societatis homines jus habeant contu-
„ meliâ Epiſcopos afficiendi; Epiſcopi verò jus non
„ habeant ab iis ſeſe defendendi.

„ In cæteris omnibus tantâ cum audacia, Eccleſia-
„ ſticæ dignitatis contemptu Jeſuitæ ſe gerunt, S. P.
„ ut nulla non contumelia afficiant Epiſcopum, niſi
„ ſeſe ſubmittant voluntati ipſorum Sociorumque a-
„ micitiam, animarum ſaluti, Conſcientiæque ſuæ o-
„ bligationi præferat.

Hæc & alia ibi laudatiſſimus Palafoxius in epiſtola illa, Hiſpanico idiomate conſcripta; cujus originale Romæ aſſervatur. Gallico idiomate integra videri poteſt Moral. pract. to. 4. à pag. 342. ad 375.

Decimò ſextò, Jeſuitarum erga Eccleſiæ Decreta inobedientiam Palafoxius in altera ad eundem Innocentium X. epiſt. art. 82. demonſtrat ſic: Tridentinum ſeſſ. 22. c. 15. ſtatuit ac decernit, *nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium..... approbationem obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemoriali non obſtantibus.* Decreto tam ſancto tamque rationabili ſeſe ſubmittere recuſarunt Jeſuitæ (licèt cæteri Regulares omnes ſeſe ſubmiſerint) *affirmantes graviſſimum duriſſimumque eſſe* (verba ſunt Palafoxii) *Religioſos ſuos, quicumque ſint, ſive juvenes, ſive ſenes hi fuerint, ſive à me cogniti, ſive non cogniti, ſive docti, ſive indocti, examini Synodalium exponi; ideoque nolle ipſorum cenſuræ ſubjici*; nolle proinde ſubjici decreto ſacri Concilii Tridentini.

Decimò ſeptimò, præmiſſa confirmat ibidem art. IX. his verbis: *Jeſuitica Religio..... cum tota Eccleſia univerſali contendit, etiam Tuam Apoſtolicam Sedem, ſupra Petram, quæ Chriſtus eſt, fundatam, ſi non verbis, factis tamen negat, ut in præſenti negotio clariſſimè comprobatur.* Dixerat etiam art. LXIX. *Spiritualis tranquillitas, P. B. ubi cum Jeſuitis res* agitur, ſolùm à Jeſu Chriſto, & à Tua *Sanctitate ejus Vicario reddi ſtabilirique*

que poteſt. Adeò enim terribilis eſt, ſi non reformetur, eorum in Eccleſia univerſali potentia, adeò ampliſſimæ facultates, honores, divitiæ, ut omnibus dignitatibus, Legibus, Conciliis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus potentiores exiſtant, ita ut neceſſe Epiſcopis ſit (ſaltem in his partibus) aut in concertatione mori, & cauſâ cadere & ſuccumbere, aut ſuis nutibus obſecundare, aut ad minus ſummo diſcrimine, periculis, expenſis, incommoditatibus, falſiſque eorum criminationibus illaqueatis, dubium exitum de ſanctiſſimæ & juſtiſſima cauſa expectare.

Quidquid adversùs hunc clangorem coaxet Pater Huylenbroucq; & licèt in teſtimonium obedientiæ Jeſuitarum erga Pontifices producat declarationem 20. Nov. 1711. à Generali Tamburino cum Aſſiſtentibus Nationum & Procuratoribus Provinciarum editam, audeo ego verbis illis, facta illorum opponere; illa intelligo quæ agunt in China, in Macao: nimis nota ſunt ut diutiùs illis immorer. Dijudicabit æquus lector, quis magis ſincerè procedat, an Tubæ Autor qui exempla inobedientiæ & proterviæ Jeſuitarum ponit, an Pater Huylenbroucq, qui non niſi verba obedientiæ & ſubmiſſionis profert.

CLANGOR XII.

Nonò, Reformanda in Jeſuitis privilegiorum ſingularitas, ob eorum abuſum.

RAtio eſt, quia non eſt dignus accipere beneficium, qui eo abutitur in benefactoris contemptum, prout Jeſuitas facere demonſtratum eſt Clangore præcedenti. Et quemadmodum *certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*, reg. 88. juris in 6. ita certum eſt quòd is committit in privilegium, qui privilegii verba complectens, contra ejus, ſeu privilegiantis nititur voluntatem. Talis proinde indignus eſt gratiâ Principis, imò dignus cui gratia Principis auferatur. Si enim

enim dignus eſt cui talentum auferatur, qui eo non utitur ad profectum, juxta illud Matth. 25, *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur*, ſi fructum faciat, & abundabit; *non habenti autem* fructum, *& quod videtur habere* talentum *auferetur ab eo*; quanto magis dignus eſt, cui privilegium auferatur, qui non ſolùm eo non utitur ad profectum & ſalutem animarum, ſed & eo abutitur ad animarum perditionem, Epiſcoporumque & legum Eccleſiaſticarum contemptum, & non ſolùm in rebellionem adverſus Epiſcopos, ſed & adverſus Epiſcoporum Epiſcopum?

Si ergo talis dignus eſt cui privilegia cæteris Regularibus communia auferantur, quanto magis dignus eſt cui auferantur particularia, ſive aliis non communia? Maximè cùm ex eorum ſingularitate adeo inflata ſit Jeſuitarum potentia, ut *nulla alia Religio Eccleſiæ univerſali tanto hactenus fuerit impedimento, & diſcordiis adeo Orbem Chriſtianum impleverit*, prout in 2. ad Innocentium X. epiſtola art. 107. Palafoxius teſtatur. *Nec mirum certè*, inquit, *Religio enim iſta ſingularitate ſua laborat potiùs quàm lucet. Neque enim Clerum in totum ſapit, neque regularitatem omni modo amplectitur, ſed utrorumque privilegiis gaudens, imò excellere & excedere prærogativis ab Apoſtolica Sede irrevocabiliter conceſſis exiſtimans, utroſque contemnit, ſeſeque ſupra omnes Eccleſiaſticos Ordines extollit*, privilegiorum ſuorum ſingularitate uſque adeo abutens, ut ea ultra debitum, imò contra debitum, contra Eccleſiæ utique & SS. Pontificum prohibitiones extendat, prout manifeſtum eſt ex dictis Clangore præcedenti, & amplius manifeſtum facit Palafoxius eadem in epiſtola, ex eo quòd, eorum prætextu, ne tunc quidem Apoſtolicæ Sedi, Regiiſque Edictis Jeſuitæ ſeſe ſubmittant, dum Pontificiis Brevibus, Regalibuſque Decretis iis innitentibus, ad ſubmiſſionem Epiſcopis debitam adſtringuntur. Nam, ut ait art. 61. *His Pontificiis Regalibuſque Decretis reſpondent Religioſi Jeſuitæ, Breve ſcilicet S. T. hac ſuper cauſa expeditum Romæ die* 16. *Maii anno* 1648.

virI-

viribus eſſe evacuatum. Primò, quòd ab Indiarum Conſilio minimè approbatum ſit. Et hæc allegant, quamvis Decretis ſchedulisque Regiis contrarium ſtatutum eſt. Brevia enim, quæ cum citatione partium, & in contradictorio judicio in Romana Curia obtinentur, patefieri Indiarum Conſilio minimè jubentur, ſed tantùm ea quæ ad Patronatum pertinent.... Ego enim, qui per viginti annos Catholiciſſimo Domino meo in ſuis Regiis Conſiliis inſervivi, ejus mentem religioſiſſimam callens, & miram in Sedem Apoſtolicam obſervantiam, omnia ea quæ ad fidem pertinent, & quæ Catholicam religionem augent, & quæ animos ad æterna dirigunt, & quæ ſacramenta ſtatuunt, & quæ optimum adminiſtrandi ordinem introducunt ac tuentur, & denique quæ mala vitant, aut bona juvant, à Rege piiſſimo & religioſiſſimo, & ab Indiarum Senatoribus doctiſſimis & integerrimis non tantùm approbari, ſed etiam voce, legibus, pecuniis, viribusque omnibus juvari & commendari compertiſſimum habeo.

Secundò contra idem Breve Tuæ S. affirmant Jeſuitæ ſua privilegia conceſſa eſſe à Sede Apoſtolica propter merita, & in contractus tranſiiſſe, & ideò pacta vocari potius quàm privilegia: cujus causâ à Tua B. revocari non poſſe.

Tertiò..... quia clauſulam habent, ut quamvis de verbo ad verbum derogentur, non poſſint revocari. Et ideo neque à Tua S. ut Paulus V. in ſuo privilegio ſtatuit, quod incipit: Quantum Religio.

Quartò tandem, quia Tuæ S. Apoſtolicæ literæ ſuper hac cauſa expeditæ, & SS. Pontificum Gregorii XV. & Urbani VIII. Conſtitutiones, non ſunt ab Eccleſia admiſſæ, neque conſuetudini traditæ; & leges quæ non admittuntur pro legibus non computantur.

Et hæc Jeſuitæ contra Tuas literas, S. P. proferunt, & totis viribus defendere conantur.

Verùm iſte quidem Conſtitutionum Apoſtolicarum & privilegiorum interpretandi Jeſuitarum modus, non tantùm negotio ipſo ingratus & moleſtus eſt, ſed etiam doctrinæ fidei, & Apoſtolicæ Sedis autoritati & dignitati moleſtiſſimus & nocentiſſimus. Nam

Nam hac interpretatione autoritas & poteſtas Pontificum infringitur, Eccleſia gubernatio turbatur, omne ſacra juriſdictionis robur & dignitas debilitatur, &, quod nefarium eſt; omnes pene à Sede Apoſtolica emanata Conſtitutiones, quæ quotidie magno Reipublicæ Chriſtianæ commodo ſtatuuntur & divulgantur, ad inanem & quandam vagam & umbratilem legum formam reducuntur. Pontificia ſiquidem poteſtas (hiſce ad Petrum verbis à Domino collata, *Paſce oves meas*, ut antè dixit) *non tantùm coarctatur, ſed minuitur, ſi Urbano VIII. minor ſit autoritas ad revocandum, quod ipſi videbitur univerſalis Eccleſiæ commodo & religionis augmento utile revocari, eà poteſtate, qua Paulo V. fuit ad ſtatuendum. Nam ſi Pontificibus poſterioribus non licet reformare, quæ ab Anteceſſoribus ſanctiſſimè conſtituta, tractu temporis, propter varias rerum humanarum viciſſitudines & cauſas reformatione vel mutatione indigent, & quæ ipſi, ſi viverent, reformarent, poſterior quidem Pontifex erit minor dignitate, autoritate & poteſtate anteriori, & orbata videbitur Eccleſia, circa ea quæ remediis indigent, capite univerſali, & judice controverſiarum ſupremo: & non tam Pontifices ſummi, fidei directores & judices, quàm Anteceſſorum legum Conſtitutionumque vocabuntur executores; quod aſſerere nefandiſſimum eſt.*

Leges enim condere, revocare, edere, temperare, & ad ſuam obſervantiam populos & Eccleſiaſticos Ordines compellere, cuicumque Vicario Chriſti Domini Romano Pontifici æqualiter competit, ſine limitatione aliqua (ſalva ſolùm naturali lege & divina) quod nemo Catholicus hucuſque negavit. Et præcipuè hoc eſſe certiſſimum inconveniens conſtat; cùm omnium ferè, ſive Cleri, ſive Cathedralium, ſive piorum locorum, ſive Regularium privilegia clauſulis eiſdem Jeſuitarum privilegiorum fulciantur, & propter propria merita concedantur: & ita in nullo eorum Pontifices quid immutare poſſe dicendum eſſet.

Quod quidem abſurdiſſimum eſt; nam ſemper in omnibus Apoſtolicis Mandatis, Conſtitutionibus, & privi-

legiis clauſula hac tacita, ſecreta & nunquam moritura viget, qua omnibus aliis fortiùs influere neminem etiam minimè eruditum latet, videlicet, ſalva ſemper in omnibus ſuprema Apoſtolica Sedis autoritate, & majori Eccleſia univerſalis utilitate, qua in ſtatuendis, erigendis, derogandis privilegiis & Conſtitutionibus praeminet.

In ultimo autem Jeſuitarum fundamento, aſſerere acceptatas non eſſe ab Eccleſia, id eſt ab ipſis (ita ego intelligo) has Apoſtolicas Conſtitutiones, nempe quia ipſorum adverſantur privilegiis (ſi enim non adverſarentur, abſque dubio acceptarentur ab eis) audaciorem eſſe iſtam interpretandi methodum, quàm à Tua Apoſtolica autoritate tolerari poſſit; Innocenti ſanctiſſime, exiſtimo.

Quamvis enim verum ſit, leges univerſales aliquorum populorum aſſenſu, ut obligent, indigere, pracipuè quando ſuperiorum pracepta non urgent, neque eorum ſecundis juſſionibus repugnant; *vel deſidia corrigitur ſubditorum. Tamen hac juris regulâ omnes & ſingulas, & eas qua in contradictorio judicio lata ſunt, Apoſtolicas Conſtitutiones, vel qua circa ſacramenta, vel fidem, à Pontificibus Romanis ſtatuuntur, vel qua circa ſacramentorum adminiſtrationem afferunt jurisdictionem, vel auferunt, interpretari, & à ſubditorum voluntate, aut ab eorum arbitrio Eccleſiaſticarum legum firmitatem pendere, &, ſi nolint eas acceptare, minimè obligare, aſſerere, Eccleſia univerſali pernicioſiſſimum eſſe, quis non videt?*

Si enim à voluntate pendet ſubditorum, Conſtitutionum robur & validitas, vana eſt & nulla ſuperiorum quidem poteſtas. Et ſi Jeſuita nobis neceſſarii ſunt, ut ſua privilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa vel declarentur, vel moderentur, vel revocentur, & ſine eis Apoſtolica autoritas non tenet: certè nunquam, B. P. quietem habebimus, ſed in his diſſenſionum fluctibus jactabimur.

Ideo hac Jeſuitarum opinio, P. B. iſtaque inſpiratio vel illuminatio, & interpretandi Apoſtolicas Conſtitutiones methodus, quia Apoſtolica quidem non eſt, Apoſtolicâ indiget virgâ cenſoriâ. Nihil enim Apoſtolica Sedis obſervan-

vantia, obedientia, & reverentia ſapit; & hoc cùm pluries dixerint mihi Jeſuitæ, in conferentiis ſuper hac cauſâ mecum habitis, pluries etiam, ut debui, facie ad faciem reſtiti: ipſi tamen in eadem ſententia opinionibuſque verſantur; & quamvis ſcriptis & typis edere non audent, tamen eis Jeſuitæ opinionibus vivunt, & ſua privilegia jam emortua, etiam in ipſis funeribus rediviva eſſe contendunt, & iis jam finitis & revocatis, cum maxima animarum pernicie, in foro interiori utuntur.

Ergo Patres Jeſuitæ, jam rejectis S. T. decretis, non reverentiùs Regias declarationes ſuſceperunt. Nam cùm in eis religioſiſſimus Rex, ſuuſque ampliſſimus Senatus, idem quod T. S. nobis Epiſcopis, & Regularibus, Audientiæ Mexicanæ declaraſſet, ſcilicet Conſervatores in hoc caſu creari non debere; neque prætextu injuriarum Epiſcopum, ejuſque Proviſorem, Cleros, & populos moleſtari potuiſſe; neque, Audientiâ Regali recuſatâ, Proregi, adeo impotenter & cæco nutu Jeſuitis auxiliari licuiſſe: intimatis ſchedulis reſponderunt Jeſuitæ, nihil hoc Regale Decretum cauſa ſuæ obeſſe. Laici enim cùm ſint, tam Senatus, quàm Catholicus Rex, de cauſis ſpiritualibus cognoſcere non potuiſſe.

Itaque quando Prorex, Comes de Salvatierra, pro ipſis declaravit, in ſpiritualibus Conſervatores Jeſuiticos legitimè procedere, & validè juriſdictionem Eccleſiaſticam invadere, & opprimere, & Jeſuitas ad exhibendas licentias confitendi & prædicandi non teneri, & injuris à Proviſore affectos, quia ab audiendis confeſſionibus abſtinere eis juſſerat: tunc licet laico Judici Proregi, tanquam ſi eſſet Pontifex, vel tanquam Legatus Apoſtolicæ Sedis, de ſpiritualibus judicare, & Epiſcopos incarcerare, & ſacerdotes relegare, & alia quæ ſupra dicta ſunt, perpetrare. Quando autem Rex, Senatuſque ejus, ab ipſis Religioſis invocatus, contrarium declarat, & perperam feciſſe Miniſtros ſæculares, in auxiliando Conſervatoribus, pronuntiat, laicus eſt Senatus, laicus eſt Rex, controverſia eſt ſpiritualis.

Cùm certiſſimum ſit, P. B. quòd quamvis de ſpiritualibus

libus

libus non liceat laicis, etiam ſupremis Conſiliis ſæcularibus judicare; imò, ſi ipſis ſibi deferant jus & poteſtatem declarandi eccleſiaſticas & ſpirituales controverſias, tanquam Judices earum legitimi & ſupremi, nefandiſſimum ſit: tamen declarare & interpretari Apoſtolicas Conſtitutiones, id eſt jubere & imperare ſuis Miniſtris & Audientiis Regalibus, ut Conſtitutiones Apoſtolicas protegant & defendant, auxilientur & coadjuvent, & ſecundùm ipſas judicent, & contra Eccleſiaſtica Decreta Regulares agere non permittant, & Epiſcopos adjuvent; non tantùm Eccleſiæ non nocens, imò Eccleſiæ utiliſſimum & neceſſarium eſſe, nemo eſt qui ignoret. Quis enim negabit brachio ſiniſtro ſæculari ſpirituale dexterum adjuvandum eſſe, & utroque connexo, & in unum tendente, Dei ordinationem, id eſt eccleſiaſticam juriſdictionem, Pontificiam & Epiſcopalem protegendam eſſe?

Soluti ergo jam in ſuo ipſo judicio à Pontificia juriſdictione, & Regia poteſtate Jeſuitæ, & omni, ſive ſpirituali, ſive temporali juriſdictione ſuperiores, neſcio quo fine libellum mihi porrigunt, in quo proteſtantur, ſe neque per Pontificia Decreta, neque per Regia Mandata, ſed pro mea tantùm ordinaria juriſdictione licentias confitendi, per duos pene annos à me expoſtulatas, ab ipſis denegatas exhibere velle; &, ſi iſtæ non eſſent ſufficientes, à me expoſtulaturos confitendi facultatem; ſemper tamen inſiſtentes, etiam intimato Brevi Tuæ S. (quo contrarium cavetur) licere ſibi confeſſiones ſæcularium audire ſine licentia proprii Epiſcopi, in vim ſuorum privilegiorum.

Libellum porrectum accepi, non ſine magna admiratione, Jeſuitas juriſdictioni majori, id eſt Pontificiæ, meam juriſdictionem, quæ illius rivulus quidam eſt, anteferre: & poſt tot pericula, controverſias, difficultates, ſcandala, ad Tuam Sanctitatem recurſus, nunc tandem facere, quod prima die ab ipſis faciendum fuerat.

Verùm cùm mihi pateret, eos ſine licentiâ prædicare, & Confeſſiones ſæcularium audire, enixè conſiderans, ut aliquo modo hoc Eccleſiaſticum ſchiſma tolleretur, licentias accepi, & quas à meis Anteceſſoribus conceſſas inveni,

veni, (quæ pauciſſimæ erant) approbavi, & Religioſis Senioribus & Doctioribus facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium ſine examine præbui; juvenes autem, & mihi non cognitos, ut à Synodalibus examinarentur, remiſi.

Hoc facto, P. S. iterum aliam litem Religioſi Jeſuitæ inſtaurant, affirmantes graviſſimum & duriſſimum eſſe, Religioſos ſuos, quicumque ſint, ſive juvenes, ſive ſenes, ſive à me cogniti, ſive non cogniti, ſive docti, ſive indocti, examini ſynodalium exponi, ideoque nolle ipſorum cenſuræ ſubjici, &c.

Ecce quomodo privilegiis ſuis Jeſuitæ abutuntur ad ſuperbiam & rebellionem adverſus Epiſcopos, Eccleſiæque & SS. Pontificum Decreta. Quæ profectò eſt ingratitudo magna ob quam digni ſunt, quibus ea tollantur, ſolaque ad ſummum privilegia cæteris Regularibus communia relinquantur. Cùm ingratitudo obſtruat fontem gratiarum & beneficiorum, prout dicit Author ſoliloquiorum apud Auguſtinum tom. 6. c. 18. filiique, ob ingratitudinem magnam exhæredari mereantur.

CLANGOR XIII.

Decimò, Reformanda eſt Jeſuitarum negotiatio.

JEſuitas terra marique negotiari, vixque majores in mundo negotiatores eſſe quàm Jeſuitas, conſtat ex dictis Clangore VII. quódque in illis etiam regionibus negotiatores ſint, ubi immenſis abundant divitiis. Quem in finem amabo! niſi ut per divitias ſuas ſeſe reddant formidabiles, ſuamque potentiam augeant, ſibi per dona devinciendo Judices, Gubernatores, & Aulicos Principum, ipſiſque mediantibus Principes ipſos, tam Eccleſiaſticos, quàm laicos? At hoc quàm Eccleſiæ damnoſum ſit, ipſiſque etiam Principibus perniciosum, utinam experientia non doceret!

Sed quidquid de eo ſit, reformandam eſſe Jeſuita-

rum negotiationem clamant ſacri Canones, ſummorumque Pontificum Bullæ & Conſtitutiones. Nam can. *Conſequens*, diſtinct. 88. Gelaſius Papa ſibi denuntiatum cum mœrore conqueritur, *plurimos Clericorum negotiationibus inhoneſtis, & lucris turpibus imminere* (alia verſio habet, *inhiare*) *nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quâ ipſe Dominus negotiatores è templo, verberatos flagellis, aſſeritur expuliſſe; nec Apoſtoli verba recolentes quibus ait: Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus; Pſalmiſtam quoque David ſurda diſſimulantes aure, cantantem: Quoniam non cognovi negotiationes* (ſic habent aliqui Codices) *introibo in potentias Domini. Proinde hujuſmodi, aut ab indignis poſthac quæſtubus noverint abſtinendum, & ab omni cujuſlibet negotiationis ingenio & cupiditate ceſſandum, aut in quocumque gradu ſint poſiti, mox à clericalibus officiis abſtinere cogantur, quoniam Clerus, ſeu domus Dei, domus orationis & eſſe debet, & dici, ne per officia negotiationis potiùs ſit latronum ſpelunca.*

Et can. *Epiſcopus*, ibidem ex Canone VII. Apoſtolorum ſic habetur: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam ſæculares curas aſſumat, ſin aliter, dejiciatur.*

Et rurſus can. *Negotiatorem*, ibidem ex D. Hieronymo: *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, velut peſtem fuge.*

Et can. *Canonum ſtatutis*, 14. q. 4. ex Concilio Tarraconenſi: *Canonum ſtatutis firmatum eſt, ut quicumque in Clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs ſtudio non utatur. Quod certè ſi voluerit exercere, cohibeatur à Clero.*

Et. can. *Quoniam*, ibidem ex Concilio Nicæno: *Si quis inventus fuerit... ex quolibet negotio turpia lucra ſectari,... dejiciatur à Clero, & alienus ab Eccleſiaſtico habeatur gradu.* Turpia verò lucra ſectatur, qui minùs emit, ut plus vendat, prout ex Julio Papa, imò ex Capitul. l. 1. c. 131. dicitur, can. *Quicumque*, ibidem: *Quicumque tempore meſſis, vel vindemiæ, non neceſſitate, ſed propter cupiditatem comparat annonam, vel vinum,*

num, v. g. de duobus denariis comparat modium unum, & ſervat uſque dum vendatur denariis quatuor, aut ſex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

Propterea Urbanus VIII. Bulla, *Ex debito Paſtoralis officii*, data Romæ apud S. Petrum 22. Februarii 1633. *Quia*, inquit, *à Sacris Canonibus, Conciliorum Decretis, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus, omnibus Religioſis, ac etiam aliis Eccleſiaſticis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, mercatura, & negotiationes ſæculares diſtrictè prohibentur, ac valde damnoſum, indecorum, & indecens exiſtit, hujuſmodi perſonas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacro-ſanctum Chriſti Domini Evangelium deſtinatæ ſunt, præfatis mercaturis & negotiationibus ſe immiſcere, aut operam dare: prædictorum Canonum, ac Decretorum, Conſtitutionumque Apoſtolicarum diſpoſitioni inhærentes, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, Religioſis omnibus, cujuſcumque Ordinis & Inſtituti, tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, eorumque ſingulis, tam in prædictis locis* (Japonia, China, & adjacentibus Inſulis, Regionibus, Provinciis ac Regnis Indiæ Orientalis) *exiſtentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem & quamcumque mercaturam, ſeu negotiationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, ſive per ſe, ſive per alios, ſive proprio, ſive Communicatis nomine, directè, ſive indirectè, aut quovis alio prætextu, cauſâ, aut colore, interdicimus & prohibemus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ ipſo facto incurrenda, ac privationis vocis activæ & paſſivæ officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, & inſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ab eis factorum. Quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſtunt, reſervanda erunt ad uſum Miſſionum, quas eædem Religiones habent, & habituræ ſunt in futurum, in prædictis Indiis, & non in alios uſus. Eiſdem Superioribus diſtrictè præcipientes, ſub eiſdem pœnis, ut in hoc invigilent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procedant, ſublatâ eis facultate hujuſmodi de-*

delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris, quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi.

Quod ſi fortè aliqua controverſiæ inter Religioſos dictarum Regionum (quod Deus avertat) oriantur, Epiſcopi locorum prædictorum.... tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, illas decidant & terminent, &c.

Non obſtante quòd tam formalia eſſent iſtius Bullæ verba, debitam ei obedientiam, licèt ſpeciali voto promiſſam, Jeſuitæ non præſtiterunt, ſed (immemores profeſſionis ſuæ) in ipſis etiam Miſſionibus antedictis, mercaturas & negotiationes, per tot Canones, Concilia & Apoſtolicas Conſtitutiones, ipſis tam diſtinctè vetitas, exercere non deſtiterunt, prout exemplis quamplurimis, in Morali practica Jeſuitarum to. 1. 3. 5. & 7. authenticè probatis demonſtratur, quorum etiam exemplorum nonnulla nos ſuprà protulimus. Quid ergo fecerunt Jeſuitæ? Solitis cavillationibus ſuis, vaniſque prætextibus Urbanianæ Conſtitutionis vim ſubterfugere conati ſunt, non ſine multorum ſcandalo; imò nec ſine animarum ſuarum jactura. Hoc eſt enim quod Clemens IX. declaravit in Bulla ſua, *Paſtoralis officii*, de die 17. Junii 1669. qua Urbani VIII. Bullam non ſolùm confirmavit, ſed & varias ei clauſulas ſuperaddidit, quibus omne ſubterfugium intercluſit, diſtinctè nominando omnes, quibus interdicta eſt negotiatio, ſignanter Miſſionarios omnes, etiam Societatis Jeſu, ſtatuitque, quòd Eccleſiaſticus quicumque, vel Religioſus, qui vel ſemel negotiatus fuerit, cenſuris ac pœnis per Urbanianam ſpecificatis ſubjacebit. *Et quia in præmiſſis*, inquit, *vel circa ea delinquentes, ut plurimùm prætextu neceſſitatis, pro eorum Miſſionibus, ſe excuſare præſumunt* (ſpecioſa igitur erat excuſatio iſta) *excuſationes hujuſmodi eis nullo modo ſuffragari poſſe vel debere decernimus, & declaramus.* Inſuper decernit ac declarat, quòd immediati Superiores, Provinciales & Generales Ordinum, & Inſtitutorum, cenſuras per eandem Conſtitutionem Urbanianam latas incurrent, ſi non puniant inferiores ſuos, qui vel ſemel negotiati fuerint, jubetque in profectum pauperum, Xeno-

Xenodochiorum, Seminariorum, vel Miſſionum, per Epiſcopum confiſcari, & applicari merces omnes, ac lucra, ex Religioſorum &c. negotiatione provenientia: *Non tamen in commodum Religionum, & Congregationum, & Societatum, etiam Societatis Jeſu, qui in præmiſſis, vel circa ea deliquerint.* Denique ut Religioſi negotiatores impunitatem prætendere non valeant prætextu exemptionis ſuæ, ſeu privilegiorum, decernit ac ſtatuit, quòd Epiſcopi, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, ipſos in judicium ſuum trahere poterunt, merceſque, ut ſuprà, confiſcare.

Quis ergo poſt hæc, poſt tam expreſſas, inquam, & toties repetitas SS. Pontificum prohibitiones, non obſtupeſcat, Jeſuitas uſque in hodiernum diem pergere in negotiando, artemque campſoriam palam ubique exercendo!

Hoc quàm indignum ſit, quámque grave peccatum, invictè demonſtrat Illuſtriſſimus D. Franciſcus Palu, Epiſcopus Heliopolitanus, Miſſionariorumque Indicorum Vicarius Apoſtolicus, in libro cui titulus: *Religioſus negotiator*, &c.

Enimvero quid magis ſcandaloſum; magis indecens & indecorum, quàm videre Religioſum, videre Sacerdotem, videre Miſſionarium, in ſacris Miſſionibus lucris temporalibus inhiantem? An non hoc valdè indignum clericali & religioſa profeſſione ſuâ? An hoc eſt majorem Dei gloriam quærere animarumque ſalutem? Imò eſt quæ ſua ſunt quærere, non quæ Jeſu Chriſti: cùm ſit contravenire tam ſapientibus & juſtis mandatis Vicariorum Jeſu Chriſti. Nec iſte certè Apoſtolicus eſt modus, animas Chriſto lucrifaciendi (cùm nimis alienum ſit ab Apoſtolico ſpiritu) nec hoc eſt Chriſto militare, ſed mundo. *Etenim ſi is qui Imperatori militat, à ſuſceptionibus litium, actu negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur* (inquit Ambroſius l. 1. offic. c. 36.) *quanto magis qui fidei exercet militiam ab omni uſu negotiationis abſtinere debet?* Et quem in finem negotiatur, qui voto ſe paupertatis obſtrinxit? Ad quid terrena negotiatio, niſi ad terrenas divitias conquiren-

dat? Verùm eas ſacrilegè concupiſcit, qui ad non concupiſcendum voto ſe paupertatis obligavit. Et quàm indecora eſt Clericis, quorum Chriſtus portio eſt, divitiarum concupiſcentia, *omnibus invida, ſibi vilis, in ſummis divitiis inops, affectu extenuans, quod cenſu abundat* (ait idem Ambroſius l. 1. de Cain & Abel c. 5.).... *Nam qui diligit argentum, non ſatiabitur argento, nec eſt finis acquiſitionis eorum. Si quæras theſauros, accipe inviſibiles.* Quære theſauros animarum. A communi fidelium te Chriſtus non ſegregavit, ut negotiator eſſes, ſed Evangelii prædicator. Eſto igitur negotiator evangelicus, non mundanus; negotiator proinde animarum, bonorumque cæleſtium & æternorum, non terreſtrium & caducorum, non quærens quæ tua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti.

Sequebatur Clangor *De reformandis ſecretis Jeſuitarum Monitis.* Monita illa ut impia rejicit Huylenbroucq, & meritò. *Has inſtructiones*, inquit, *Societas execratur & damnat.* Probat malè conſutam de inventione illarum fabellam, quæ præfixa erat variis illarum editionibus. Lubens acquieſco, licèt nihil in eis contineatur aut ferè nihil, quin Jeſuitæ ad praxim reduxerint, ut tam in hoc, quàm in variis aliis libris ſæpius probatum eſt.

Facilè in intelligentiam cadit ſatis corruptum eſſe cor humanum, ut ſeſe quibuſcumque ſceleribus & flagitiis dedat: aſt non ita excœcata & obtuſa eſt mens, ut præcepta ſcelerum & flagitiorum committendorum velit præſcribere: & hoc eſt alius depravationis cordis humani effectus. Vult homo eſſe malus, & amat videri bonus. Sponte igitur credam numquam à Jeſuitis compoſita eſſe impia illa Monita, quæ jam dudum in vulgus diſperſa fuere, ſeu per Hieronymum Zaorowiski Polonum, ſeu per quemcumque alium.

Sed non diffitebuntur, puto, Jeſuitæ, in illorum Societate, regulas eſſe & inſtructiones, præter editas, quæ ſolis Provincialibus & aliquibus Rectoribus notæ ſunt: de eo non dubitant qui Jeſuitis paulò familiarius uſi ſunt. De iis regulis haud dubiè intelligendum quod ſan-

ſanctæ memoriæ Palafoxius in ſecunda ſua ad Innocentium X. epiſtola dicit art. 108. En ipſius verba: *Quæ alia Religio occultas proprias Conſtitutiones habet, privilegia recluſa, inſtitutiones velatas, & omnia quæ ad eorum pertinent directionem, tanquam myſterio aliquo obvoluta abſcondit? Fateor quidem, quidquid incognitum eſt pro magnifico haberi; verùm etiam pro ſuſpecto, præcipuè in Eccleſiaſticis Ordinibus, certiſſimum & evidentiſſimum exiſtimo.*

Omnibus omnia cæterorum Ordinum Inſtituta patent, etiam Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, & totius Eccleſiaſtici Cleri documenta, & conſiliares regulæ. Non odit lucem Eccleſia, imò tenebras odit; tanquam ab eo perennis lucis fonte *illuminata, qui dixit: Ego ſum lux mundi. Etiam cæterarum Religionum privilegia, inſtructiones, directiones, ſtatuta conſpiciuntur, & in publicis populorum Bibliothecis communiter diſpenduntur. Uno intuitu novitius Franciſcanus videt, quid, Generalis ſi ipſe eſſet futurus, faciendum eſſet ſibi. In Jeſuitica autem Societate, plures ſunt, etiam profeſſi, qui ignorant Conſtitutiones proprias, privilegia, & inſtitutiones, quibus nomen adſcribunt, quàm quibus conſtat, ut Tua Beatitudini poterit conſtare. Neque manifeſtis Chriſtianæ Eccleſiæ regulis, ſed certa quadam, ipſis ſuperioribus ſolùm patenti, interiori directione, & aliquibus delationibus arcanis, admodum periculoſis, & quæ plurimos, imò etiam innumeros expulſos pariunt aut abortant: & tandem magis moribus quàm legibus gubernant; quod humanæ naturæ incongruum & contrarium eſſe quis non videt?*

Quis etiam non videt, duplicem regulam illam plenam eſſe periculo, ne multos habeat Societas, *introrſum turpes, ſpecioſos pelle decorâ?* Quomodo de Phariſæis Salvator teſtatur; *ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis*, quæ quidem, quâ foris patent hominibus ſpecioſa, intùs verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & ſpurcitate. Quod non invidioſiùs, quàm veriùs diei facilè conjiciet, qui meminerit Claudium Aquavivam generalem Jeſuitarum in libro inſcripto, *Induſtriæ ad curandos animæ morbos* (cujus verba ſuprà retulimus) ſuperiorum &

inferiorum pleriſque, auliciſmi, ſæcularitatis, & hypocriſis dicam impingere, qui ſpecie Dei gloriæ, & ſaluti proximorum inſerviendi, quærant ſemetipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectant.

CLANGOR XIV.

Undecimo, Reformandus in Jeſuitis modus prædicandi infidelibus Evangelium, parùm Apoſtolicus.

DEplorandum profectò, quòd Jeſuitæ, qui in Imagine primi Societatis ſæculi ſe *novos* aſſerunt *Apoſtolos*, & Societatem ſuam, *Ordinem Apoſtolicum*, ab Apoſtolico modo & ſpiritu tam immanè diſceſſerunt, in prædicando infidelibus, ſacris in Miſſionibus, Chriſti Evangelio. Apoſtoli namque magis exemplo quàm verbis, Evangelium infidelibus prædicaverunt, terrenarum ſcilicet divitiarum contemptu, mirabilique patientia ſua in paupertate, ſeu rerum omnium indigentia, in fame, ſiti, frigore, nuditate, vigiliis, jejuniis, in ferendis injuriis & contumeliis. Nam, ut Apoſtolus ait 1. Cor. 4. *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur; & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.* Et iſta fuerunt ſigna Apoſtolatus ipſorum: *Signa* enim *Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientia.* 2. Cor. 12. Siquidem ad infidelium converſionem, etſi miracula etiam & prodigia concurrunt, ideoque Apoſtolus addat, *in ſignis & prodigiis*, conformiter Marci ult. *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; pati tamen propter Chriſtum omnia proximè dicta, non minoris virtutis eſt, quàm facere miracula, imò majoris eſt efficaciæ ad perſuadendum eam videntibus, eos qui eam patientiam exhibent, Dei Legatos eſſe, & veritatem docere; utpote quæ efficaciùs docetur exemplo, quàm verbo. Propter quod Chryſoſto-

ſoſtomus ſuper Matthæum de Apoſtolis ait: *Non ſigna* (ſola) *eos mirabiles fecerunt, ſed magnos oſtendit pecuniarum contemptus, gloriæ deſpectus, à ſæcularibus negotiis ſeparatio; quæ ſi non habuiſſent, etſi decem millia mortuorum ſuſcitaſſent, non ſolùm nihil profeciſſent, ſed etiam pro impoſtoribus, aut præſtigiatoribus habiti fuiſſent. Talis eſt luminis virtus, ut non ſolùm luceat, ſed & illuc ducat eos qui ſequuntur. Cùm enim viderint homines omnia præſentia nos contemnentes, & ad futura nos præparatos, ante omnem ſermonem operibus noſtris credent. Si autem nos præſentibus implicaverimus, qualiter poterunt credere, quòd ad poſſeſſionem aliam feſtinemus?* Si viderint nos delicioſam vitam ducere in veſtitu, cibo, potu &c. quomodo credent nobis, pœnitentiam, vitæ auſteritatem, & corporis mortificationem ſemper circumferendam prædicantibus, prout exemplo ſuo prædicabat Apoſtolus 2. Cor. 4. dicens: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Si homines viderint nos faſtum & mundi gloriam ſectari, quomodo credent nobis, humilitatem exemplo Chriſti ſectandam prædicantibus?

Videamus jam, utrùm Jeſuitæ, Sacris in Miſſionibus, Evangelium infidelibus prædicaverint exemplo ſuo, ſcilicet terrenarum divitiarum contemptu, prout Apoſtoli? In Sacris Miſſionibus mercaturam & negotiationem, tot ſacris Canonibus & Apoſtolicis Conſtitutionibus vetitam ad temporalia lucra, & divitias acquirendas exercere, eſt-ne divitias & terrena lucra cum Apoſtolis contemnere? Hoc eſt autem quod in Japonia, China, Cochinchina &c. Jeſuitas facere vel diu certè feciſſe, Clangore 7. & 13. eſt demonſtratum: porro dum Apoſtolicum Ordinem Chriſtus inſtituit, eos, quos in Apoſtolos elegit, de negotiatoribus terræ, terrenorum fecit adeo contemptores, ut ad ſacras Miſſiones miſerit eos *ſine virga, ſine pera, ſine calceamentis, ſine pecunia*, hoc eſt, *ſubſidii ſæcularis adminicula non requirentes* (ait Ambroſius l. 6. in Luc.) ſed *fide tutos*, & credentes *quo minus ea requirerent*, per divinam

providentiam *magis poſſe ſuppetere.* Quo ergo ſpiritu Jeſuitæ dicunt (apud R. P. Didacum Collado in Memoriali Catholico Hiſpaniarum Regi præſentato anno 1631.) ſine negotiatione (in quam in Japonia quotannis impendebant centum ſcutorum millia, licèt ibi non eſſent niſi Socii circiter triginta) ſe non poſſe ſubſiſtere, nec Japonicas Miſſiones continuare? Apud Salvatorem autem Vitalem, Sardinienſem, Ord. Minor. Regul. Obſervat. in libro inſcripto: *Militia ſacra Evangelicæ pacis, ad illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Dominos S. Congregationis de propag. Fide Cardinales*, ſic loquuntur: *Neceſſe eſt commercia fingere mercaturæ, ut facilior ad Japones pateat aditus, & converſationis opportunitas, & familiaritatis occaſio intercedat. Oportet habere facultates, & opes, ut Miniſtri ſe meliùs conſervare poſſint, eoſque allicere, & ad Evangelii retia trahere.* Quem etiam in finem, non oportet inuſitatis apud ipſos uti veſtibus, pauperum religioſorum, maximè nudipedum, ſed *oportet ire conformes in habitu, & provincialibus uti veſtibus* (id eſt uſitatis apud ipſos, v. g. apud Bonzios, ſacerdotes ipſorum) *ne mox novitas eis terrorem incutiat, & horrorem, & ne infidelibus rigoroſum, difficile, & aſperum videatur Evangelicum Inſtitutum.* Quibus verbis relatis Franciſcanus ille ſucclamat: *Deus ſancte, fortis, miſericors & immortalis! miſerere nobis. Evangelium ipſum, Apoſtolorum ipſorum hæc deteſtantur exempla. Et quis neſciat hoc eſſe diabolicum ſtratagema? Quem fidelem, atque Evangelicum profeſſorem latet, hoc repugnare Chriſti doctrinæ? Erubeſcat Evangelicus miles, non ad militiam, ſed ad mercaturam incumbens. Miniſtri Evangelii calcant imperia ſi pauperes ſunt, ſi negotiationes & mundi commercia non habent. Prædicatur Indis nudus Jeſus in cruce: Res exigit, ut prædicans ſæculi pompas abjecti amictus humilitate condemnet. Prædicatur Jeſus mendicus & pauper: Ratio poſtulat, ut prædicator non ſit* divitiarum amator, & *mercator.* O *Domini Cardinales, quantum farer, ſi calamus eſſet liber? Adhibete medelam. Scitis, ô Proceres ſacroſancti, ſcitis quam maximè, quantum* In-

Indiæ animabus detrimentum afferat cupiditas, ſive Jeſuitarum mercaturam facientium avaritia. Ingens quippe Chriſtianæ Religioni ſcandalum cauſat, & adeo ingens, ut Miſſionarius avarus, ſive negotiator, plures infideles ab ea religione ampleċtenda ſit avocaturus, quàm bonus Prædicator ad eam ſit converſurus. Ideóque ſatiùs foret ejuſmodi Miſſionarium in patriam ſuam regredi, vel extrema quæque pati, quàm in Regionibus illis negotiari. Nec enimverò miracula ſunt Evangelio ſtabiliendo utiliora, quàm dum Evangelica doċtrina nullam labem accipit per ſuſpicionem avaritiæ, vel alterius ſpeciei malæ in Miniſtro Evangelium prædicante, ut benè & ſapienter Acoſta l. 5. c. 22. *De procuranda Indorum converſione.* Unde & Paulus Apoſtolus, cùm magnam pecuniæ vim, eleemoſynæ nomine, ad alendos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ pauperes in Achaia & Macedonia collegiſſet; ne cui de ſe ſuſpicioni anſam daret, ſpeċtatæ fidei hominem ſibi comitem adjungi poſtulavit, qui pecuniam illam perferret. 2. Cor. 8. *Ordinatus eſt ab Eccleſiis frater quidam, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias, ut ſit comes peregrinationis noſtræ, in hanc gratiam, quæ miniſtratur à nobis; devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine. Providemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.* Si reċtè & Apoſtolico muneri convenienter Paulus fecit, quòd bono nomini ſuo tam ſollicitè conſulens, bona conſcientia coram Deo contentus non fuit, ſed & coram hominibus ab omni avaritiæ & propriæ utilitatis ſtudio remotus videri voluit: malè ergo faciunt, & ab Apoſtolico ſpiritu & officio procul abeſſe cenſendi ſunt, qui bonum nomen ſuum parvifacientes, ab omni ſpecie avaritiæ abſtinere nolentes, alios ſcandalizare, ipſorumque converſionem impedire, nihil penſi habent. Quàm parum iſti ad Evangelium hominibus prædicandum idonei ſint, Apoſtolus 1. Theſſal. 5. declarat, dicens: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Rom. 12. *Providentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Et c. 14. *Quæ ad ædificationem ſunt, invicem cuſtodiamus. Nemo*

enim

enim noſtrum ſibi vivit. 1. Cor. 10. *Sine offenſione eſtote Judæis & Gentilibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego.... non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.* Miſſionarius itaque, cùm ſit *ſpectaculum mundo, angelis & hominibus*, non ſolùm eſſe debet alienus ab omni terrena negotiatione, ſed & fama ipſius illæſa ab omni illius ſuſpicione.

Quàm procul ergo diſceſſerunt ab Apoſtolico ſpiritu Jeſuitici Miſſionarii illi, qui in Cochino rationabilem ſuſpicionem incurrerunt, quòd ibi magis affectarent piſcationem gemmarum, quàm hominum, ob ea quæ dicta ſunt Clangore 7. Quid item de illis qui ad promovendas negotiationes ſuas cum ingenti ſcandalo facti ſunt non piſcatores, ſed emptores & venditores hominum, de quibus ibidem?

Sed neque ab omni ſpecie mala abſtinuerunt Jeſuitæ, dum apud Sinas ſeſe induerunt veſtitu Bonziorum, quo Idolorum ſacerdotes à non ſacerdotibus diſtinguntur. Signa namque geſtando ſacrificantium idolis, ſignificarunt Idolorum ſe ſacrificatores eſſe: quod prorſus eſt illicitum, & Antichriſtianum. Unde S. Congregatio ſancti Officii deſuper interrogata, declaravit non licere ſigna illa geſtare. Cujus ſententiam à ſe viſam fuiſſe teſtatur Joannes Baptiſta de Morales, Miſſionarius Ord. Prædicatorum apud Authorem Theatri Jeſuitici. pag. 403.

Præterea Apoſtoli, dum Evangelium infidelibus prædicaverunt, locuti non ſunt à ſeipſis, neque ex ſpiritu ſuo, ſed ea locuti ſunt quæ à Chriſto & Spiritu ſancto acceperunt: quemadmodum nec Chriſtus evangelizando à ſeipſo locutus eſt. Dicit enim Joan. 8. *Ego quæ audivi ab eo* (Patre meo cæleſti) *hæc loquor vobis . . . Sicut docuit me Pater, ſic loquor . . . . Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Et c. 14. *Verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor.* Si ſecundùm hoc Evangelium apud Sinas prædicaſſent Jeſuitæ, ipſis non permiſiſſent cultus ſuperſtitioſos & idololatricos, erga Confucium, Chin-hoam, Parentes defunctos &c. utpote quos ſuperſtitioſos eſſe, non merè politicos S.

Con-

Congregatio anno 1645. ſub Innocentio X. & anno 1669. ſub Clemente IX & anno 1704. ſub S. D. N. Clemente XI. ac tandem anno 1710. definitivè, omni in contrarium appellatione etiam ad S. Sedem rejecta, iiſdem Summis Pontificibus approbantibus & confirmantibus definivit.

Inſuper Apoſtoli infideles ad fidem converſos, & à ſe baptizatos docuerunt ſervare mandata omnia juxta illud Matth. ult. *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*, in quibus haud dubiè Chriſtus Eccleſiæ mandata comprehendit, utpote cui à fidelibus obediri voluit: maximè in iis quæ Spiritu Sancto inſpirante Eccleſia & Apoſtoli præceperunt, ut quadrageſimale jejunium, & ritus in Sacramentorum adminiſtratione ſervandos &c. Verùm nec quadrageſimæ, nec Rituum iſtorum, nec feſtorum obſervantiam, nec Dominicis diebus à labore ceſſandum Miſſionarii Sinenſes è Societate docuerunt, ſed Sinenſium libertati ita reliquerunt, ut nec jejunarent unquam, ne die quidem veneris ſancto, nec miſſam diebus feſtivis audirent, ne die quidem Paſchæ, nec à labore diebus Feſtis, vel Dominicis ceſſarent, nec ad Euchariſtiæ & pœnitentiæ ſacramenta ſemel ſaltem in anno accederent &c. uti demonſtratur Moralis practicæ Jeſuit. to. 2. pag. 11. & 12. Saltem pro iſtis oportebat ipſos conſulere S. Sedem, & non à ſeipſis iſta permittere. Audiviſſent à Paulo III. per Bullam declaratum eſſe, Indos ad jejunium teneri in vigiliis Paſchæ & Natalis Domini, & ſaltem omnibus feriis ſextis Quadrageſimæ; nec ipſis licitum eſſe diebus Dominicis laborare, nec in diebus Natalis Domini, Circumciſionis, &c. prout ibidem videre eſt.

Sinenſibus etiam Sacramentum extremæ unctionis Jeſuitæ mulieribus conferre noluerunt, nec oleo Catechumenorum eas ungere, etſi fieri poſſit ſalva honeſtate, adhibito ad id calamo, vel ſtramine oblongo, prout Dominicani & Franciſcani, iſtis in Regionibus, abſque ullo inconvenienti & ſcandalo faciunt. Undè nec ritum iſtum omittendum eſſe, idem Pontifex declaravit, ut videre eſt ibidem pag. 15.

Ad

Ad hæc uſuras exorbitantes, triginta in centum, contra Chriſti mandatum, Jeſuitæ permittebant in Japonia & Sina (uti demonſtratur ibidem pag. 15.) ubi etiam erubeſcebant Jeſum Chriſtum Crucifixum prædicare, ſolum prædicantes glorioſum. Ibid. pag. 50. & ſeqq. Sicne fecerunt Apoſtoli? An hoc non eſt à ſeipſis ſeu ſenſu ſuo Evangelium prædicare? An non Scriptura dicit: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno?* An erubuit Paulus prædicare gentibus Jeſum Crucifixum? *Miſit me Chriſtus.... evangelizare* (inquit 1. Cor. 1.) *non in ſapientia verbi, ut non evacuetur Crux Chriſti. Verbum enim Crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt..... Dei virtus eſt. Scriptum eſt enim, Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.... Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci* (cumque ipſis Sinenſes) *ſapientiam quærunt: Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus..... Sed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes..... ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.*

Secundùm ſapientiam ergo ſæculi, non ſecundùm Dei ſapientiam, Jeſum Crucifixum Sinenſibus Jeſuitæ prædicare erubeſcebant, ne ſapientibus hujus ſæculi ſtultitiam prædicare viderentur. Quia, ut S. Antoninus ait in 1. ad Corinth. iſta erat ſapientia pſeudo-Apoſtolorum, qui ne ſtulti viderentur in oculis ſapientium & prudentium hujus mundi, Chriſtum prædicabant modo conformi ſapientiæ & prudentiæ hujus mundi, evitantes id omne quod ei ſtultum videbatur.

Per eandem prudentiam & ſapientiam ſæculi in Miſſione Sinæ autoritatem & famam ſibi apud Imperatorem,

torem, Principes & populum quæſierunt, non per vitæ ſanctitatem & auſteritatem, per Chriſtianam paupertatem, humilitatem, patientiam, & ad omnes manſuetudinem, quemadmodum Apoſtoli, ſed per divitias, per dona & munera, per ſcientias naturales, docendo Mathematicam, artem militarem, methodum conficiendi ſolaria, ſeu ſcioterica, fidicularia organa, aſtrolabia, calendaria &c. iiſque aptè utendi. Nunquid ea ſacris in Miſſionibus docuerunt Apoſtoli? Nunquid humanis iſtis mediis autoritatem ſibi conciliarunt, & primarias regnorum dignitates ſæculares, Mandarinatus &c. affectarunt, quemadmodum Jeſuitæ Adamus Schall, Martinus Martinius, Franciſcus Figuero &c. quorum dignitas prima erat poſt Regiam, ipſorum etiam Viceregum dignitate ſuperior, inceſſus pomposus & faſtuoſus in Sede eburnea auro ornata, à quatuor, ſex, octo viris geſtata, præcedentibus conopæis pretioſis, ſubſequentibus aſſeclis, Lancеariis, Bombardariis, militibus peditibus & equitibus &c. Numquid ſic inceſſit Rex Regum Dominus Jeſus? O Socii Jeſu! In eo ne Socii Jeſu? Quàm belli imitatores & Socii Jeſu! Ubi votum Sociorum de non acceptandis dignitatibus? Chriſtus Apoſtolos mittens ad prædicandum in univerſo mundo Evangelium, *ſicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos*, ad cruces utique, ad perſecutiones, ad opprobria, ad humiliationes, non ad ſæculi delicias, gaudia, pompas, honores, dignitates &c. Quid verò Paulus? *Humilis ſum inter vos* (inquit 2. Cor. 10.)..... *in carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed*, medias inter cruces & humiliationes, *potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti..... Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis* (proſequitur c. 12.) *in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum..... Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos*, non in

in honoribus & pompis ſæculi, ſed *in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus*. Nam uti c. 11. dixerat, *Miniſter Chriſti ſum ego in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Martinius verò Mandarinus Jeſuita ſemper in veſte præclara, in mundanis viſitationibus, in conviviis ad quatuor horas & ampliùs protractis, exquiſitiſſima bibens vina, cibos edens delicatiſſimos, ut videre licet in Morali practica tom. 2. p. 99. Quàm bellè ſic paratus ad prædicandam pœnitentiam, & arctam cæli viam! Quàm potentia Deo ſunt arma iſta *ad deſtructionem munitionum*, & omnis altitudinis extollentis ſe adverſus ſcientiam Dei! Non iſtis profectò armis filios Iſrael ab Ægyptiaca ſervitute Moyſes liberavit, ſed per humanæ gloriæ, vanitatum ac deliciarum contemptum: quippe *negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*. Hebr. XI. His armis Moyſes factus eſt adeo *potens Deo ad deſtructionem munitionum*, ut dignus fuerit, qui diceretur *Deus Pharaonis*, ipſo Pharaone uſque adeo potentior, ut ipſum cum univerſo exercitu ſuo ſubmerſerit in mari rubro. *Fugiendo potentiam, tantam acquiſivit potentiam*, ait D. Ambroſius. Quiſquis ergo, ſacris in Miſſionibus fieri vult potens Deo ad deſtructionem munitionum Principis tenebrarum, quiſquis apud peccatores & Reges infideles, in ſacra eſſe vult authoritate ac veneratione, ad regnum diaboli deſtruendum, ſæculum contemnat, dominicæque Paſſionis ignominiam omnibus ſæculi divitiis, deliciis & honoribus anteponat.

Meminerit quoque ſacer Miſſionarius, vim omnem prædicationis ſuæ, fundatam eſſe oportere in virtute Dominicæ Crucis ac Paſſionis, non in induſtriis, nec in ſcientiis humanis. Eccleſiæ proinde Sinicæ magnum bonum non procuravit Matthæus Ricciùs (quidquid P. Kirkerus dixerit in *Sina illuſtrata*) in eo quod ſequentes poſt ſe libros Sinenſi idiomate reliquit, *Ma-*

the-

thematicam practicam Clavii. Sex Libros Euclidis, cum parvis ejuſdem Clavii notis. Sphæram ejuſdem. Chartam generalem geographicam, cum hiſtoria populorum. Phyſices tractatum. Methodum conficiendi aſtrolabium, eoque utendi. Artem conficiendi fidicularia organa &c. Quanto majus Eccleſiæ Sinenſi bonum procuraſſet, ei relinquendo libros Evangeliorum, Acta & Epiſtolas Apoſtolorum, Opera SS. Patrum &c. in Sinenſem linguam tranſlata! Id utique Jeſuitis Summus Pontifex commendavit: commendavit (inquam) S. Scripturæ in Sinicum idioma tranſlationem, atque ut Sinica lingua miſſas ibi celebrarent, breviarium recitarent, Sacramenta adminiſtrarent. Verùm licèt ex ipſis non defuerint, qui, linguam illam ſufficienter callentes, ſuam ad id operam libenter impendiſſent, hoc ipſis ſuperiores ipſorum non permiſerunt, eo commentitio prætextu, quòd id ipſis *arduum, periculoſum, & parùm neceſſarium* fuiſſet: quaſi rem periculoſam, & parùm neceſſariam Pontifex ipſis commendaſſet; novique ſaltem Teſtamenti traductio ipſis magis ardua, longioriſque temporis opus fuiſſet, quàm traductio tot profanorum Mathematices librorum. Sed quid? Per iſtorum traductionem ethnici Imperatoris gratiam & favorem, & apud ipſum honorem magis quærebant, quàm ſpiritualem populi Sinenſis profectum; Chriſti quoque crucem & paſſionem iſti populo notam facere erubeſcebant, quam per ſacrorum librorum illorum tranſlationem didiciſſet. Non ſic profectò Apoſtoli, non ſic Moyſes, qui, ut Ambroſius dicit lib. 6. Hexameron c. 2. *Eruditus erat in omni ſapientia Ægyptiorum; ſed quia ſpiritum Dei accepit, quaſi Miniſter Dei, inanem illam & uſurpatoriam Philoſophiæ doctrinam, veritatis rationi poſthabuit*; nec eam ad captandam ex ea, apud Regem & populum Ægypti, gratiam, gloriam & favorem uſurpavit, ſed *ea deſcripſit, quæ noſtra ſpei accommoda judicavit, quòd terram fecerit Deus, quòd produxerit terra, juxta Dei omnipotentis imperium, operationemque Jeſu, virgulta de terra, & omnem animam viventem ſecundùm genus ſuum. An ille putavit di-*

dicendum, quantum de ſpatio aeris occupet umbra terræ, cùm Sol recedit à nobis, diemque abducit, inferiora axis illuminans? Et quemadmodum in regione mundi hujus incedens Lunæ globus Eclipſim faciat? Quoniam quæ nihil ad nos, quaſi nihil profutura præteriit. Vidit enim in Sancto Spiritu non illas marceſcentis jam ſapientiæ vanitates ſequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem noſtram occupant, luduntque operam; ſed ea potiùs deſcribenda, quæ ad virtutis ſpectarent profectum. Inhæreamus ergo Propheticis, Evangelicisque, & Apoſtolicis dictis (proſequitur Ambroſius) *nec Spiritus Sancti quaſi vilia deſpectui habeamus eloquia.* In quibus meditandis, populoque explicandis Miſſionarii tempus ſuum potiùs impendere debent, quàm in philoſophicis, opticis, Mathematicis & Geographicis illis, in quibus operam & tempus impendere, ſacrum Miſſionis opus potiùs impedit quàm promovet, ipſis ex una parte ſuffurando tempus neceſſarium ad orationem aliaſque miniſterii ſui functiones, ipſos fumo quoque vanitatis ſeu vanæ gloriæ paſcendo; per mundanæ eruditionis famam & admirationem: ex altera parte moras interponendo aliorum converſioni & applicationi ad ea quæ concernunt ipſorum ſalutem, dum ipſorum fovent curioſitatem.

Denique ſacer Miſſionarius nec ſuam, nec ſuæ Societatis, ſeu Inſtituti gloriam, nec utilitatem quærere debet, ſed Jeſu Chriſti. Neque enim Chriſtus gloriam ſuam quæſivit, ſed gloriam Patris ſui, juxta illud Joan. 8. *Ego non quæro gloriam meam.* Nec Apoſtoli gloriam ſuam, vel Apoſtolici Ordinis ſui quæſierunt, nec docuerunt ut hominibus placerent, prout ipſimet teſtes ſunt, 1. Theſſal. 2. *Ita loquimur, non quaſi hominibus placentes: neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, neque in occaſione avaritiæ:* Unde & *ſtultas quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis* (gloſſis à ſe confictis adulterando verbum Dei) *devitarunt tamquam inutiles & vanas*, ſive ad ſalutem non proficuas. Ad. Tit. 3. Nec locuti ſunt placen-

centia, ut populorum gratiam ſibi conciliarent. Nec propriam utilitatem quæſierunt, ſed multorum ſalutem. Ea propter aliis Chriſtum evangelizantibus non inviderunt, nec ullam ipſis remoram vel impedimentum objecerunt; multò minus ipſos prohibuerunt; quin potiùs de eo gaudebant, prout exemplo ſuo Paulus oſtendit ad Philipp. 1. *Quidam propter invidiam & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant. Quidam ex charitate..... quidam autem ex contentione..... exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Ab iſto ſpiritu Apoſtolico certum eſt Jeſuitas admodum receſſiſſe in Japonia, Sina, Cochinchina, Tonquino &c. per invidiam ſuam, zelumque amarum, quo tot aliis Miſſionariis tot impedimenta objecerunt, ne Chriſtum in vaſtiſſimis regionibus illis annuntiarent, nihil penſi habentes tot millena animarum millia in paganiſmo potiùs interire, quàm per aliorum Ordinum Religioſos ad Chriſti cognitionem adduci, & Chriſtianos fieri, prout demonſtratum eſt Clangore 5.

Faſtidiosè hæc rejicit P. Huylenbroucq, non magis ipſum feriunt quàm color aliquis cæcum: adeo obtuſa ipſi mens, ne dicam depravata. Adeat ſcripta à quindecim annis edita tam à Patribus Dominicanis quàm à Miſſionàriis ſecularibus, legat, &, ſi fieri poteſt, intelligat. Reddet tunc gloriam Deo, & fatebitur, Jeſuitas, quales nunc ſunt, minimè idoneos prædicando infidelibus Evangelio.

CLAN-

CLANGOR XV.

Duodecimò, In Jeſuitis reformanda eſt effrænis mentiendi, & alios ſibi inviſos, calumniandi licentia.

AB eo tempore, quo Jeſuitæ in Scholis, libris & Theſibus ſuis docere auſi ſunt, eſſe probabile, quòd mortaliter non peccet, qui in defenſionem honoris ſui, injuſtè læſi, falſum alteri crimen ſcienter imponit * (quod profectò eſt contra Dei legem, generaliter & abſque exceptione dicentem, *Falſum teſtimonium non dices*; à cujus generalitate ſi privata liceret autoritate, abſque ullo in Scriptura vel Traditione fundamento, excipere, ſimiliter ab aliis pariter generalibus Dei legibus excipere liceret; de Chriſtiana proinde diſciplina actum eſſet, & de tota religione, dum nulla foret lex divina, quàmlibet generalis, à qua inauditas toti antiquitati exceptiones poſt ſexdecim ſæcula, fas non eſſet comminiſci) ab eo, inquam, tempore, mirum quantum mentiendi, & innocentiſſimos quoſque calumniandi praxis apud Socios benè multos invaluit, maximè poſtquam Tamburinus l. 9. in Decal. c. 2. §. 2. abominabili illi opinioni addere auſus fuit, incertum ſibi eſſe, an praxis illius fieri nequeat licitè, abſque ulla culpa: *Incertum mihi eſt*, inquit, *an id poſſit fieri licitè ſine ulla culpa. Et quidem Lugo ſic habet: Certum eſt non licere...... ſed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & perjurium, ſequitur quæſtio: Si ſolum eſſet mendacium ſine juramento, non eſſet mortale: quia quamvis hoc mendacium ſit abſolutè de malo gravi contra proximum; tamen cùm juſtè à me hoc damnum infera-*

* Conſulat P. Huylenbroucq Gaſparem Hurtado, Dicaſtillum apud Caramuelem Th. Fundam. pag. 550. Apologiam Caſuiſtarum p. 127. 128. 129. Theſes Lovanienſes anni 1645. & deſinat protervè negare doctrinam hanc è ſchola Jeſuitarum unquam emanaſſe.

ſtratur, *non eſſet reputandum ad grave. Secundò, etiam accedente juramento, poſſet adhiberi æquivocatio, ſeu mentalis reſtrictio, tum à me, tum ab iis quibus eſt certa innocentia mea; & ſic vitari perjurium, ſeu mendacium; quo ſepoſito..... non ſunt huic doctrinæ contrarii communiter Doctores, nec ipſe De Lugo..... Adhuc tamen incertum id eſſe pronuntio &c.* Legem ergo id prohibentem pronuntiat eſſe incertam. Cui ſi addatur alterum probabiliſtarum principium, legem incertam nullum præjudicium adferre libertati; utpote quæ in illa incertitudine eſt in poſſeſſione, quæ cùm ſecundùm ipſos ſit certa, ligari nequit lege incerta; hinc inferunt probabiliſtæ cum Caramuele Theol. fundam. n. 451. *Omnem actum humanum eſſe licitum, qui non impingit evidenter in aliquam legem obligatoriam evidenter.* Per conſequens abſque incertitudine concludunt, ſupradictæ opinionis (quam meritò abominabilem dixi) praxim licitè fieri poſſe, abſque ulla culpa.

Hinc, inquam, non mirum, quòd praxis illius apud Socios (qui longè majori ex parte ſunt probabiliſtæ) adeò invaluit. Nam, ut ſapienter clariſſimus Vir Paſchalis epiſt. 15. „Facilè cuique perſuadet amor ſui, injuſtè ſe ab alio peti; ſed nulli faciliùs quàm Jeſuitis, „ quos tantus mentis tumor excæcat, ut in ſcriptis „ ſuis eam de ſe opinionem haberi jubeant, tantum de „ Eccleſiæ honore detrahi, quantum de Societatis ſuæ „ gloria detrahitur. Itaque monſtro ſimile foret, ſi „ non hanc doctrinam uſu ſæpiſſimè frequentarent..... „ Nemo igitur jam ſtupeat, Jeſuitas calumniari: tutâ „ enim conſcientia calumniari ſe putant" arbitranturque obſequium iſtud ſe præſtare Deo, dum ſuæ præſtant Societati, ſeu tuendo ipſius honori. Aliunde verò pro ea qua pollent in ſæculo gratia & poteſtate, hominum juſtitiam non verentur; adverſus ipſam quoque Dei juſtitiam in conſcientia ſe tutos exiſtimant, dum id faciunt pro tuendo Societatis honore; pro ea denique quam conceperunt de doctrina Sociorum ſuorum non minima opinione, id ſe facere exiſtimant pro

 tuen-

tuendo Societatis honore, quod pro tuenda faciunt doctrina Sociorum ſuorum.

Quid enim niſi hoc intelligi voluit R. P. de Lingendes Provincialis Jeſuitarum Franciæ, dum reſpondens ampliſſimo D. Decano Metropolitanæ Eccleſiæ Pariſienſis, objicienti, mirari ſe, quòd à Jeſuitis tam obſtinatè ſuſtineretur omnibus inviſa Caſuiſtarum Apologia, reſpondit: *Sibi ſuiſque permoleſtum eſſe, quòd liber ille tantos cauſaret rumores; non poſſe tamen eum non defendere, quòd in Caſuiſtarum ſuorum tuitionem conſcriptus eſſet.*

Ex illo itaque fonte tot Sociorum mendacia, impoſturæ & calumniæ profluunt, inquit, laudatus Paſchalis. „ Hinc illæ extiterunt Briſacerii è Societate tam „ projectæ calumniæ, ut cenſura Archiepiſcopi Pari-„ ſienſis fuerit configendus...... Hinc & illa Craſſeti „ audacia, quâ tot impoſturis Aurelianenſem Cathe-„ dram polluit, ut his commotus Aurelianenſis Epiſ-„ copus, illi, tanquam publico ſycophantæ, ſacris „ concionibus interdixerit 9. Septembris 1656. hiſce „ verbis: *Sacris concionibus, per totam hanc Diæceſim* „ *fratri Joanni Craſſeto, Societatis Jeſu preſbytero, in-* „ *terdicimus, & ne quiſquam ejus concionibus interſit,* „ *ſub pœna lethalis inobedientiæ edicimus, quòd prædi-* „ *ctus frater Craſſetus concionem habuerit mendaciis &* „ *calumniis refertam, adverſus præcipuos Aureliæ Sa-* „ *cerdotes, quibus falsò & mendaciter affinxit has pro-* „ *poſitiones*, Mandata Dei eſſe impoſſibilia. Nunquam „ reſiſti gratiæ interiori. Chriſtum non eſſe mortuum „ pro omnibus hominibus, aliaque ejuſmodi, ab In-„ nocentio X. damnata.

Hinc rurſus atrox illa calumnia, cujus hiſtoriam idem Clariſſimus Vir ediſſerit ibidem, dum contentionem exhibet, quæ Lugduni inter Jeſuitas, & Puteanum Sancti Niſieri Parochum interceſſit. Anno, inquit, 1649. librum cui titulus, *Officia boni Chriſtiani erga propriam parochiam, adverſus eos qui fideles à parochiis abſtrahunt....* Authore Capucino, Puteanus è latino in vernaculum ſermonem tranſtulit, ſtudioſè cavens, ne quid acer-

bita-

bitatis huic libro admiſceret, neque ullus Religioſus, aut ulla omnino Societas nominatim deſcriberetur, vel impeteretur. Se tamen hoc libello peti Jeſuitæ putaverunt. Itaque continuò P. Albius Puteani, antiqui Paſtoris, in primatia Galliæ Judicis, magnâ in Urbe & authoritate & honore pollentis, canos ac virtutem nihil reveritus, mordaci illum libello omnibus probris cooperuit; quem Jeſuitæ, ipſo Aſſumptionis die, in Eccleſia ſua propalam vendiderunt. Inter cætera probra traducebatur Puteanus, quaſi *vita licentiâ ſcandaloſus, impietatis ſuſpectus, hæreticus, excommunicatus, ac remediis cauſticis dignus.* Huic libello reſpondit Puteanus. Mox ſuas accuſationes Albius nova rurſus ſcriptione confirmavit. Ergo vel Jeſuitæ profeſſi calumniatores erant, vel iſta de bono illo Parocho credebant. Itaque, niſi depoſitis erroribus, ille amicitiâ Jeſuitica dignus fieri non poterat. Videamus ergo quid in ipſa reconciliatione (cui interfuerunt Lugduni Primores) geſtum ſit. Cùm tantùm Puteanus declaraſſet, *libro ſuo Jeſuitas omnino non impeti, generatim ſe de iis locutum, qui fideles à parochiis avertunt, de laceſſenda Societate nunquam ſe cogitaſſe, quæ contrà animo ſuo egregiè chara eſſet.* Iſto verborum faſcino, momento ex apoſtaſia, ex excommunicatione, ex ſcandalis, nulla abſolutione prævia, Puteanus emerſit, ipſumque Pater Albius tum hiſce illum verbis ipſiſſimis compellavit: *Vir clariſſime, cùm in ea opinione fuiſſem, Societatem, cui me cooptatum glorior, à te laceſſitam, ad ſcribendum me accinxi, illudque quo uſus ſum, defenſionis genus mihi licitum eſſe exiſtimavi* (audiat Orbis Univerſus) *at nunc certiùs explorato tuo in nos animo, huc veni, coram omnibus teſtificaturus, nihil jam eſſe, cur te non habeam ingenii perſpicaciſſimi, profundæ & orthodoxæ eruditionis, virum moribus inculpatum, poſtremò Eccleſiæ tuæ digniſſimum Paſtorem. Hanc profeſſionem libens edo, ea ne honeſtiſſimis, qui hìc adſunt, viris excidat, opto & precor.*

Ex iſta tam ſolemni P. Albii declaratione (cui ſubſcripſerunt Vicarius generalis, cum pleriſque Canoni-

cis, & alii Primores Civitatis Lugdunenſis) perſpicuum eſt 1. quòd Puteanum ipſe antea non crediderit hæreticum &c. ipſi tamen crimen tantum, quod falſum noverat, ideo palam objecerit, quòd ea in opinione fuiſſet, Societatem ab ipſo laceſſitam fuiſſe. 2. ipſum tamen exiſtimaſſe, quòd non deliquiſſet, calumniam tam atrocem Puteano mendaciter imponendo: quippe qui *iſtud defenſionis genus ſibi licitum eſſe crediderit.*

Quid iſtud eſt, boni Patres, ait Paſchalis, idem homo, nihil immutatus, pro eo quod ab illo vos coli vel impeti creditis, pius aut impius vobis eſt, inculpatus aut excommunicatus, dignus Eccleſiæ Paſtor, aut remediis cauſticis dignus, poſtremò hæreticus aut catholicus. Ergo Jeſuiticâ linguâ, hæreticum eſſe, idem eſt ac Societatem laceſſere. Lepidam hæreſim, cujus nomen non effugiunt viri quamlibet innocentiſſimi, fideique orthodoxæ addictiſſimi, ſi Societatem, vel Sociorum aliquem à Jeſuitis laceſſiviſſe putetur, etiam objecto ipſi vero crimine, aut verè damnabili dogmate. Nam, ut Jeſuitæ licitam ſibi putent in adverſarios calumniam, neceſſe non eſt, iſtos revera de ipſis calumniatos eſſe; aſt ſufficit quòd hoc Jeſuitæ præ cæcitate putent, inquit Wendrockius, aut ſaltem ut ſe, vel ſuorum aliquem, injuſtè, licèt non falsò, ab ipſis infamatos, vel infamatum exiſtiment. Hoc verò cui dubium eſt, præ cæco ſui amore, Jeſuitis eſſe perſuaſum? Si quis illos in vera Theologia hoſpites dicat, calumniari exiſtimant, quia ſcientiæ ſe oracula, magiſtroſque præſtantiſſimos arbitrantur. Si quis laxiora opinamenta ipſorum, morum corruptelas appellet, ſibi calumniam inferri vociferantur, quia abſurdiſſimas quaſque ſuorum ſententias pro ſanctis inſtitutis habent. Poſtremò, quamlibet vera agnoſcant eſſe, de quibus inſimulantur, tamen hæc à ſe ſine culpa mentali cum reſtrictione negari, mendaciique crimen in accuſatores ſuos conferri poſſe credunt; eo quòd hæc injuſtè in vulgus ſpargi ſibi perſuadeant, propterea quòd indè minuatur Societatis gloria.

Et

Et iſtud juſtè fieri Caſuiſtarum Apologiſta probare conatur, ex eo quòd *multi*, inquit, *Theologi* (Jeſuitæ utique) *& Canoniſtæ docent, eum, qui criminis, verè quidem à ſe commiſſi, ſed tamen injuſtè inſimulatur, poſſe accuſatorem ſuum mendacii arguere, & impudentiſſimum calumniatorem appellare;* utpotè jam non habentem jus ad famam ſuam.

Sic (ait rurſum Wendrockius) Jeſuitis calumnia & mendacium ſimul arma ſuppeditant & defenſiva, quibus ſe tueantur; & offenſiva, quibus prætenſas à ſe injurias ulciſcantur. Objecta ſibi crimina, quamlibet certa, & ſibi cognita fidentiſſimè negant, calumniæque accuſatores ſuos poſtulant. Deinde ipſos aliis à ſe confictis criminibus, junctis Sociorum viribus, onerant (hæreticos, ſcandaloſos, adulteros vocando, quos ſciunt non eſſe tales, quaſi vero jus non habeant ut non dicantur tales, qui revera tales non ſunt) idque tanto cum impetu, ut tametſi plurimis etiam primariis viris, ipſis etiam Eccleſiæ Principibus, Sociorum vitia nota ſint & perſpecta, pauci tamen audeant tam potenti cum corpore, ſuo cum periculo decertare.

Id auſi ſunt quidem zeloſiſſimi Parochi Pariſienſes, auſi ſunt, inquam, corruptam Ethicen ipſorum (eruditis omnibus notam ex publicis libris ipſorum) palam redarguere. Verùm id injuſtè ab ipſis fieri Jeſuitæ exiſtimantes (tametſi hoc falſiſſimum eſſet) ea ipſa de cauſa, idem Caſuiſtarum Apologiſta, feroci pariter ac mendaci in ipſos calamo inſurgens, ipſos velut *ignorantes, lupos rapaces, falſos Paſtores, ſchiſmaticos & hæreticos* ſugillare non eſt veritus; licèt mutato paulò poſt conſilio, in reſponſione ad ſcriptum ipſorum (quod Factum vocant) eoſdem veros, & ſapientia illuſtres Paſtores eſſe, Jeſuitæ faſſi fuerint, eo duntaxat fictitio prætextu ſuum illum Apologiſtam excuſantes, quòd Factum iſtud (quod ab ipſis verè emanatum non ignorabant) ab ipſis profectum non eſſe mentiti fuerint.

Simili modo, cùm Abbas Alnæus, Carolus du Four,

exitiales ſcriptorum quorumdam de moribus & Eccleſiaſtica Hierarchia, doctrinas, in ſacro ſuggeſtu generatim reprehendiſſet, Briſacerius, Collegii Rothomagenſis Rector, multis probris, velut *temerarium*, *ſeditioſum*, *rebellem*, *hæreſeos fautorem* publicè calumniatus fuit. Verùm in judicium propterea vocatus, cùm laudatus Abbas ſcriptorum ſuorum exhibitione Jeſuitas à ſe nec nominatos, nec laceſſitos demontraſſet, Briſacerius per ſententiam Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi Rothomagenſis de 26. Januarii 1657. compulſus fuit palam declarare, prout ſcripto juridico declaravit, Abbatem illum à ſe haberi pro viro ſpectatæ probitatis, catholicæque & maximè orthodoxæ doctrinæ, prout ex eadem conſtat ſententia. Ante ſententiam ergo ſciebat Briſacerius, ipſum talem non eſſe, qualem ipſum depinxerat: aliàs ex ſeditioſo, rebelli, & hæreſeos fautore, abſque retractatione, maximè probus & orthodoxus repentè non evaſiſſet, nec ad id de non laceſſitis Jeſuitis declaratio ſuffeciſſet. Sed nonne ſcriptum eſt: *Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos?* Prov. 10. *Fabricatores mendacii, & cultores perverſorum dogmatum, utinam taceretis, ut putaremini eſſe ſapientes!* Job 13.4. & 5. *Memoria veſtra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices veſtræ.* Ibid. v. 12.

Nec ſuo ergo, nec Societatis honori, per ſua illa mendacia & calumnias, Jeſuitæ conſulant, uti nec per ſævos ejuſmodi morſus, ſtylumque verborum mendacium atrocitate ferreum, Sociis heu! nimis familiarem, exempli gratia, Georgio de Rhodes, qui diſp. 2. de Act. hum. q. 2. ſect. 3. §. 1. probabiliſmi reprehenſores mendàci calamo vocare non contentus, *Novos reformatores Theologiæ, imperitiſſimos homines &c.* §. 2. totius ſtomachi in eos bilem effundens, ipſos traducit ut *Janſenianos*, *turpiſſimè errantes*, *deſerentes ſemitas judicii ac juſtitiæ, ut ambulent per ſalebras, duce perditiſſimæ famæ homine, damnato per judicium Eccleſiæ.* Non pudet Jeſuitas tot improperiis furere in tot ſapientiſſimos viros, tot, inquam, Cardinales,

nales, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. probabiliſmum improbantes, in ſuum etiam Præpoſitum generalem Thyrſum Gonzales, qui & ipſe, cum doctiſſimo Elizaldo aliiſque doctiſſimis Jeſuitis antiprobabiliſta eſt!

Quid de tot Jeſuitis dicam, qui imperito zelo ſuccenſi, vel certè à novitiatu ſuo edocti (prout à novitiatu Jeſuitas omnes edoceri, teſtantur ipſi in *epiſt. ad Doctorem quemdam Duacenſem* pag. 77. edit. 1.) Janſenianos omnes, id eſt, omnes quos ipſi pro Janſenianis habent, omnes proinde Jeſuiticis placitis adverſantes, licèt apprimè catholicos, fideique addictiſſimos, ſuamque ad omnes Eccleſiæ de fide definitiones ſubmiſſionem ſincerè profitentes, pro hæreticis habent, eoſque velut tales palam calumniantur? Cui dubium calumniatores iſtos, nedum impoſtores & calumniatores eſſe, ſed & hæreſes facere? Dicit enim Gregorius l. 9. regiſtri c. 30. quòd ii omnes, qui homines Catholicam fidem palam profitentes *imperito zelo velut hæreticos inſectantur, hæreſes ipſi faciant*, perinde utique, ut ii qui homines hæreſim palam profitentes, laudant ut catholicos. Quemadmodum enim iſtud fieri non poteſt, niſi errorem contra fidem negando eſſe contra fidem, ſic nec illud fieri poteſt, niſi affirmando quidpiam eſſe de fide, quod de fide non eſt. *Atqui non minùs hæreſis eſt, aſſerere aliquid eſſe de fide, quod de fide non eſt* (inquit Major in 3. diſt. 37. q. 26.) *quàm negare aliquid eſſe de fide, quod eſt de fide;* negare proinde fidei eſſe contrarium, quod contrarium eſt (tam enim verbo Dei prohibemur aliquid addere, quàm demere fidei. Apoc. 22.) Viros ergo innoxios velut hæreticos traducere, eſt hæreſim facere, omneſque pudoris metas tranſilire, omnem impudentiam prætergredi. Quod Societati tanto magis inhonorificum eſt, quanto major eſt iniquitas iſtius calumniæ. Quæ profectò tanta eſt, ut ipſius artifices filii ſint diaboli, mendaciorum parentis, totique humanæ Societati prorſus ſint exitioſi: *Si enim credi fideliter confitenti deſpicitur* (ait rurſum Gregorius l. 5. epiſt. 15.) *cunctorum fides in dubium revocatur.*

I 4 Quid

Quid ergo cenſendum de Jeſuitico Authore Obſervationum in relationem ſummariam Actorum in negotio Theologorum Duacenſium, de quibus infrà, quem pag. 26. & 27. dicere non pudet, nullam rationem habendam Catholici ſenſus, quo (ante earum ſignaturam) formaliter & expreſſè declaraverant à ſe intelligi propoſitiones æquivocas (quarum ſignaturam larvati Jeſuitæ, nomine Authoris celeberrimi, de cujus optima fide non dubitabant, ab ipſis fraudulenter, & admodum inſtanter exigebant, ut ipſos opprimerent) nec Catholicarum elucidationum, quas poſt ſignaturam exhibuerant. Nullo etiam in pretio habendam quamcumque ipſorum retractationem, quámlibet formalem & expreſſam, quolibet etiam juramento quámlibet ſanctiſſimo & ſacratiſſimo firmatam? Quid niſi quòd aſſertio iſta tam horribilis ſit, tam credulis & tyrannica, ut eam fidelium aures non ſuſtineant? Eamque talem ipſi etiam Jeſuitæ pronuntiarent, ſi ageretur de rebus geſtis ipſorum. Siquidem in libello cui titulus, *Peccati philoſophici error à Jeſuitis impugnatus* part. 1. pag. 4. *Quid enim*, inquit, *dum agitur de facienda fidei noſtræ profeſſione, id eſt, dum agitur de motibus & cogitationibus cordium noſtrorum, ſoli Deo cognitis, quorum à nobis ſolis teſtimonium reddi poteſt, non obſtantibus in contrarium proteſtationibus noſtris, quàmlibet expreſſis & ſolemnibus, accuſari poterimus de retentis in corde erroribus, quos ore & ſcripto damnamus? Ubi poſthac eſſent homines? Quàm horrenda inde confuſio in humana, maximè in Chriſtiana cerneretur ſocietate, ſi regula illa in ea haberet locum? Ad quid Eccleſia ſignaturas exigeret ac juramenta, ad ſuam de ſubditorum fide ſecuritatem? Ad quid ipſiſmet fidelibus ſerviret illa fidei ſuæ indicia præſtare, ſi per illa fidem non magis mererentur, qui indicia illa præſtant ſecundùm veritatem, quàm qui contra veritatem? Quis homini, quàmlibet innocentiſſimo, ſupereſſet modus calumniatoribus ſuis os occludendi, ſi, ad incurrendam rationabilem de ſua fide ſuſpicionem, accuſatio ſufficeret, ſalvâque juſtitiâ ſemper dici poſſet, Cor ipſius non concordare cum lingua? In illa hy-*

potheſi

pothesi ad innocentis juſtificationem non magis ſerviret innocentiam ſuam mendacio tueri ac perjurio, quàm veraci professione: quia accuſatori fas eſſet ſuſtinere, quòd profeſſio verax & jurata, mendax eſſet ac perjura. Praxis proinde iſta peſtis eſt ſocietatum omnium, interminabilem reddens omnem de fide perſonarum accuſationem, diſputationemque.

Ex diſcurſu iſto, certè ſolido ac juſto, demonſtrativè conficitur, prorſus injuſtos, calumniatoreſque eſſe tot Jeſuitas, qui prætenſos Janſeniſtas pro hæreticis habere & traducere non ceſſant, dum palam profitentur & jurant, toto ſe corde damnare non ſolùm quinque propoſitiones ab Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente XI. damnatas, ſed & alias hæreſes omnes ab Eccleſia damnatas, quocumque in libro extent, etiam in Janſenio ſi extent in Janſenio, nec ad ullum deveniunt exteriùs ſignum profeſſioni iſti contrarium. Hoc namque prorſus injuſtum eſſe, & omni Chriſtianæ ſocietati peſtilens ac perniciosum, diſcurſus iſte demonſtrat, & Innocentius XII. in Brevi ſuo ad Epiſcopos Belgii de die 24. Novembris 1696. ſatis declaravit, cùm dixit: *Quòd ſi prætenſi Janſeniſtæ internè, & abſque eo quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant formularium, non damnent quinque propoſitiones in ſenſu obvio..... formularii, ſuoque arbitrio effingant ejuſmodi ſenſum obvium, Eccleſia non judicat de occultis quæ ſoli Deo cordium ſcrutatori innoteſcant. Si verò iidem prætenſi Janſeniſtæ voce aut ſcripto edant proprios ſenſus, Apoſtolicarum Conſtitutionum..... ſenſui diſſentaneos, debent Epiſcopi....... contra eos procedere.* Satis, inquam, per hoc declaravit, Dei (qui ſolus eſt ſcrutator cordium) judicium à Jeſuitis temerè & injuſtè uſurpari, dum prætenſos illos Janſeniſtas judicant in corde hæreſim tenere, qui nullum exteriùs dant illius ſignum; nec dubium tales peccare contra legem de *non judicando*; peccare etiam contra legem de *non reddendo contra proximum falſum teſtimonium:* calumniatores proinde eſſe, dum ipſos velut hæreticos palam traducunt. Ad quas calumnias impe-

diendas idem Pontifex in priori Brevi ſuo de 6. Februarii 1694. Epiſcopis Belgii, quantum in Domino potuit, inhibuit, *ne ulla ratione quemquam....... invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinerent, niſi priùs ſuſpectum eſſe legitimè* (id eſt ſervato juris ordine) *conſtitiſſet, aliquam ex quinque propoſitionibus docuiſſe ac tenuiſſe.*

Verùm iſti tam diſtrictæ ſummi Pontificis inhibitioni quàm parum obedientes ſint Jeſuitæ, exemplum ſit in Palazolio, qui in Memoriali, poſt iſtud Breve, anno utique 1698. Catholico Regi (nomine ſui Præpoſiti Generalis) præſentato, totus eſt ut Theologos Lovanienſes invidioſo Janſeniſtarum & hæreticorum nomine traducat, etſi adeo irreprehenſibilis ſit vita ipſorum, ut vel ipſe Generalis ipſorum illuſtre de ea teſtimonium, illo ipſo in Memoriali perhibeat; nec ullo ſigno exteriori Janſeniſmum ipſorum probare valeat: nullam quippe ex quinque propoſitionibus ab ipſis doceri ac teneri, probare potuit. Ipſos ergo invidioſo illo nomine apud Regem traduxit nulla habita ratione Evangelii, quod ex fructibus arborem cognoſci jubet; nec proximè laudati Brevis Apoſtolici, quod de occultis judicari non ſinit, niſi quatenus innoteſcunt per actus externos; nec denique rationis ac juſtitiæ, quæ non permittit, de hæreſi aut pravitate cordis damnare quemquam, qui non ſolùm nullum exhibeat ſignum externum illius, ſed & exteriùs palam profiteatur, ſe hæreſim omnem, etiam quinque propoſitionum, corde & ore deteſtari, & inſuper vitâ vivat irreprehenſibili.

At (inquiunt Jeſuitæ in illo Memoriali) plures olim hæretici, ſub externa vitæ irreprehenſibilis & catholicæ fidei profeſſione, hæreſim diſſimularunt. Similiter ergo Theologi Lovanienſes.

O ſtolidum argumentum! Secundùm dialecticæ regulas legitimumne eſt ex puris particularibus argumentum, vel ſequiturne à particularibus ad univerſale?

Quàm amaro adverſus Lovanienſes zelo, turbulentaque paſſione excæcatum oportet eſſe judicium ſic argumen-

gumentantium! Ex hoc quòd aliqui particulares, vitam exteriùs irreprehenſibilem ducentes, hæreſim diſſimularint, ſequiturne omnes vitam exteriùs irreprehenſibilem ducentes hæreſim diſſimulare? Si iſtud argumenti genus in Eccleſia ſemel admitteretur, nullus ergo vitam exteriùs irreprehenſibilem ducens, ne Jeſuita quidem, Janſeniſmi & hæreſeos notam effugere poterit. Ad eam proinde effugiendam, vitam exteriùs reprehenſibilem ducere oportebit.

Itaque hæretici illi, qui ſub externa caſtigatioris vitæ, vel etiam doctrinæ profeſſione hæreſim olim diſſimularunt, hæreſim diſſimulaſſe ab Eccleſia judicati non fuerunt, niſi dum ex ſignis externis, ſeu dictis, factis, vel ſcriptis ipſorum hoc apparuit. Sed quænam (amabo!) externa Janſeniſmi, ſeu hæreſeos ſigna apparuerunt in dictis, factis, vel ſcriptis Theologorum Lovanienſium? Profectò quòd nulla, manifeſtum videtur ex eo quòd de nullo ejuſmodi ſigno legitimè hactenus conſtare potuerit, etiamſi coram omni legitimo Judice, rationabiliter non ſuſpecto, orthodoxiam ſuam ſuſtinere hactenus parati fuerint (prout eodem in Memoriali Jeſuitarum Generalis teſtificatur) ac de facto coram Sede Apoſtolica, per deputatum ſuum Doctorem Hennebellum, octo annis ſteterint, parati de ea, quæ in ipſis erat, fide, doctrina, & vita omni poſcenti rationem reddere. Cùm igitur uſque adeò integra, toto illo tempore, coram Apoſtolico Tribunali, apparuerit fides, doctrina & vita ipſorum, ut nullum diſſimulationis ſignum externum adverſarii infenſiſſimi proferre potuerint, quo illos legitimè ſuſpectos redderent; manifeſtè injuſta & calumnioſa eſt Jeſuitarum de Janſeniſmo ſeu hæreſi ipſorum criminatio.

At mentiti ſunt (ait nomine ſui Generalis Palazolius) dum ſuam erga S. Sedem, ſeu Decreta Apoſtolica, obedientiam proteſtati ſunt, juraruntque quinque propoſitiones ſincero corde à ſe damnari. At impudens eſt accuſatio iſta. Si enim nullo exteriori ſigno mendacium prodiderunt, unde illud Palazolio innotuit?

tuit? Nullo verò exteriori ſigno illud prodidiſſe, manifeſtè conſtat ex eo quòd etſi totam Societatem, cæteroſque adverſarios omnes, coram S. Sede per totos illos octo annos provocaverint ad legitimè probandum ejuſmodi ſignum, in probando defecerint; ideóque Innocentius XII. ipſos ab eo tempore non Janſeniſtas, ſed *prætenſos Janſeniſtas* appellaverit, diſtrictè prohibens de Janſeniſmo ſuſpectos haberi, quamdiu id legitimè non conſtaret.

In caput ergo Jeſuitarum redit diſcurſus ab ipſis ſuprà factus. Si enim ſolidus ſit (uti revera eſt) quemadmodum eo demonſtrativè probatur, de errore peccati Philoſophici neminem ſine calumnia traduci poſſe, dum exteriùs profitetur errorem illum à ſe damnari, nec nullo exteriori ſigno innoteſcit illam ipſius profeſſionem, mendacem ac ſimulatam eſſe: eo etiam demonſtrativè probatur, de Janſeniana hæreſi neminem ſine calumnia traduci poſſe, dum exteriùs profitetur hæreſim iſtam à ſe damnari, nec ullo exteriori ſigno notum facit, iſtam ipſius profeſſionem ſimulatam eſſe, ac mendacem. Quid eſt ergo quòd calumnia iſta ipſis adeo eſt familiaris; cùm eo ipſo Evangelicum iſtud in ipſos quadret: *Ex ore tuo te judico, ſerve nequam?* Cur aliis faciunt, quod ſibi fieri nolunt? Cur calumniatores audiri nolunt, dum abſque ullo exteriori ſigno hæreſim aliis eam ore deteſtantibus tribuunt; cùm tales haberi velint, qui ipſis peccati philoſophici errorem, quem ore deteſtantur, abſque ullo exteriori ſigno (quod tamen falsò prætendunt) ipſis tribuant? Ergone Societati honorificum eſt, eam calumniatoribus plenam eſſe? Cùm id ipſorummet argumento legitimè demonſtretur, cæcus ſit qui non videat reformandam eſſe Societatem.

CLAN-

CLANGOR XVI.

Reformandam in Jeſuitis mentiendi calumniandique licentiam pluribus aliis exemplis demonſtratur.

EX argumentis igitur ſeu exemplis & rationibus Clangore præcedenti deductis, diſcant tandem aliquando Jeſuitæ, de ſuis ſuorumque opinionibus humiliùs modeſtiúſque ſentire, nec earum tam profuſi amatores adoratoreſque eſſe, ut eas non liceat, abſque Janſeniſmi atque hæreſeos nota refellere, earumque novitatem, natamque ex iis ſequi morum corruptelam notam facere. Hoc namque ipſis honorificum non eſſe, demonſtratum eſt. Enimverò *ſi bonis rationibus, ex miſera ſuæ cauſæ conditione, deſtituti ſint Jeſuitæ* (inquit pientiſſimus Contenſonius l. 5. diſſert. 3. cap. 2.) *ad lutulenta & inepta convitia non confugiant, à diſſertationibus ad injurias, muliercularum more, non veniant: modum habeant, & finem faciant dicteriorum, à quibus nonniſi diſceptantium odia, & legentium ſcandala derivantur; quæ etiam magis authoribus nocent, quàm iis in quos furunt & debacchantur. Eam ſaltem modeſtiam, gravitatem, urbanitatem præ ſe ferant, quam in ſcriptionibus ſuis hæretici, non omninò feroces, vix patiuntur deſiderari.*

Suo hoc pacto conſulent honori, non plauſtra injuriarum in eos conjiciendo, qui damnabiles opiniones ipſorum, fide optima referunt ac refellunt. Nam ut ſapienter Caſſiodorus l. 2. epiſt. 27. ad injurias *illi proſiliunt, qui ſe ſuperatos turpiter erubeſcunt.* Iſtud verò dolendum eſt à tam multis fieri Jeſuitis, præter injurias ad mendacia quoque frequenter proſilientibus & mendaciter clamitantibus, opiniones iſtas, licèt fideliter ex libris ipſorum excerptas, dum eas vident à viris ſapientibus damnabiles judicari, ipſis affingi non poſſe, niſi ab iis qui diabolico aguntur ſpiritu, & ne earum quidem veſtigium in iis reperiri.

Hujus exempla videre licet apud Paſchalem epiſt. 15.

„ Decem, inquit, aut duodecim abhinc annis hæc „ vobis, boni Patres, exprobrata eſt ſententia: *Occa-* „ *ſiones proximas peccati primò & per ſe quæri poſſe*, „ quam refert Baunius veſter tr.4.q.14.pag.94.ex Baſilio „ Pontio, cujus ſenſui *lubens ſubſcribit*. Exemplum „ affert Baunius ejuſmodi : *Licèt ſingulis lupanar in-* „ *gredi, ad odium peccati ingerendum meretricibus, etſi* „ *metus ſit, ac verò etiam veriſimilitudo non parva,* „ *eos peccaturos, eò quòd malo ſuo ſæpe ſunt experti,* „ *blandis ſe mulierculavum ſermonibus ac illecebris flecti* „ *ſolitos ad libidinem.*

„ Quid ad hæc Cauſſinus veſter anno 1644. in Apo- „ logia Soc. Jeſu? *Legatur*, inquit, *locus Baunii cita-* „ *tus, conſulantur margines, antecedentia, conſequen-* „ *tia, reliqua, imò totus liber: ne leviſſimum quidem* „ *iſtius ſententiæ reperietur veſtigium, quæ nonniſi in ho-* „ *minem perditum poſſit cadere: adeòque Baunio affingi* „ *non poteſt; niſi ab organo dæmonis.*

Eâdem audacia veſter Pinterellus: *Hanc ſententiam ut docere nemo poteſt, niſi perditæ planè conſcientiæ, ſic Baunio adſcribere nullus poteſt, niſi qui ſit dæmone ipſo deterior. Vide locum, Lector: nullum nec indicium, nec veſtigium ejus in toto Baunii libro invenies.*

Quis aliter exiſtimare poſſet, niſi homines (tantam fiduciam præ ſe ſerentes) non immeritò queri, & revera alienam Baunio affictam eſſe ſententiam? (proſequitur clariſſimus Paſchalis)...... Quis ſibi in animum inducat, hunc locum, iiſdem verbis, eâdem extare pagina quæ adſcripta eſt, cùm tam aſſeveranter vos audit aſſerentes, hujus loci nec notam, nec veſtigium in toto Baunii libro reperiri?

Equidem, RR. PP. hac mentiendi confidentiâ, ad inveniendam, dum reſponſum fuerit, fidem nihil commodius. At cùm reſponſum erit, ad omnem vobis impoſterum fidem abrogandam nihil aptius. Adeò enim certum eſt, vos tunc temporis eſſe mentitos, ut ipſi nunc ultrò agnoſcatis, hanc ſententiam eo quo indicatur loco reperiri. Illud etiam mirabilius, ante duodecim annos hæc Baunii ſententia *ſic deteſtabilis erat*,

ut

ut niſi in hominem perdita conſcientia non caderet. Nunc eadem ſic innoxia eſt, ut *imperitus & malignus ſit, qui hanc Baunii opinionem culpet, quæ vulgò in ſcholis non rejicitur*, in ſcholis utique Societatis. Quàm commodum eſt cum iis hominibus rem habere, qui eadem modò affirmant, modò negant! Nam ut illi vincantur, non aliunde arma, quàm ex ipſis mutuanda ſunt. Etenim ut duo demonſtrentur, & hanc ſententiam eſſe nefariam, & eandem à Baunio traditam, utrumque Sociorum ſcripta conficiunt. Anno 1644. fatebantur deteſtabilem eſſe, nec Baunio adſcribi poſſe, niſi *ab organo dæmonis*, vel ab eo qui ſit *ipſo dæmone deterior.* Anno 1656. Caſuiſtarum Apologiſta (Pirotius Jeſuita) iſta in Baunio extare faſſus fuit, alio quidem conſilio quàm Socii ſui anno illo 1644. ſed non alio fine & ſcopo. Anno quippe 1644. Cauſſinus & Pinterellus ſententiam illam in Baunio non eſſe dejerarunt, quia erubuerunt fateri in Socio ſuo extare ſententiam, quæ ipſis adeò deteſtabilis videbatur, ut *niſi in hominem perdita conſcientia non caderet.* Anno verò 1656. eam Baunio tribuere Caſuiſtarum Apologiſta non erubuit, quia adeò innoxiam exiſtimavit, ut vel imperitum crederet, vel malignum, qui hanc Baunii opinionem culparet, quæ vulgò in ſcholis non rejicitur; ſe proinde nec *dæmonis organum*, nec dæmone deteriorem credidit, fatendo eam Baunii eſſe. Sic unus tribus illis Jeſuitis ſcopus fuit, defendere, non veritatem, ſed Socii ſui duntaxat honorem. Ideò ſententiam illam modò Baunii eſſe, modò non eſſe dixerunt, modò deteſtandam, modò non deteſtandam, non amore veritatis, quæ (cùm non mutetur) non admittit *eſt* & *non eſt*, ſed ſuæ utilitatis, quæ modò eſt, modò non eſt, pro varietate circumſtantiarum.

Vin exempla alia demonſtrantia majorem in pleriſque Jeſuitis amorem ſui, ſuorumque honoris & utilitatis quàm veritatis? En tibi ſecundum ex eodem Paſchali: Diverſis, inquit, temporibus iſtud vobis (Jeſuitis) objectum eſt Baunii dogma: *Etſi pœnitens conſuetudinem peccandi habeat contra legem Dei, naturæ,*

aut

aut Eccleſiæ, non eſt tamen ei neganda abſolutio, ſi verè eum admiſſorum pœnitet, ac emendandi ſui propoſitum habeat. Dico ſecundò nec negandam, nec differendam ei, etſi emendationis futuræ ſpes nulla appareat. Etiam circa iſtam Baunii propoſitionem diverſa, & una alteri adverſa fuit hinc Pinterelli, illinc Briſacerii reſponſio. Nam Pinterellus pag. 18. ſententiam illam faſſus eſt damnabilem eſſe, at Baunii non eſſe, vix non per omnes Deos jurans, & dicens: *Quid eſt aliud, omnes pudoris metas tranſilire, omnem impudentiam prætergredi, niſi Baunio, quaſi certam ejus ſententiam, tam damnabilem doctrinam affingere. Iſtius indignitatem calumniæ, obſecro, Chriſtiane lector, expende. Vide quibuſcum Jeſuitæ contendunt, ac decerne, num tam nefandæ calumniæ artifex, non ipſius diaboli, mendaciorum parentis, interpres habendus ſit.*

Ergone Briſacerius *ipſius diaboli, mendaciorum parentis, interpres habendus,* dum pag. 21. *Certè,* inquit, *hæc habentur apud Baunium* (impudentis proinde mendacii arguit ſocium ſuum Pinterellum) *at tu, qui hæc carpis, expecta dum Angelus pœnitentis cuſtos pignori opponat pro eo, quidquid in cœlo juris habet. Expecta dum Deus Pater per caput ſuum juret, mentitum eſſe Davidem, cùm Spiritus Sancti inſtinctu dixit, Omnem hominem eſſe mendacem, fallacem, fragilem. Expecta dum ille pœnitens non ſit amplius mendax, fragilis, mobilis, quemadmodum alii. Et ſic ſanguinis Chriſti beneficium nulli conferes.*

Illud ipſum ergo quod Pinterellus, *omnes pudoris metas tranſiliens,* & *omnem impudentiam prætergreſſus,* negavit eſſe Baunii, Briſacerius (ipſo candidior, & in eo magis verax) affirmavit; ſed damnabile eſſe negavit. Damnabile verò eſſe, Pinterellus veraciter confeſſus fuit, & verè damnabile eſſe Innocentius XI. definivit, dum illud damnavit. An ideò expectari Innocentius voluit, *dum Deus Pater per caput ſuum juraret, non omnem* hominem eſſe mendacem, fragilem, mobilem &c? Non: quia id Deum vel Angelum jurare non eſt neceſſe, ut emendationis ſpes aliqua affulgeat: emendatio-

tionis namque ſpes certiſſimè affulgere poteſt, tametſi emendatio non ſit certiſſimè futura, nihilque gratiæ contumelioſius eſt, quàm Briſacerii aſſertio, ſperari non poſſe emendationem hominis mendacis & fragilis, qui Dei, naturæ, Eccleſiæ legem violare conſuevit, niſi Spiritus Sanctus mendacii arguatur. Deridicula proinde eſt Briſacerii concluſio, nemini tribuendum ſanguinis Chriſti beneficium, ſi iis abſolutio neganda ſit, vel differenda, in quibus futuræ emendationis ſpes nulla appareat.

Tertium exemplum ſuppeditant litteræ Jeſuitarum Gallorum, in quibus depoſito omni pudore negant, peccatum philoſophicum à Jeſuitis admitti, imò addunt ab omnibus illud damnari, tam in ſe, quàm in omnibus principiis & conſectariis illius.

Cujus oppoſitum ignorare non poterant eſſe certum, à Jeſuitis utique valde multis, maximè Gallis, illud admitti, admitti etiam principia illius, & à nonnullis admitti etiam conſectaria, prout invictè demonſtrat eruditiſſimus Apologiſta Epiſtolarum ad Provincialem. epiſt. 8.

Quartum exemplum profert idem Apologiſta epiſt. 6. ubi ex Jeſuitarum teſtimoniis luce meridiana clarioribus demonſtrat Jeſuitas, ſi non omnes, majorem ſaltem eorum partem, in ea eſſe ſententia, quòd ad peccandum formaliter, peccato in ſe imputabili, neceſſaria ſit advertentia formalis & actualis ad malitiam actus, nec ad id ſufficiat advertentia virtualis, in eo conſiſtens, quòd ad eam peccator advertere potuerit & debuerit. Quod licèt Jeſuita Daniel, ſeu Author damnatorum Colloquiorum Cleandri & Eudoxii ignorare non potuerit, mendaciter aſſerere non veretur: *Sententiam eſſe Jeſuitarum omnium, actiones factas contra legem, quam peccator potuerit debueritque cognoſcere, facientibus imputari, tametſi eas faciant abſque ulla cognitione mali, & abſque pravia ulla inſpiratione.*

Quintum exemplum proferunt Curiones Rothomagenſes in epiſt. ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum ſuum, de Jeſuitis aientes: Hi Patres, evolutis tandem ſimu-

ſimulationis integumentis, nunc audaciter ſuſtinent propoſitiones, quas aliàs non ſine execratione reſpuere ac repudiare videbantur. Nam in libello ſupplici, anno 1644. Senatui Burdigalenſi, contra librum inſcriptum, *Theologia Moralis Jeſuitarum*, præſentato, fatebantur propoſitiones, quæ ipſis eo in libro adſcribebantur, eſſe *impias, periculoſas, ſcandaloſas, execrandas; bonis moribus exitioſas, & ſocietati civili.....* At nunc palam profitentur ſe vindices ac protectores Apologiæ Caſuiſtarum, pleraſque iſtius Theologiæ Moralis corruptelas ſuſtinentis. Sic omnem ſibi fidem per apertam inſinceritatem ſuam adimunt Jeſuitæ; dum pro varia Societatis utilitatę, temporumque & circumſtantiarum pro ejuſdem Societatis honore ſic exigentium, uno eodemque ex ore calidum frigidumque exſufflant, iſtaſque vel illas propoſitiones eaſdem modò damnant & execrantur, modò approbant & amplectuntur, non ex immotæ veritatis, ſed ſuæ (ut dictum eſt) utilitatis præſcripto, ut in ipſis vetus iſtud adagium impleatur: *Omnia pro tempore, nihil pro veritate.*

Et quis neſcit, Jeſuitas hodie ſtare pro ſummi Pontificis, in facti non revelati quæſtionibus, infallibilitate; quia ſic hodie poſtulant res Societatis, ut habeant unde prætenſos Janſeniſtas perſequantur? Tempore verò Congregationum de auxiliis ſtetiſſe pro ipſius, iſtis in quæſtionibus, fallibilitate, ut ad eam haberent refugium, in caſu damnationis Molinæ, cujus ingens erat periculum. Quis item neſcit, tunc publicis in Theſibus propoſitionem hanc ſuſtinuiſſe: *Non eſt de fide, hunc numero hominem, v. g. Clementem VIII. verum eſſe Papam, ſeu S. Petri in Romano Pontificatu ſucceſſorem*, ut in iſtis Societatis anguſtiis Papam terrerent, & ſeſe formidabiles redderent. Hodie verò (ſedatis anguſtiis illis) oppoſitum ab ipſis meritò ſuſtineri? De his videri poteſt ſapientiſſimus P. Serrius in elegantiſſima ſua Hiſtoria Congregationum de Auxiliis l. 4. c. 4. & l. 5. c. 4. edit. 2.

Nihil proinde mirum, quòd ii, quibus major ineſt

pro-

propriæ utilitatis, ſeu honoris & famæ, quàm veritatis amor, tam proclives ſint ad proſcindendum mendaciis, impoſturis & calumniis ſuis eos, quos ex cæco ſui amore exiſtimant adverſarios utilitatis, ſive honoris & famæ Societatis ſuæ.

Non mirum, inquam, quòd ejuſmodi mendaciis, impoſturis & calumniis pleni ſint libri & ſcripta tot Sociorum, Annatorum utique, Pinterellorum, Telleriorum, Bouhourſiorum, Briſaceriorum, Meinierorum, Pirotiorum, Honoratorum Fabri, Rapinorum, Palazolorum, Francolinorum, Hazartiorum, Eſtriciorum, Sabranorum, Stephaniorum, aliorumque quàm multorum: quorum plerique ne ſanctiſſimis quidem parcunt Epiſcopis, nec ſacratis ædibus, nec ſaluberrimis Inſtitutis, Societati non devotis.

Nam Rapinus, in damnata Epiſtola ſua ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Cibo, velut falſos Prophetas, velut lupos ſub ovina pelle, velut hypocritas, fidei non rectæ, proſcindit ſanctæ memoriæ Epiſcopos, Franciſcum Cauletum, Appamienſem, & Nicolaum Pavillonum Alectenſem; quorum uterque Innocentio XI. acceptiſſimus fuit, & ab ipſo plurimùm collaudatus; quemadmodum & à novemdecim illuſtrioribus Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopis, in epiſt. ad Clementem IX. in qua tam de duobus iſtis, quàm de duobus aliis Epiſcopis (quibus etiam Jeſuitica calumnia non pepercit) Nicolao de Buzenval Belluacenſi & Henrico Arnauld Andegavenſi, ſic loquuntur: *Impetrabit vel ab inimicis excellens horum quatuor Epiſcoporum virtus hoc teſtimonium, non alios eſſe qui Ordinem noſtrum magis exornent, & Eccleſiam magis ædificent, qui populorum ſaluti, & commiſſi ſibi gregis curæ vigilantiùs incumbant, & qui omnes denique Epiſcoporum partes cumulatiùs expleant. At nos illud præterea & ſpondere, & confirmare poſſumus, non minimam ab eis pietatis ſuæ partem in eo poni, ut Apoſtolicæ Sedi ea quâ par eſt demiſſione ſubſint, ejuſque dignitatem debitâ veneratione proſequantur.* In epiſtola verò ad Regem Chriſtianiſſimum: *Certi ſumus, quòd ſi placeat Majeſtati veſtræ jubere, ut exami-*

minetur cauſa quatuor iſtorum Epiſcoporum, tantam inde habebit ſatisfactionem, ut pro cælesti benedictione accipiet, habere ſe in Regno ſuo tam dignos ſanctorum illorum ſucceſſores, quorum pietatis exempla diebus noſtris reſuſcitant, per charitatem, non minus ardentem, quàm puram, nec quæ ſua ſunt quærentem, quemadmodum & per indefeſſam vigilantiam, in laboribus miniſterii ſui.

Quid verò de Pavillono ſanctiſſimæ memoriæ Eminentiſſimus Cardinalis le Camus? In approbatione libri de pœnit. public. juſſu Illuſtriſſimi D. Gondrini Archiepiſcopi Senonenſis editi, ipſum appellare non dubitat *ſanctum Antiſtitem, Gallicanorumque Epiſcoporum exemplar & Patrem.*

Poſt Epiſcopos illos pius Contenſonius, Nicolai Pavilloni, & Franciſci Cauleti Diæceſes ſe vidiſſe teſtatur, velut *Eccleſiæ primitivæ ſpiritum redolentes*. Et clariſſimus D. Charpentier, Academiæ Gallicanæ Decanus, in diſcurſu ſuper receptione D. Pavilloni, nepotis laudatiſſimi ejuſdem nominis Alectenſis Epiſcopi, ipſum commendat, ex hoc quòd ſanguine junctus ſit *tam ſancto Epiſcopo, quem univerſus Clerus Gallicanus ſuſpexit, velut unum de ſplendidioribus luminaribus ſuis; cujus Inſtructiones & exempla adeo proficua fuerunt, non ſolùm Alectenſi Diæceſi.... ſed & toti Regno, ut memoria ipſius ſemper futura ſit in ſingulari veneratione.*

Ecce quos, & quàm eximiè ſanctos Epiſcopos, velut hæreticos, in hodiernum uſque diem Jeſuitica proſcindere non ceſſat maledicentia & calumnia.

De ſanctiſſimo Angelopolitano Epiſcopo Palafoxio quid dicam? Ipſum in maxima opinione ſanctitatis, & vixiſſe, & obiiſſe, negare non poſſunt, nec quiſquam negabit, qui legerit Moralis practicæ tomum IV. ubi mirabilis vita ipſius deſcribitur, & dilectio magna, qua Societatem Jeſu, & filios ipſius, etiam illos ex ipſis qui ipſum indigniſſimè perſequebantur, impensè amabat: de ipſis tamen in epiſt. ad R. P. Ruda Jeſuitarum Provincialem, in Provincia Mexicana: *Quas*, inquit, *non ſatyras adverſum me vulgaſtis? Quas falſas relationes, quibus me velut flagitioſum, vitioſum, ambitioſum,*

ſum, crudelem depingebatis, propterea quòd tutor eſſem dotis ſponſæ meæ, id eſt decimarum Eccleſiæ meæ, defenſorque pedi paſtoralis ac mytræ, ſeu juriſdictionis. Unde in epiſt. 1. ad Innocentium X. conqueritur, quòd adverſus ipſum *libellos ſcripſerint famoſos.* In epiſt. 2. ad eundem; quòd *inſolentiſſima carmina, & incredibiliter ſacrilega, & ſatyrica, contra Clerum, & Epiſcopum in populo ſparſerint, gloriantes ſe Epiſcopum viciſſe, ac de eo triumphaſſe, cùm tamen ipſi victi, ſuperati eſſent à ſuâmet impotentiſſima potentia.:* Quòd etiam *plurima epigrammata hiſpano ſermone ſpectatoribus tradiderint, exiſtimationi Paſtoris & Cleri detrahentia. Et inter alia ſequens, quod quia maximè explicat quanto errore teneantur Religioſi Jeſuitæ, qui repagula ſuarum Conſtitutionum rumpentes, intra ſua ſepta ſe continere non valent, hic inſeri, Pater Beatiſſime, non impertinens judicavi:*

Oy con gallardo denuedo
Se opone la compañia,
A la formal heregia.

Hucuſque, Pater Beatiſſime, potuit ſpiritualis iſta obcæcatio mentis procedere. Cùm enim ego defenderem ſacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, Decreta Pontificia, ſalutem animarum: hæc omnia, quia eos ligant & arctant, hæretica eſſe, populis Jeſuitæ ſuadent & ſuggerunt.

Et quibus non mendaciis, injuriis & calumniis, per libellos & memorialia publica perſecuti ſunt Eminentiſſimum D. Cardinalem Saliceum, Archiepiſcopum Toletanum, Melchiorem Canum, Epiſcopum Canarienſem, Joannem de Ribera, Epiſcopum Mechoacanenſem, Ferdinandum Guerrerum, Archiepiſcopum in Philippinis, Jacobum Boone Archiepiſcopum Mechlinienſem, nec non Archiepiſcopum de las Charchas, & Epiſcopos de Cuſco, de Gundalaxara, de Paraguaia, in Indiis, & Calcedonenſem in Anglia &c. De his plura Clangore ſequenti.

Quas etiam non turbas in Gallia & utroque Belgio con-

concitarunt per impoſturas ſuas, mendacia & calumnias? An non per eas perturbarunt Eccleſiæ Gallicanæ pacem à Clemente IX. reſtitutam?

An non per eas ſubverterunt utiliſſimum & ſaluberrimum Inſtitutum Virginum de Infantia Domini Noſtri Jeſu Chriſti, *magno ſemper in pretio habitum* (ait Innocentius XI. in Brevi ad Joſephum Archiepiſcopum Toloſanum) *atque ſanctæ Sedis approbatione munitum, diſperſis & ſubverſis earum familiis, quæ ingenti cum laude ac fructu, Chriſtianæ charitatis munia obibant?* Videre eſt iſtud demonſtratum in libro, cui titulus: *Innocentia per calumniam oppreſſa*, ubi Congregationis illarum Virginum Hiſtoria, Jeſuitarum adverſus eas fraudes & calumniæ, barbaræ executiones adverſus eaſdem violenter exercitæ, non ſine injuria S. Sedis (ad quam juſtiſſimè appellaverant) graphicè deſcribuntur. Statim ut funeſtum de Inſtituto illo deſtruendo Arreſtum à Rege Chriſtianiſſimo per Jeſuiticas ſub & obreptiones atque impoſturas extortum, in Occitaniæ Statibus audivit Cardinalis Bonzius, exclamavit dicens, Regem circumventum fuiſſe, nec ipſi notificatam iſtius Inſtituti approbationem, per Bullam Alexandri VII. Ideóque propoſitum ipſi fuit, in favorem illarum Virginum Regem convenire. Sed ipſum prohibuit P. de la Chaiſe, iſtius Tragediæ Actor, Regiſque circumventor præcipuus (qui & Archiepiſcopum Toloſanum averterat, ne pro iis ad Regem ſcriberet) ipſi namque Jeſuitica gravitate dixit, *Negotium iſtud ſuum eſſe, ſibique ſummè diſpliciturum, ſi de eo Regi loqueretur.*

Quas denique non calumnias in ſacratum Regii Portus Monaſterium Jeſuitæ non effutiverunt, præſertim Briſacerius in famoſo ſuo libello, cujus inſcriptio eſt *Janſeniſmus confuſus* part. 4. pag. 6. ubi ipſum non pudet caſtiſſimas religioſiſſimaſque iſtius Monaſterii Virgines, velut *hæreticas, impudicas, impœnitentes, deſperatas, aſacramentarias, incommunicantes, fatuas virgines* &c. veſano & furibundo calamo diffamare. Verùm calumnias iſtas Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis digna cen-

cenſura adverſus Briſacerium latâ contrivit. Et in eaſdem quidem laudatiſſimas Virgines Meinierus veſani & furibundi pectoris ſui venenum evomuit dicens, *Omnibus iſtius Monaſterii virginibus inſtillatas. . . hæreſes, quæ* nihil aliud ſunt, quàm *Deiſtarum Inſtitutiones.* Sed ipſum caſtigans clariſſimus vir Paſchalis epiſt. 16. (*quod virginibus ſingularis pietatis laude notiſſimis, totius impietatis extremum imputare non pudeat*) *Ignari*, inquit, *& crudeles inimici! Itane ne remotiſſima quidem virginum clauſtra ſatis tuta ſint adverſus maledicentiam veſtram perfugia! Dum noctu illæ & interdiu, ex ſua Societatis Inſtituto, Chriſtum in Euchariſtia reſidentem adorant; noctu & interdiu Chriſti in Euchariſtia reſidentis, in Patris dextera ſedentis ab illis ejuratam fidem eſſe jactatis. Dum occultè pro vobis, pro tota Eccleſia Dei ſupplicant, publicè vos ipſas ex Dei Eccleſia reſecatis. Nec aures habent illæ quibus calumnias veſtras audiant, nec linguam quâ refellant. At Chriſtus, in quo abſconditæ ſunt, quandoque cum ipſo revelandæ, calumnias veſtras & audit & refellit. Auditur, auditur, Patres, ſancta illa & tremenda vox, Eccleſiæ ſolatium, ſtupor naturæ. Quàm vobis timeo, RR. PP. ne qui adverſus divinam illam vocem contumaciter reſiſtitis, dum miraculorum ſplendore Dei majeſtatem oſtentat* (miraculorum illorum enarrationem facit Wendrockius in notis ad illam epiſtolam) *ejuſdem vocem aliquando trementes audire cogamini, cum Judicis adverſus ſontes ſeveritatem exhibebit!*

Quam tandem enim rationem tot calumniarum Deo reddetis? Quæ defenſio ſuppetet, cùm eas non ex Caſuiſtarum veſtrorum *prolubiis, ſed ex æterna veritate, & ex Eccleſiæ ſuæ inſtitutis expendet?* Eccleſia *verò calumniam adeo non excuſat, ut non minùs ſeveras in calumniatores, quàm in voluntarios homicidas conſtituerit pænas.* Primo ac ſecundo Arelatenſi Concilio, ut homicidis, ſic calumniatoribus tantùm in fine vitæ dandam *eſſe communionem ſancitur:* „ De his qui falsò accuſant „ fratres (inquit Concilium Arelat. I. c. 14.) placuit „ eis uſque ad exitum non communicare „ Concil. Are-

„ lat.

„ lat. II. can. 24. eos qui falſa fratribus capitula obje-
„ ciſſe convicti fuerint, uſque ad exitum non commu-
„ nicare“ ſtatuitur, „ ſicut magna Synodus antè con-
„ ſtituit.“ A Lateranenſi, calumniæ convicti, tametſi correcti, ſtatu eccleſiaſtico judicantur indigni. *Iis qui falſum crimen Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono affinxiſſent, minantur Pontifices, ne in fine quidem vitæ communionem ſeſe daturos.* Adriani Papæ cap. 62. verba ſunt iſta: *Si quis Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine danda ei communio.* Et cap. 63. *Si quis inventus fuerit libellum famoſum tenere.... excommunicetur.* Cap. verò 50. dixerat: *Qui in alterius famam in publico ſcripturam.... primus invenerit, rumpat, ſi non vult Authoris facti cauſam incurrere.* Maledici verò libelli Authores, ſi crimina quæ aliis intendunt probare nequeant, ibidem flagellis cædi jubet. *Uſque adeo Eccleſia à flagitioſa Societatis veſtræ doctrina ſemper abhorruit, quæ calumniæ ideo crimen elevat, ut liberiùs calumnietur.*

Paulò antè verò, eadem in epiſtola Paſchalis dixerat:
„ Vidit urbs Pariſiorum publicè parietibus ſuis affigi,
„ juſſu veſtro, Patres, infamis libelli infamem titu-
„ lum: *Portus-regii adverſus diviniſſimum ſacramen-*
„ *tum cum Geneva conſenſio.* Vidit Meinieri veſtri no-
„ men infandum in illius fronte præfixum. Vidit in
„ hoc libello apoſtaſiæ inſimulari, non modò clariſſi-
„ mum Abbatem ſancti Cygirani, & inſignem illum
„ Arnaldum, ſed etiam ſororem ejus Agnetem, quon-
„ dam Regii-portus Abbatiſſam, cæteraſque hujus
„ Monaſterii Religioſas Virgines, quarum de Eucha-
„ riſtia fidem p. 96. non *minus ſibi ſuſpectam* eſſe dicit,
„ quàm ipſius Arnaldi, quem *certum Calviniſtam* pag.
„ 4. jam dixerat.

„ Omnium hìc, Patres, judicium, omnium fidem
„ appello. In quem tandem minori veri ſpecie tam
„ indigna poterat conferri ſuſpicio? Nam ſi Sanctimo-
„ niales illæ, ſi Sacerdotes illis præpoſiti cum Geneva
„ in Euchariſtiam conſenſiſſent (quod ſine horrore co-

„ gitari

„ gitari non poteſt) cur hoc potiſſimum ſacramentum, „ quod ut nefandum deteſtabantur, ſibi præcipua colendum pietate ſumpſerunt? Cùr prioribus inſtitutis „ novum adjunxerunt illius cultum? Cur huic ſe præcipuè, & habitu ſuo, & nomine, & Eccleſiæ ſuæ „ titulo conſecrarunt? An ſi fidem Eccleſiæ cum Geneva delere conjuraſſent, tantis egiſſent ſtudiis, ut „ hæc inſtitutio à Romana Sede probaretur, ut ſibi „ officium Corporis Chriſti (quo fides Eccleſiæ ſic „ exprimitur, ut clariùs non poſſit) quinta quaque feria recitare fas eſſet? Quid quòd volentes ſe huic Inſtituto obſtrinxêre, ut noctu & interdiu ſacræ illi Hoſtiæ Virgines quædam de ſuo Cœtu ſemper aſſiſterent, quæ jugi adoratione juge ſacrificium proſequentes, ſic quodammodò hæreſeos in ejus excidium conjuratæ impietatem ſua pietáte penſarent?

„ Dicite, Patres, ſi poteſtis, quid cauſæ fuerit, cur „ ex tot fidei noſtræ myſteriis omitterent illa quæ „ credunt, illud verò quod non credunt eligerent? „ Aut cur tam plenè huic ſe fidei myſterio devoverent, ſi illud, tanquam hæretici, pro myſterio iniquitatis haberent?

„ Quid vos adverſùs tam illuſtria teſtimonia muſſitabitis, non verbis modò expreſſa, ſed factis impreſſa: nec in uno tantùm & altero facto, ſed in totius „ vitæ ſerie, perpetuæ Chriſti in Altaribus reſidentis „ adorationi conſecratæ? Quid porrò illis ſcriptis, „ quos appellatis Portûs-regii libros, reſpondebitis, ubi „ paſſim hujus myſterii vis & natura his effertur vocibus, quibus nullas nec Patres, nec Concilia accuratiores invenere? Horribile ſimul & ridiculum eſt, „ veſtras hîc cavillationes audire. Arnaldus (inquit „ toto ſuo libro veſter Meinierus) ſæpe tranſſubſtantiationem commemorat. At quis ſpondeat, non ab „ eo *tranſſubſtantiationem quandam figurativam* intelligi? Significat quidem præſentiam ſe realem agnoſcere: at undè liquet ab eo non *vera & realis figura* præſentiam accipi?

„ Ubinam gentium ſumus, Patres? Aut quæ tan-

„ dem erit omnium Theologorum conditio, ſi hoc vo-
„ bis impune fuerit? Quis, cùm libuerit, à vobis non
„ pro Calviniſta traducetur, ſi ſic ſanctiſſimas quaſque,
„ & Conciliorum Decretis congruentiſſimas locutio-
„ nes, veſtra æquivocorum methodo, & malicioſis
„ iſtis argutiis liceat corrumpere?" Quam non fidei
profeſſionem corrumpere licebit? An non malignitas
iſta à vobiſmet ipſis demonſtrativè refutata eſt per diſ-
curſum Clangore præcedenti laudatum? Ad propoſi-
tum revertendo. „ Quis aliis unquam verbis eſt uſus,
„ maximè in ſcriptis ad confirmandam Catholicorum
„ pietatem, non ad revincendam hæreticorum perfi-
„ diam inſtitutis? Et tamen pro eo quo flagrabant di-
„ viniſſimi Myſterii amore ac reverentia, ſic omnibus
„ locis illius fidem præ ſe ferunt, ſic perſpicuis verbis
„ concipiunt, ut, quamlibet arte valeatis, nullam in iis
„ ambiguitatis ſpeciem, ac ne minimam quidem cum
„ Geneva conſenſionem deprehendere poſſitis?
„ Nempe in his capitibus, ut omnibus notum eſt,
„ Calviniana hæreſis poſita eſt, Chriſti Corpus in hoc
„ ſacramento non contineri; nec enim fieri poſſe, ut
„ pluribus ſimul in locis ſit præſens: quare cùm in
„ cœlo ſit, nuſquam alibi eſſe: nuſquam niſi in cœlo
„ adorari debere: adeóque in altari manere ſub-
„ ſtantiam panis: nec Chriſti Corpus in os, in pectus
„ ſubire; ſed ſola demùm fide tangi ac manducari:
„ hinc fieri, ut à malis manducari non poſſit. Miſſam
„ non eſſe ſacrificium, ſed abominationem.
„ Audiamus jam quæ ſit Genevæ ac Portus-Regii
„ Concordia. In illis, Patres, libris, ad veſtrum de-
„ decus iſta legimus: *Sub panis ac vini ſpeciebus car-*
„ *nem ac ſanguinem Chriſti contineri.* Arnaldus epiſt. 2.
„ p. 259. *Sanctum Sanctorum in Sanctuario præſentem*
„ *eſſe, & ibi adorandum.* Ibid. p. 245. *Habitare Chri-*
„ *ſtum in peccatoribus Euchariſtiam ſumentibus, per cor-*
„ *poris ſui veram ac realem in eorum pectore præſentiam,*
„ *quamvis ſpiritus ejus ab eorum animo longè abſit.* Freq.
„ Commun. p. 3. c. 16. *Sanctorum mortuos cineres, ex*
„ *quodam vitæ ſemine, quod ex vivifica ac immortalis*
„ *Chri-*

„ *Chriſti carnis contactu traxerunt, præcipuam ducere*
„ *dignitatem.* Freq. Commun. p. 1. c. 40. *Nulla natu-*
„ *ræ poteſtate, ſed Dei omnipotentiâ, cui nihil ſubtra-*
„ *ctum eſt, Chriſti Corpus ſub Hoſtia, imò ſub tenuiſſi-*
„ *ma quoque hoſtiæ particula cohiberi.* Theol. famil.
„ l. 5. *Divinam præſto eſſe virtutem, ut quæ conſecra-*
„ *tionis verbis ſignificantur efficiat.* Ibid. *Eundem Chri-*
„ *ſtum & in Altari ſtratum atque depreſſum eſſe, & in*
„ *ſolio gloriæ excelſum ſedere: ſuâ vi, ſua potentiâ, &*
„ *quidem propriâ, variis in locis ſimul eſſe; in medio*
„ *Eccleſiæ triumphantis in patria, in medio militantis in*
„ *via.* Rat. de ſuſp. corp. Chr. Rat. 21. *Sacramenta-*
„ *les ſpecies manere in aëre ſuſpenſas, & contra naturæ*
„ *ordinem ſubſiſtere, nullâ materiâ ſubnixas: ſub iiſdem*
„ *pariter ſpeciebus ſuſpenſum eſſe corpus Chriſti; nec ta-*
„ *men ab illis pendere, eo modo quo ab accidentibus pen-*
„ *dent ſubſtantiæ.* Ibid. 23. *Mutari ſubſtantiam panis*
„ *manentibus accidentibus.* In offic. eccl. diviniſſ. ſacram.
„ *Chriſtum in Euchariſtia eadem (quâ gaudet in cælo)*
„ *gloria potiri.* Epiſt. Abb. S. Cygir. t. 1. epiſt. 93. *Glo-*
„ *rioſam ejus humanitatem ſub ſpeciebus panis, quibus*
„ *oculis noſtris abſconditur, in Eccleſia latere. Sic enim*
„ *decuiſſe, ut hominum tarditas per humanitatem Chriſti*
„ *uno in loco præſentem, ad divinitatis ubique præſentis*
„ *adorationem perduceretur.* Ibid. *linguâ recipi corpus*
„ *Chriſti, hancque ex divino contactu trahere ſanctita-*
„ *tem.* Epiſt. 32. *intrare Chriſtum in ora ſacerdotum.*
„ Epiſt. 72. *tametſi Chriſtus, ſingulari amoris ac cle-*
„ *mentiæ ſuæ benignitate, accedi ad ſe in hoc ſacramen-*
„ *to permiſerit, ibidem tamen ab ipſo retineri lumen il-*
„ *lud creaturis inacceſſum, quod ab ejus divina natura*
„ *divelli non poteſt. Quamvis enim vi verborum ſolum*
„ *corpus & ſolus ſanguis adſit, ut in ſchola loquuntur,*
„ *tamen, propter neceſſariam conjunctionem, ſimul ibi-*
„ *dem totam humanitatem, totam ejus divinitatem re-*
„ *periri.* In defenſ. opuſc. cui titulus gallicè, *Le chape-*
„ *let du S. Sacrem.* Denique *Euchariſtiam ſimul & ſa-*
„ *crificium eſſe, & ſacramentum.* Theol. famil. lect.
„ 15. ac licèt hoc *ſacrificium ad renovandam ſacrificii*

„ *Crucis memoriam ſit inſtitutum, hoc tamen inter u-*
„ *trumque diſcrimen eſſe, quod Miſſæ ſacrificium pro ſola*
„ *offertur Eccleſia, ac fidelibus in ejus communione vi-*
„ *ventibus; contrà pro omni mundo ſacrificium Crucis*
„ *oblatum eſſe, ut loquitur Scriptura.* Ibid. p. 153.

„ Abundè ſunt iſta, RR. PP. ut facilè omnes in-
„ telligant, ad impudentiam veſtram nihil addi poſſe.
„ Plus tamen volo, nempe contra vos à vobis ferri
„ ſententiam. Satin hoc erit? Agite, quibus verbis
„ uti decet hominem, qui omnem Calviniſmi notam
„ velit effugere? *Si Dominus Arnaldus* (inquit Meinie-
„ rus veſter) *in hoc adorando myſterio, ſub panis ac vini*
„ *ſpeciebus nullam panis remanere ſubſtantiam dixiſſet,*
„ *ſed tantùm carnem & ſanguinem Chriſti, hac profeſ-*
„ *ſione manifeſtè ipſum à Geneva ſenſibus ſuos ſegregaſſe*
„ *agnoſcerem.* Agnoſcite igitur ſcelus veſtrum, Patres,
„ & publicam injuriam publica ſatisfactione ſarcite.
„ Quoties hoc in allatis locis vidiſtis? Sed unus ſufficit
„ familiaris Theologiæ libellus, qui à S. Cygirani Ab-
„ bate compoſitus, ab Arnaldo approbatus, utriuſque
„ continet fidem. Conſulite igitur lect. 15. ac ſecun-
„ dum præſertim articulum, & quæ poſcitis reperie-
„ tis, etiam ſignificantiùs expreſſa quàm poſcitis: *An*
„ *panis*, inquit, *remanet in hoſtia, & vinum in calice?*
„ *Nullo modo. Omnis enim ſubſtantia panis & vini tol-*
„ *litur, ut in illius locum ſubeat corporis & ſanguinis*
„ *Chriſti ſubſtantia, quæ ibi tum ſola remanet, panis &*
„ *vini ſpecie cooperta.*

„ Etiamne, Patres, huc illuc jactabitis, nihil à
„ Portu-Regio doceri, quod non libens Geneva ſuſci-
„ piat; nihil ab Arnaldo tota epiſt. 2. dictum eſſe,
„ quod non idem à Carentonio Miniſtro dici poſſit?
„ Dicat igitur Meſtreſatius, quod ait Arnaldus epiſt. 2.
„ p. 237. & ſeq. *Impudentiſſimè mentiri, quiſquis ſe*
„ *negatæ tranſſubſtantiationis inſimulet: libros ſuos reali*
„ *in Sacramento Chriſti præſentiæ, Calvinianæ hæreſi op-*
„ *poſitæ ſuperſtructos: poſtremò felicem ſe ſibi videri,*
„ *quòd huic Monaſterio ſit addictus, ubi Sanctus Sancto-*
„ *rum in Sanctuario reſidens continenter adoratur....*

Sed

Sed quid eſt quòd negatæ in Euchariſtia realis præſentiæ crimen in Portum-regium confertis; cùm à nullius ſuſpicione longius abſit? „ Quid eò vos perpulerit, Patres, noſſe operæ pretium. Hoc mihi aperiendum eſt; nec enim ſum artium veſtrarum ignarus. Mirum verò ut hoc loco diſciplinæ veſtræ parueritis. Si S. Cygirani clariſſimus Abbas, ſi Doctor Arnaldus nihil aliud ſcripſiſſent, niſi quod de hoc myſterio credendum ſit, non quomodo ad illud componendus animus eſſet, catholici vobis fuiſſent vel optimi. nec ullam ſub verbis *præſentiæ realis ac tranſſubſtantiationis* fraudem occultaſſe dicerentur. Sed quoniam omnino neceſſe eſt, quiſquis prolapſiones veſtras non probet, hoc ipſo ſit hæreticus, & quidem in eo ipſo capite, de quo à vobis diſſentiat: qui poſſet in Euchariſtiæ doctrina Arnaldus eſſe Catholicus, qui toto libro *De frequenti Communione* violatam corruptelis veſtris hujus ſacramenti ſanctitatem defendit? Itane, Patres, non impunè dixerit, arcendos à communione corporis Chriſti, qui cum iiſdem ſemper hæreant flagitiis, nullam futuræ ſpem emendationis oſtendunt; atque ejuſmodi homines ad tempus ab altari removendos, donec ſinceræ pœnitentiæ officiis purgati, ad Euchariſtiam cum fructu poſſint accedere? Equidem magni intereſt, Patres, ut neminem ita loqui patiamini; non *tanta vos pœnitentium multitudo obrueret.* Nam, ut ait veſter Briſacerius, *hanc ſi methodum ſequeremini, nemini à vobis ſanguis Chriſti applicaretur.* Quanto rectius & utilius eſt huic veſtræ Societatis diſciplinæ adhæreſcere, quam Maſcareñas veſter, in libro à Doctoribus veſtris & ab ipſo Generali laudato, refert his verbis: Dico 3. *qui habuit pollutionem voluntariam mortaliter peccaminoſam, ſive cum complice, ſive ſine illo,* id eſt, ut antè præmiſit, *ſive per adulterium, ſive per peccatum contra naturam, ſive quocumque alio modo; ſi habeat debitum illius dolorem, præmiſſa confeſſione poterit in eadem die communicare, quin in hoc peccet mortaliter, nec etiam venialiter.*

„ Et paulò pòſt n. 285. *Tota hic dubitatio, utrùm de-*
„ *beat Confeſſarius conſulere his, ſic voluntariè & mor-*
„ *taliter pollutis, ut illo die ſe à communione abſtineant,*
„ *non ex præcepto, ſed conſilio? Ordinariè reſpondent*
„ *Authores affirmativè: nihilominus tamen mihi magis*
„ *placet opinio Joannis Sancii in ſuis ſelectis,* diſp. 23. n.
„ 30. *aſſerentis hoc non eſſe conſulendum; imò potiùs con-*
„ *ſulendum, quòd communicent, dummodò ſint per con-*
„ *feſſionem benè diſpoſiti: ne ſub velamine reverentiæ*
„ *erga hoc ſacramentum illud defraudent excellentiore re-*
„ *verentiâ, quæ ex tali ſumptione illi accreſcet. Et hinc*
„ *infero, non eſſe validum votum non ſuſcipiendi Eucha-*
„ *riſtiam die habitâ copulâ fornicariâ, etiam præmiſſâ con-*
„ *feſſione cum vero dolore. Nàm tale votum eſt impedi-*
„ *tivum majoris boni.* Et paulò ſuprà: *Quamvis Pater*
„ *Vaſquez credat antiquitùs fuiſſe aliquam legem, vel*
„ *univerſalem, vel provincialem, quâ per aliquot ſal-*
„ *tem horas prohibeatur communio; hoc tamen hodie*
„ *communi & univerſali Eccleſiæ conſuetudine eſt abro-*
„ *gatum.* En quanti ſit, Patres, per totum Orbem
„ diffuſos eſſe Jeſuitas. En qualem conſuetudinem in-
„ vexerint, qualem defendere contendant. Veſtra ni-
„ hil intereſt Chriſti menſam nefandis illis piaculis pol-
„ lui, dum baſilicæ veſtræ hominum turbâ refertæ ſint.
„ Ergo agite, & eos, qui vobis audent obluctari, hære-
„ ſeos poſtulate; & quidem adverſùs Euchariſtiam:
„ prorſus ita vobis faciendum eſt.

„ Sed quomodò, cùm illi fidem ſuam tot illuſtribus
„ Monimentis teſtatam reliquerint? Ecquid, nullus eſt
„ vobis pudor, aut metus, ne quatuor illa ingentia,
„ ut dicitis, argumenta proferam, quibus ſolis accu-
„ ſatio veſtra nititur? Frontem perdidiſtis, Patres, ſi
„ nullus eſt. Sed non eſt cur vobis hoc remittam de-
„ decus.

„ Primum ergo videamus: *Abbas S. Cygirani,* in-
„ quit Meinierus, cùm de morte matris quemdam a-
„ micorum ſolaretur, t. 1. epiſt. 14. *nullum,* inquit,
„ *in illo luctu Deo acceptius ſacrificium offerri poteſt,*
„ *quàm Chriſtiana patientia. Ergo hic autor Calvini-*
„ *ſta.*

„ *ſta eſt*, *quia eo ipſo non credere ſe teſtatur ſacrificium* „ *Miſſæ*: *hoc enim nullum Deo acceptius.* Arguti*ſſi*-„ mum argumentum.... Dicat ergo qui volet, argu-„ mentandi non admodum peritos eſſe Jeſuitas. Enim-„ verò ſic periti ſunt, ut, quidquid voluerint, hæreti-„ cum poſſint efficere, ipſamque adeò Scripturam ſa-„ cram. An dubiam enim hæreſim protulit Eccleſia-„ ſticus, cùm ait: *Nihil eſt iniquius, quàm amare pe-*„ *cuniam*, quaſi non multò plus iniquitatis habeant „ adulteria, ſtupra, homicidia, idololatria? Eccui au-„ tem non accidit ſingulis horis, ut iſtiuſmodi aliquid „ dicat, v. g. Nihil eſſe Deo gratius, quàm cordis „ contriti & humiliati ſacrificium. Non enim in iſtis „ ſermonibus Miſſæ ſacrificium cum animi actibus com-„ paratur, cùm alterius planè ſit ordinis, & à rebus „ creatis immenſùm diſtet; ſed tantùm inter ipſos ani-„ mi actus alii aliis anteferuntur.

„ Quid igitur vobis abſurdius, Patres? An etiam, „ ad cumulandam ignominiam veſtram, iſtius epiſto-„ læ voces afferendæ ſunt, in quibus cæteris omnibus „ altaris ſacrificium longè præſtantius aſſeritur? *Omni-*„ *bus*, inquit ille, *diebus*, *omnibus locis offertur cor-*„ *poris Chriſti ſacrificium*, *qui nullam hac oblatione ho-*„ *norandi Patris ſui excellentiorem viam invenit.* Et in-„ frà: *Juſſit Chriſtus ut morientes ſacrificatum ejus cor-*„ *pus ſumeremus*, *quo noſtri corporis ſacrificium Deo ſit* „ *acceptum*, *ut ipſe morientibus conjunctus roboret infir-*„ *mitatem*, *ac præſentia ſua extremum vitæ noſtræ ſacri-*„ *ficium ſanctificet*.

Et poſt reliqua objecta pari robore contrita, ſic Paſcalis concludit: „ Deponite ergo, Patres, illam Ma-„ giſtrorum autoritatem, quæ nec veſtro gradui, „ nec eruditioni convenit. Et infrà: Sed quid juvat „ calumnias veſtras oppoſita fidei ipſorum integritate „ revincere? Non enim hos ipſis errores ideo af-„ fingitis, quòd ſic illos ſentire, ſed quòd ipſos vobis „ obeſſe exiſtimetis. Hoc Theologiæ veſtræ ſatis eſt, „ ut hæc in ipſos crimina ſine crimine jaciatis. Nec „ ulla vos Religio moratur, quin nulla prævia confeſ-

 „ ſione,

„ ſione, nullâ pœnitentiâ ad ſacrificandum accedatis,
„ poſtquàm in ſacerdotes quotidie ſacrificantes infan-
„ dam illam contuliſtis calumniam, *mera idololatria*
„ *loco Miſſa ſacrificium ab ipſis haberi*; quod tam abo-
„ minandum foret, ut poſtulatu veſtro Socius veſter
„ Jarrigius in tabula ſuſpenſus ſit, quòd cum Geneva
„ ſentiens Miſſæ ſacrificium celebraſſet.

„ Non ergo illud miror, tam ſine ullo conſcientiæ
„ morſu horrenda vos ac falſa crimina adverſariis ve-
„ ſtris intendere: illud miror tam ſine prudentia vos
„ ſic carentia veriſimilitudine crimina confingere.
„ Summa enim in peccata vobis poteſtas eſt. Sed num
„ idem vobis juris eſſe cenſetis in hominum fidem?
„ Equidem, Patres, agi vobiſcum peſſimè rerer, ſi
„ vel in vos, vel in illos Calviniſmi eſſet conferenda
„ ſuſpicio. Illorum enim non minus quàm veſtra o-
„ ratio catholica eſt: ſed vos inſtitutis veſtris fidem ne-
„ gatis, illi ſuis comprobant. Nam ſi vobis, itidem
„ ut illis, perſuaſum eſt, in Chriſti corpus panem ve-
„ rè mutari, cur non etiam cum ipſis poſtulatis, ut
„ eorum, quos ad illud epulum admovetis, cor lapi-
„ deum, & peccati duratum frigore, in cor carneum
„ & amoris flamma mollitum commutetur? Si Chri-
„ ſtum in hoc ſacramento mortis formam induere vo-
„ luiſſe creditis, ut qui ad illud accedunt, mundo,
„ peccato, ac demùm ſibi mori condiſcant; cur ad
„ hanc menſam illos mittitis, in quibus adhuc vitia
„ vigent, adhuc ſcelerum cupiditates flagrant? Cur
„ illos Angelorum pane dignamini, qui hominum ci-
„ bis indigni ſunt?

„ O magnos diviniſſimi Myſterii veneratores, quo-
„ rum zelus illos inſectatur, qui Chriſti corpus tot
„ ſanctis communionibus honorant, illis adulatur, qui
„ tot illud contrà ſacrilegiis dedecorant! Quàm di-
„ gnum eſt iſtis adorandi ſacrificii defenſoribus invete-
„ ratos peccatores, è flagitiorum ſuorum cœno pro-
„ deuntes, Chriſti menſæ circumfundere; atque in
„ eorum medio locare miſerum Sacerdotem, quem
„ Confeſſarius ab impudicitiæ ſordibus ſine mora ad

„ altare

„ altare propellat, ut, Chriſti vice, ſanctitatis Deo „ immaculatam offerat hoſtiam, quam in polluta aſtan- „ tium ora pollutis ipſe manibus inferat! Quàm dece- „ bat illos iſtius inſtituti per totum orbem, ſub ſui „ Generalis auſpiciis, propagatores, Arnaldo, Frequen- „ tis Communionis Authori, ac dicatis diviniſſimo ſa- „ cramento virginibus, perverſum de hoc ſacramento „ ſenſum objicere!

„ Nec tamen in hoc ſaltem malevolentia veſtra con- „ quieſcit; non ſat habet, niſi etiam Chriſtum ac Bapti- „ ſmum ejuraſſe credantur. Non hic vobis, Patres, fabu- „ las narro veſtris conſimiles: hic, hic, calumniarum ve- „ ſtrarum cumulus: hoc veſtri furoris extremum eſt. „ Omnino tam horrendum mendacium ſuſtinere di- „ gnus non erat ille Fillellus, qui primus illud de con- „ ſilio veſtro peperit. Ergo hujus authoritatem in ſe- „ recepit Societas, propalamque modo veſter Meinie- „ rus, quaſi *rem exploratiſſimam*, prædicavit, S. Cygi- „ rani Abbate, & Ipreſi Epiſcopo ducibus, arcanam „ in Portu-regio coitionem factam *ad evertendum In-* „ *carnationis myſterium, abrogandam Evangelii, tan-* „ *quam apocrypha fabulæ, fidem; delendam Chriſti Reli-* „ *gionem, & ſuper ejus ruinis deiſtarum impietatem ex-* „ *truendam.*

„ Quid reſtat ampliùs, Patres, ſatin hoc vobis; ſi tanta „ ſcelera in inviſos illos vobis ſacerdotes omnium o- „ pinione conferantur? Si non modò propter illam „ cum Geneva conſenſionem (cujus à vobis arguun- „ tur) omnibus ſint Catholicis horrori; ſed propter „ illam in Chriſtum conjurationem, omnibus Chriſti „ cultoribus execrationi ſint? Itane hoc vobis tantùm „ affirmantibus, non modò ſine ulla veri ſpecie, ſed „ cum certiſſimis falſitatis argumentis, creditum iri „ putaſtis, ſacerdotes, qui nihil aliud niſi Chriſti gra- „ tiam, Evangelii ſanctitatem, baptiſmi vota in ore „ habent, nihilominus Chriſto, Evangelio, baptiſmo „ renuntiaſſe?

„ O ſtultos, ſi hæc hominibus perſuaderi poſſe ſpe- „ ratis! O ſceleſtos, ſive iſta vobis perſuaſiſtis, ſive,

 „ quod

„ quod verius reor, aliis, quæ falſa noſtis, tamen per-
„ ſuadere conemini! Quid vobis perditiùs heri poteſt,
„ quibus aut probandum abdicatam à Portu-regio
„ Chriſti fidem, aut projectorum calumniatorum fa-
„ ma ſuſcipienda? Ergo narrationis veſtræ, Patres,
„ fidem adſtruite". Cùm ad eam adſtruendam nihil ipſis occurreret, niſi Burgifontana ſeu diabolica potiùs Fillelli fabula, eam validè Paſcalis refellit, ac funditùs ſubvertit Moralis Practica Jeſuit. to. 8. à pag. 306. ad 466. Nec tamen à calumniando ſapientiſſimo Doctore Arnaldo Jeſuitæ (de calumnia toties convicti) defie-runt; quin ex ipſis unus 18. Decembris 1695. ad Poëtam quemdam ſcribens auſus fuit blaterare, *Arnaldum damnatis ab Eccleſia erroribus ad ultimum uſque ſpiritum obſtinatè adhæſiſſe*; *Sorbonam, reprobatâ ejus doctrinâ, eundem à ſocietate ſuâ eliminaſſe*; *ipſam ejus doctrinam ab Eccleſia non ut falſam modò damnatam eſſe, ſed etiam ut infectam hæreſi: qua non omni ex parte immunis eſt liber De perpetuitate fidei.* „ Audax facinus!
„ (inquit doctiſſimus Author præfationis ad Cauſam
„ Arnaldinam) Librum viginti ſeptem Archiepiſco-
„ porum, aut Epiſcoporum, quos inter Cardinalitia
„ dignitate tres eminent, & totidem ferè Sorbonico-
„ rum Doctorum approbationibus munitum, hæreſis
„ non vacuum, in omnium Epiſcoporum oculis audet
„ effrons Jeſuita pronuntiare! Sed benè eſt: inde diſ-
„ cimus, quo pede Arnaldinam hæreſim metiri opor-
„ teat, cùm Arnaldi liber aliquis ab ejuſmodi homini-
„ bus hæreſi infartus proclamabitur. Si quis omni eru-
„ ditione refertus, omnium approbatione dignus; ſi
„ quis doctiſſimorum Virorum (Epiſcoporum præſer-
„ tim) judicio, talis fuerit, ut & Eccleſiæ utilitates
„ maximas, & Arnaldo ipſi exiſtimationem ſingularem
„ conciliare poſſit, is apud infrunitos & iniquos æſti-
„ matores iſtos hæreſim ſapit, nec erroris labe purus,
„ etiamſi (inquam) triginta Epiſcoporum judicio ſit
„ catholicæ fidei aſſerendæ, debellandis Eccleſiæ ho-
„ ſtibus, unitati corporis dominici reſarciendæ impri-
„ mis idoneus.

Quod

Quod autem Jeſuita ille addit, Arnaldi *doctrinam ab Eccleſia non ut falſam modò damnatam eſſe, ſed etiam ut infectam hæreſi*; certa eſt calumnia. Ubi enim, & quando ab Eccleſia id factum? Arnaldum ab Eccleſia ſemper habitum ut verè catholicum, ex dicendis apparebit.

Anno quidem 1656. Sorbonæ pars, id eſt infenſiſſimi inimici ejus, efferato in ipſum odio notoriè flagrantes, atque in Sorbonâ dominantes, magnamque Sorbonæ partem poſt ſe trahentes, Jeſuitarum conſilio & impulſu, unam ipſius propoſitionem (quæ ſyllabatim ipſiſſima erat propoſitio S. Chryſoſtomi, S. Auguſtini, & aliorum paſſim SS. Doctorum) hæreſeos cenſurâ notarunt, ipſum ex Doctorum Sorbonicorum albo eliminarunt; verùm artibus adeò malis, atque adeò perſpicuè contra omnes æquitatis & humanitatis leges, & contra ipſius naturæ ſenſum, ut cenſura illa Sorbonæ tribui non poſſit, ſed odio & furori inimicorum Arnaldi; nulloque proindè in pretio habenda ſit. Tametſi enim magno in pretio habendæ ſint Sorbonicæ cenſuræ, ſecundùm juris præſcriptum & æquitatis leges concorditer factæ, prout Sorbona ipſa anno 1387. declaravit in ſuo adverſùs Joannem Monteſonum Libello, dicens, *doctrinalem determinationem, per totam Facultatem concorditer factam, debere multùm æſtimari.* Sic profectò facta non fuit cenſura illa anni 1656. ſed obnitentibus & contradicentibus ferè octoginta doctoribus; adeoque pluſquam tertiâ Sorbonæ parte, cumque multis vitiis ac defectibus juſtitiæ repugnantibus, prout demonſtrant Joannes Launoius in notis ad illam cenſuram, & Arnaldus ipſe in ſuo adverſùs cenſuram nondum promulgatam Libello Conteſtatorio, nec non in Diſſertatione ſua theologica de gratia efficaci, & in tribus epiſtolis apologeticis ad quemdam Epiſcopum.

Vel ex eo ſolùm quòd concorditer facta non ſit, ſed tertiâ, imo pluſquam tertiâ Doctorum parte contradicente, Launoius ſic diſſerit: *In negotio hujus cenſuræ id factum eſt, quod exemplo apud Facultatem omni caret. Nuſquam enim eſt auditum, nuſquam viſum,*

editam fuiſſe Cenſuram, dum Magiſtrorum pars tertia repugnaret.... Hanc cenſendi novitatem expoſuiſſe, profligaſſe eſt.

Nec tamen iſtâ ſolâ de cauſâ, ſed & maximè ob ſublatam cenſoribus libertatem, ſubverſaſque omnes legitimorum judiciorum leges, cenſura illa accenſenda eſt illis articulis, de quibus (apud Picum Mirandulanum in Apolog. concluſ. 3.) *dicit ſolemnis* Doctor Gotfredus de fontibus, quòd *magna indigent correctione. Ægidius* quoque, *& alii multi, quòd de illis non eſt curandum; quia fuerunt facti* non ſervatis ad legitimum judicium ſervandis, v. g. *Non convocatis*, ſeu quod perinde eſt, non conſentientibus *omnibus Doctoribus*, imò pluſquam tertia eorum parte ob manifeſtam cenſuræ injuſtitiam reclamante, *ad requiſitionem quorumdam capitoſorum*, & non ſolùm *capitoſorum*, ſed & capitalium Arnaldi inimicorum, ab ipſo, ante cenſuram, legitimè recuſatorum, quos proindè oportebat, ſecundùm Canones ac leges, à judicando deſiſtere, ſi qua in ipſis æquitas fuiſſet & honeſtas, ſed non ſolum non deſtiterunt à judicio in doctrinam, ſed nec in perſonam. Quod tam iniquum viſum eſt pleriſque Doctoribus, ut palam conqueſti fuerint, „ apertè patere quæri Arnaldi perniciem; Arnaldum, tanquam victimam, tradi odio & „ ultioni Authorum ac fautorum Moliniſmi; qui duodecim abhinc annis, poſt editum *De frequenti Euchariſtiæ uſu* librum, cædem ipſius popoſcerunt; quæſitam ipſi invidiam apud Eccleſiæ & Regni Principes; „ ratum conſtitutumque eſſe, ipſum infamiâ aſpergere, ipſum perſequi, ipſum opprimere. Hoc unum „ ſibi eſſe integrum, ut manus ſuas ſervarent puras ab „ hoc ſcelere, nullâ cum aliis factâ coitione ad Fratris „ exitium: verùm defleri à ſe vim Arnaldo factam, & „ illatum toti Eccleſiæ ſcandalum, quæ non poterant „ cohibere. Et quoniam Arnaldi innocentiam ſua ſententia rationibuſque defenderant; & miſericordiâ & „ lachrymis caſum ipſius, qualiſcumque futurus eſſet, „ proſecuturos.

Legat, legat quilibet ſincerus veritatis amator tres illas

illas Apologeticas ad Epiſcopum epiſtolas, & non poterit non concludere, illam contra Arnaldum cenſuram cenſurâ dignam eſſe, nec unquam editam in Sorbona cenſuram adeò irregularem, tamque iniquis artibus, fraudibus & violentis factionibus emanatam. Propoſitio namque, quam blaſphemiæ & hæreſeos cenſura notarunt, iſta fuit: *A SS. Patribus exhiberi nobis in B. Petri perſona juſtum aliquem, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus* (potentia ſcilicet complectente neceſſaria omnia ad agere) *in ea occaſione defuit, in qua illum minimè peccaſſe nemo dixerit.* Id à ſeipſo Arnaldus non dixit, ſed ex Auguſtino & Chryſoſtomo, cujus verba protulit; nec Cenſores criminati ſunt infideliter protuliſſe, vel ipſum à ſenſu SS. Patrum vel minimum receſſiſſe: quod ſanè pro efferato in ipſum odio feciſſent, ſi omnino potuiſſent. Nedum igitur ſanctorum illorum, ſed & omnium (nec enim vel unus proferri poteſt in contrarium) per conſequens Eccleſiæ doctrinam, blaſphemam & hæreticam auſi ſunt pronuntiare. Quidnam afferri poſſit, quo factum tam pravi exempli, maximiſque Eccleſiæ luminibus tam contumelioſi defendatur?

Non ergo mirum, quòd ad cenſuræ contemptum coire viſi ſunt (laudatorum Doctorum exemplo) omnium Ordinum homines, iique (prout ſuprà commemoratus Author præfationis in cauſam Arnaldinam obſervat) præcipui ac majoris dignitatis. Nam (inquit) „ de Pace Gallicanæ Eccleſiæ reddita nutu Pontificis „ Clementis IX. Regiſque auſpiciis & ſapientiâ, qui- „ cumque nonnihil audierunt, non ignorant, quàm „ benignè, quanta humanitate, quantis officiorum „ ſignificationibus ab omnibus exceptus ſit vir Magnus, „ poſt quatuor & viginti annorum ſeceſſum, tum pri- „ mùm velut luci redditus; Nuntius Apoſtolicus, Gal- „ licani Epiſcopi, Rex Maximus, Primores quique, „ tum Aulæ, tum Senatus, tum denique Academiæ „ Viri, quanti eum facerent, cum quantæ lætitiæ ſen- „ ſu ejus tandem conſpectu fruerentur, publicè teſtati ſunt. Tunc verò de Pariſienſi Cenſura quid factum?

„ Ne verbum quidem. Et tamen ſi impietatis, ſi
„ blaſphemiæ, ſi hæreſeos reus erat Arnaldus, ut Cen-
„ ſores pronuntiant, nihil priùs ab illo exigendum
„ fuit, quàm ut hæreſim ejuraret, & ſubſcriberet
„ Cenſuræ. At ne ulli quidem venit id in mentem.
„ An ſomno intempeſtivo ſopitus tenebatur Pontificius
„ Miniſter? An cauſæ fidei cura nulla erat Epiſcopis,
„ qui pacis negotium promoverant, quos inter Emi-
„ nentiſſimus Eſtræus, & Illuſtriſſimus Harlæus, tunc
„ Rothomagenſis, poſtea Pariſienſis Archiepiſcopus?
„ Fortè exciderat illis quidnam præſcribant Eccleſiæ le-
„ ges circa ſuſpectæ fidei homines; imò publico primæ
„ Facultatis Theologicæ judicio erroris damnatos?

„ Accedit quòd illi præſules pacis ſequeſtri, & Pere-
„ fixius Pariſienſis Archiepiſcopus, omnes, uno exce-
„ pto, inter Facultatis Pariſienſis Theologos numera-
„ bantur, ac proindè Cenſuræ neſcii eſſe non pote-
„ rant: & tamen altum apud omnes de Cenſura ſilen-
„ tium, nihilque prorſus negotii Arnaldo circa illam
„ faceſſerunt. Qua agendi ratione Orbi univerſo pa-
„ lam & apertè teſtati ſunt, nullo apud ſe in pretio
„ infauſtum illud fuiſſe judicium, quod ſubſidente con-
„ tentionum æſtu contemptui eſſe cœperat, nec effice-
„ re potuerat, ut eximii illius Doctoris fides in dubium
„ vocaretur, quamdiu Aulicus favor Cenſorum con-
„ ſiliis non afflabat.....

„ Quid verò Perefixius, ejus Civitatis, in qua con-
„ dita eſt Cenſura, Archiepiſcopus, imò & inter Cen-
„ ſuræ fautores non poſtremus, quid (inquam) de
„ illa cum Arnaldo in eo reſarcitæ pacis negotio? Pror-
„ ſus nihil... Arnaldum peramanter habuit, omnium-
„ que eccleſiaſticorum muniorum liberè exercendorum
„ plenam eidem impertiit facultatem. Nec aliter cum
„ eodem Doctore Harlæus Perefixii ſucceſſor ſe geſſit,
„ ita ut per undecim ferè annos imprimis catholicus,
„ nihil obſtante Cenſura, habitus ſit: niſi contende-
„ rint adverſarii, potuiſſe utrumque Archiepiſcopum,
„ ſalvâ conſcientiâ, Presbytero non catholicè ſentien-
„ ti, imò viro *peſtilentis doctrinæ*, & ea *lue infecto*,

„ qua

„ *quæ jam multorum animos occupaverat*, ſi Cenſori-
„ bus & Jeſuitis fides, impunè ſacrorum omnium po-
„ teſtatem facere.

„ Quod verò catholicus Theologus, omnibuſque
„ catholicis " (præterquam Jeſuitis, & Jeſuitarum devotis) „ omnibus quoque Catholicæ Eccleſiæ Præſuli-
„ bus acceptiſſimus, à Facultatis theologicæ gremio
„ velut acatholicus, avulſus remanſerit, hoc verò eſt
„ quod portento ſimillimum mihi videtur, quodque
„ poſteris argumentum futurum eſt rei prorſus ſingu-
„ laris, quæ fidem vix habitura ſit. Et illa quidem
„ magnum malitiæ ac potentiæ Jeſuiticæ in Aula argu-
„ mentum fuit " (hoc eſt namque quod per viros magnæ in Aula autoritatis, ſpe dignitatum nonnullarum ineſcatos & in conſilii ſui conſortium adſcitos, P. Annatus, ægerrimè ferens totum pacis negotium, ipſo inſcio & invito perfectum, tanta dexteritate ſategit, ut fine optato potitus fuerit) „ ſed non minùs certum in-
„ nocentiæ Arnaldi indicium, probatio contemptus, in
„ quem abierat Cenſura. Cujus quidem obtentu mul-
„ ta per vim & imperium perpetrabantur à potentibus;
„ ſed cujus nullus reſpectus erat apud Judices, à qui-
„ bus, ſecundùm juris præſcripta agentibus, nihil ſpe-
„ rare ſe poſſe arbitrati ſunt adverſarii; ne id quidem,
„ quod ultro ſequitur ex legitima ſententia theologica,
„ quæ dogma aliquod ut hæreticum, impium & blaſphe-
„ mum feriat, ut delatâ ad Epiſcopale tribunal ejus
„ cauſâ, cujus doctrina proſcripta eſt, ſi huic uſque
„ inhæſerit, aut eam abdicare noluerit, omnium ſa-
„ crorum exors judicetur, & ab Eccleſia extorris
„ fiat.

Verùm Arnaldinam illam cauſam ad Epiſcopale tribunal non ſolùm deferre auſi non fuerunt adverſarii, ſibi malè conſcii, ſed nec impedire potuerunt, ne paulò pòſt, „ occaſione inſignis Operis, *De perpetuita-*
„ *te fidei catholicæ circa ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacra-*
„ *mentum*, quod ſibi ab Arnaldo dedicari permiſit ſum-
„ mus Pontifex, tam ab ipſo Pontifice ſummo, quàm
„ à Gallicanis Epiſcopis, & Pariſienſibus, non opus ſo-
„ lum

„ lummodo, ſed & ipſius Author miris laudibus ex-
„ tolleretur, ſicque utique Cenſura tacitè vapularet, &
„ flocci fieret. Neque enim ſummus Pontifex tam
„ publicum munus ab hæretica vel ſuſpecta manu ſibi
„ deferri permiſiſſet, nec ſibi acceptiſſimum fuiſſe
„ Authori, per Nuntium Apoſtolicum, non ſine lau-
„ de plurima, ſignificari juſſiſſet. Nec Gallicani Præſu-
„ les viginti ſeptem, & viginti inferioris ſubſellii Do-
„ ctores, tam ſplendida elogia in hominem à celeberri-
„ ma totius Orbis Facultate theologica, impietatis,
„ blaſphemiæ & hæreſeos damnatum effudiſſent, niſi
„ futilem, iniquam & falsò Facultati adſcriptam eſſe
„ Cenſuram ſibi perſuaſiſſent. Porro inter Præſules
„ illos duodecim erant inter Doctores Pariſienſis Fa-
„ cultatis theologicæ, tres verò fuerunt Eminentiſſi-
„ mi S. R. E. Cardinales, Eſtræus, Camuſius & Jan-
„ ſonius.

Eos inter Archiepiſcopus Senonenſis, magnus ille Gondrinus, in ſua præfati operis approbatione, fidem facit, Arnaldum in eo *ſummam gloriam poſuiſſe, unam*
„ *ut ſequeretur ac defenderet veritatem; ſingulare eccle-*
„ *ſiaſtica unitatis ſtudium in eo ſemper emicuiſſe, eum-*
„ *que ſanctiſſima huic Chriſti Domini Sponſa arctiſſimo &*
„ *inviolabili amoris vinculo nunquam non adhæſiſſe.*

„ Remenſium Illuſtriſſimus Archiepiſcopus & Dux,
„ Carolus Mauritius le Tellier, non minùs doctrinâ,
„ quàm autoritate præfulgens, Sorbonæ Doctor ac
„ Proviſor, Claudium Calvinianæ Sectæ Miniſtrum
„ ſugillat, quòd *Arnaldum catholiciſſimum Theologum*
„ *velut apud Catholicos ſuſpectum traducere voluiſſet.*
„ Tutellenſium Epiſcopus eundem irridet, quòd ſcri-
„ pſerit, *Arnaldum ab Eccleſia Romana pro ſuo non a-*
„ *gnoſci.* Epiſcopi Convenenſis, Conſeranenſis & Ri-
„ vienſis, ſpreto Cenſorum iniquorum judicio, Arnal-
„ dum *Doctorem ac ſocium Sorbonicum* appellant.

Agathenſis præſul Arnaldum ſanctorum Doctorum numero accenſet. Godellus Vencienſis Epiſcopus dicere non dubitat, quòd Arnaldum *Chriſtus Dominus* Eccleſiæ ſuæ dederit... *ſtrenuum veritatis Defenſorem*, .. *cæ-*

leſtis

leſtis doctrinæ luce perfuſum ſpiritus ſui ardore ſuccenſum..... omnibus donis abundè inſtructum, ut ſplendidam de inimicis eccleſiæ victoriam reportaret.

„ Non eſt hujus loci per omnes ire laudes, quas alii aliis verbis Epiſcopi, quaſque Sorbonici Doctores quatuor & viginti in Arnaldum certatim conferunt... Unum eſt quod præterire nec velim, nec debeam. Selectorum illorum è Facultate Pariſienſi Doctorum agmen jure merito ducit illius Decanus Fraxineus Mincæus (du Freſne de Minçé) vir pietate, doctrina & gravitate conſpicuus. Is in illis viginti & quatuor Sociis ſuis integræ ac liberæ Facultati quaſi præſidens, non octoginta ferè, ut olim, refragantibus, ſed ne uno quidem diſſentiente, videtur illatam Arnaldo reſarciſſe injuriam, eumque omnium nomine in priſtinum Theologici Magiſterii gradum reſtituiſſe, cùm illum excellentem Doctorem nuncupavit, cæteris ſuo ſilentio annuentibus, ac probroſæ Cenſuræ dedecus tacitè eluentibus.....

„ E Gallia Romam pedem referamus, ut ſummos Pontifices, qui Clementi IX. ſucceſſerunt, Gallicanis Præſulibus ac Theologis in laudando Arnaldo ſuccinentes audiamus. Non pauca ſuppetunt, nec incertæ fidei, documenta, quæ teſtatam faciunt ſummam Clementis X. adverſus Arnaldum benignitatem, & perhonorificam de doctrinâ ejus opinionem. Non tanti ſua faciebat vir modeſtiſſimus, ut libros à ſe editos Pontificiis aſpectibus paſſim dignandos ſponte præſumeret..... Sed nonnullis per Alterium Cardinalem Patronum communicatis, ita eorum lectione delectatus eſt Pontifex, ut eos impenſè laudaverit apud Eccleſiaſticum Virum, D. Leſcotium, cujus litteræ ſervantur, qui illorum Operum exemplaria eidem Cardinali, aliiſque nonnullis offerenda Pariſiis detulerat. Addidit Pontifex, rem ſibi gratiſſimam facturum Arnaldum, ſi eorumdem exemplar ad ſe mittendum, vel potiùs ſuo in Gallia Nuntio tradendum curaret. Cardinalis verò Patronus à laudibus Authoris temperare ſibi non poterat, quas

„ vige-

„ vigeſies hoc elogio claudentem audivit vir ille ſinceriſſimus : *De Eccleſia optimè meritus eſt Arnaldus. Optandum eſſet , ut talem ac tantum virum mors illi nunquam ereptura fuiſſet.*

„ Innocentius XI. quanti faceret Arnaldum , quâ eum benevolentiâ proſequeretur , fruſtrà dixerim, cùm publica id eloquantur & fama & teſtimonia. Omnium manibus verſantur litteræ Eminentiſſimi Cardinalis Cibo, ſacri nunc Collegii Decani, quibus Sanctitatis ſuæ nomine in ejus laudes excurrit : *Paterna charitatis*, inquit, *qua te Sanctitas ſua, virtutemque tuam amplectitur, uberes ſignificationes tibi præſtabunt non prætermittendi oportunitates ornandi tui, cujus interim pignus , & ad preces quas polliceris, & quibus Sanctitas ſua plurimùm confidit, incitamentum, accipies benedictionem Apoſtolicam* &c. Ex aliis Viri Illuſtriſſimi (Favoriti) qui ipſi à Secretis erat literis, abundè ſignificatum habemus , *quo erga calamitatem ejus ſenſu paterna Sanctitatis ſua viſcera afficiebantur. Ferreus planè ſit , qui tenere lachrymas poſſit, intuens , ex una parte eximiam eloquentiam, eruditionem, pietatem tuam , de Catholica religione tam præclarè meritas ; ex altera verò , miſerum , in quo verſaris, fortuna ſtatum, & conſlatam malevolorum calumniis tempeſtatem, quâ huc illuc, divulſus à Patria & carorum amplexu, jactaris , affecta jam ætate & valetudine ; cùm maximè deceret te in domeſtico otio honoribus quibuſque florentem , vita per ſummam virtutem acta , & diuturni glorioſique laboris fructum uberrimum capere. . . . . Quamquàm, ſi verum fateri volumus, & non ex vulgi, ſed ex ſapientium virorum placitis de hujuſmodi caſibus judicare, invidiâ potiùs quàm commiſeratione dignus videaris : cùm perſecutio ipſa præclaram nomini tuo laudem afferat , animo verò ſolatium afferre debeat ſingulare,* declarans eſſe te in eorum numero , qui volunt piè vivere in Chriſto Jeſu. *Legi ſanctiſſimo D. N. literas tuas , quarum ſententia cum plurium aliorum præſtantium virorum ſenſu , qui ad Sanctitatem ſuam*

de

„ *de eodem argumento ſcripſere, planè conſentit, in eo*
„ *diſcrepans, quòd elegantiùs omnia, & nervoſiùs, &*
„ *majore quodam ſpiritu fundis.....*

„ De Arnaldo in purpuratorum Procerum Ordinem „ adlegendo, aliquando Sanctitatem ſuam cogitaſſe, „ etſi certum eſt, & pluribus notum, nollem tamen „ hic commemorare, niſi Eminentiſſimus Cardinalis, „ intimorum Romanæ Aulæ conſiliorum teſtis locu- „ ples, id nuper Pariſiis evulgaſſet, aſſeruiſſetque per „ unum Arnaldum ſtetiſſe, quo minùs is eminentiſſima „ illa dignitate ornaretur. De iſto Innocentii Pontifi- „ catu verba facere non priùs deſinam, quàm obſerva- „ tum à me fuerit, id quod propiùs Cenſuram atti- „ net, in illis Romanorum Procerum ac Miniſtrorum „ Litteris Arnaldum nunquam non *Illuſtriſſimum Vi-* „ *rum*, ac etiam *Perilluſtrem Doctorem Sorbonicum* „ inſcribi.

„ Innocentium excipit Alexander VIII. qui quam „ de Arnaldo opinionem, affectumque ſingularem in „ inferiori gradu poſitus induerat, in ſummo Pontifi- „ catus apice non exuit. Nonnullam enim ei gratiam „ conceſſit is Pontifex, plures largiturus, ſi diutur- „ nior Pontificatus fuiſſet, & opportunas occaſiones „ præbuiſſet Arnaldus. Extant literæ ante Pontifica- „ tum propria manu ad ipſum Italicè ſcriptæ 13. De- „ cembris anni 1679. (cùm jam à ſex menſibus Galliâ „ exceſſiſſet Doctor noſter) in quibus quo illum af- „ fectu proſequeretur Eminentiſſimus Cardinalis ſigni- „ ficat. Acceptis enim ab eo libris *De perpetuitate fi-* „ *dei Euchariſtica*, hæc ad illum poſt pauca Eminen- „ tiſſimus: *Quas poſſum maximas humanitati tua gra-* „ *tias refero, enixè rogans ut in eo* De perpetuitate *libro* „ *memoris in me animi perpetuitatem conſpicias, con-* „ *ſtamſque tibi in omni occaſione gratificandi ſtudium,* „ *quod nunquam exuturus ſum. Quas pateris mole-* „ *ſtias moleſtiſſimè ego fero: certus tamen non modicum* „ *te ſolatium ex virtute & pietate tua ſumpturum. Si* „ *præterea ad Romanam Apoſtolicamque Sedem in quo-* „ *cumque caſu recurreris, ſemper in me ſinceram &*

„ *con-*

„ *conſtantem te beneficiis afficiendi voluntatem invenies.*
„ *Experire, quæſo te, & cura ut frequentes ad id occa-*
„ *ſiones mihi ſubminiſtres.*

„ Hæc omnia exploratum faciunt, nullam omnino
„ Cenſuræ rationem Romæ eſſe habitam, ſive à Pon-
„ tificibus, ſive ab Apoſtolicæ Sedis Miniſtris: quibus
„ etiam confirmatur quod ab Eminentiſſimo Cardinali
„ Franciſco Barberino, ſacri olim Collegii Decano, &
„ ab ipſo Alexandro VII. PP. audivit Clariſſimus Ab-
„ bas Brunetti, cenſuram illam ab Apoſtolica Sede
„ nunquam fore approbandam.

„ Sed & ipſis Pariſienſibus ac Sorbonicis Doctori-
„ bus, quantum jam illa ſordeat..... etſi plerique a-
„ pertè ſignificare non auſint, propter metum Aulæ,
„ & incommoda ab adverſariis Arnaldi imminentia,
„ erumpunt tamen interdum, pro data occaſione,
„ communis indignationis & contemptus indicia.....
„ In nuperis Comitiis, pro cauſa Abbatiſſæ Agredanæ
„ habitis, quàm præclaris laudibus Arnaldum palam,
„ & publicè ornaverint plerique ex inſignioribus illis
„ Theologis, quàm moleſtè tulerint re.ricatam à non-
„ nullis infauſtæ Cenſuræ memoriam, res fuit in Aca-
„ demia Pariſienſi notiſſima..... Et tamen Cenſura
„ illa ſpuria, informis, & omnigenis ſcatens vitiis,
„ quæ irritam illam, & omni autoritate vacuam pro-
„ dunt, adhuc à pluribus jactatur, adhuc eidem, non
„ ſecùs ac ſymbolo fidei, captivas manus dant Theolo-
„ gicorum graduum Candidati: adhuc paſſim ab Ar-
„ naldi æmulis circumfertur, velut quoddam terricu-
„ lum, quo muliercularum aſſeclarumque ſuorum
„ horrorem adverſùs illum concitent..

„ Nec dubium eſt, quin ſplendidum Sorbonæ no-
„ men pleroſque decipiat in diſſitis provinciis, ac re-
„ gionibus, per quas nuda Cenſuræ exemplaria ſpar-
„ guntur, ſine ullâ earum rerum notitiâ, quæ ſi ſci-
„ rentur, neminem ſpecioſa larva falleret. Inde fa-
„ ctum.... ut in prima editione Catholicæ querimoniæ,
„ Epiſcopi Malacenſis nomine publicata.... *ſine con-*
„ *ſenſu Illuſtriſſimi Præſulis, Doctori Antonio Arnaldo ha-*
„ *reſeos*

„ reſeos notâ inurebatur, quamvis hæreticus non ſit. "
Quæ cauſa fuit, ut omnia illius editionis exemplaria ſupprimi, & igne comburi juſſerit idem Epiſcopus, teſte omni exceptione majore R. P. Salvatore de Aſcanio, qui ſcedulâ propriâ manu ſubſcriptâ ejus rei fidem facit, quódque *omnia illa exemplaria ego ipſe*, inquit, *propriis manibus igni tradidi. In cujus rei fidem ſubſcripſi.* Fr. Salvator de Ascanio.

Vel ipſi Cenſores Cenſuræ ſuæ iniquitatem vidiſſent, ſi tantiſper depoſuiſſent hoſtilem adverſus Fratrem animum, & implacabile odium: vidiſſent, inquam, magnum Arnaldum, dum Sanctorum Auguſtini & Chryſoſtomi ſententias fideliter referebat, nihil de ſuo proferens, nunquam dixiſſe (magis quàm Sanctos illos) quòd mandata aliqua juſtis abſolutè ſint impoſſibilia, nuſquam proinde tradidiſſe primam ex quinque propoſitionibus in Janſenio damnatis, ſed cum ſanctis Doctoribus iſtis, cumque reliquo Sanctorum Patrum choro, ſolùm tradidiſſe primum ex quinque articulis ab Alexandro VII. approbatis, juxta quem SS. Patres communiter ajunt, S. Petro in tentatione mortis poſito, in pœnam præſumptionis ſuæ, neglectæque orationis, ſubtractam fuiſſe gratiam efficacem, neceſſariam ad piè vincendam illam tentationem, quâ deſtitutus, illam ſuperare potuit, & non potuit; potuit abſolutè, quia nihil ipſi defuit neceſſarium ex parte potentiæ; ſed non potuit, potentia complectente gratiam neceſſariam ex parte actus: ad tentationem quippe mortis actu ſuperandam juxta Scripturam, Concilia & Patres, neceſſaria ipſi fuit gratia efficax, pro qua impetranda, de ſuis præſumens viribus, orare neglexit, quod tamen Chriſtus ipſi commendaverat. Et hoc ipſiſſimum eſt quod Tridentenum cum ſanctis docet ſeſſ. 6. de juſtis dicens, quòd Deus ipſis *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſint, & petere quod non poſſint*; apertè ſignificando, quòd licèt ipſis Deus impoſſibilia non jubeat, eſſe tamen aliqua *quæ non poſſunt*, niſi petant gratiam qua poſſint, potentia utique complectente gratiam neceſſariam ad ea actu ſer-

ſervanda. Hoc unum eſt quod Arnaldus, cum Tridentino & ſanctis Doctoribus tradit, prout ante & poſt Cenſuram demonſtravit. Hoc proinde, quod blaſphemiæ & hæreſeos Cenſura notare Cenſores non potuerunt, ſine injuria SS. Doctorum, ipſiuſque Concilii Tridentini. Cenſuram proinde ipſorum Alexander VII. meritò reprobavit, dum articulum primum ſuprà memoratum approbavit.

Ecce quot ex capitibus reprobanda eſt hoſtili furore concepta in Arnaldum Cenſura, ſicut & furioſa Jeſuitarum, toto Orbe ſparſa, multiplex in eundem calumnia. Si nec poſt fata Jeſuiticus in eum livor quieſcit, quid adhuc infelicibus auſis famam ipſius, jam invidia majorem, dehoneſtare aggreditur? Ceſſet tandem Aquilam fœdus Scarabeus inceſſere. Ceſſet ſtrenuum Eccleſiæ Pugilem obtrectatio mordax arrodere, aſſeclaſque ipſius, Auguſtinianæ, inquam, gratiæ defenſores, perſequi, doliſque & artibus malis opprimere. Quot enim non libros erroribus atque impietatibus infames, à ſemetipſis malicioſè fabricatos, mendaciter uſurpato nomine ipſorum, in vulgus non ſparſerunt, ut omnibus in execratione eſſent! Hac de re exempla plurima videri poſſunt Moral. Pract. Jeſuit. to. 8. c. 12. & 13. In libro etiam, cui titulus, *Pſeudo Arnaldus*, LE FAUX ARNAULD, Jeſuitæ demonſtrantur eſſe veri Amanni hujuſce ſæculi. Quemadmodum enim vetus Aman mendaciorum dolorumque malorum cuniculis Regi Aſſuero perſuaſit Judæorum perditionem; ſic & Jeſuitæ Regi Chriſtianiſſimo, Ludovico XIV. Theologorum Duacenſium perditionem; mendaciter namque ac doloſè ſimulantes ſeſe verum eſſe Arnaldum, litteras valdè multas, mendaciis prope infinitis plenas, ad inviſos ſibi Theologos Duacenſes nomine ipſius ſcripſerunt; quas ut viderunt ab ipſis gratanter ac peramanter recipi, velut à magno Arnaldo ſcriptas, ab ipſis ſignaturam poſtularunt cujuſdam Theſeos à ſe malignè compoſitæ, ſub terminis æquivocis, catholicum ſimul & hæreticum ſenſum admittentibus, quibus tamen Theologi illi, apprimè Catholici, non ſubſcripſerunt,

niſi

niſi cum catholica expoſitione, orthodoxiam ipſorum manifeſtam faciente. Verùm malignitati Jeſuitarum catholica diſplicuit terminorum æquivocorum expoſitio, quia Theologorum illorum ſimplicitate abutentes, ipſos maliciosè perdere volebant, velut hæreticos, formare volentes Eccleſiam novam, ſuper ruina ejus quam Chriſtus velut ſponſam ſibi elegerat; ideóque mendaciis mendacia ſuperaddentes, ſub ementitis prætextibus, ab ipſis, dolum non ſuſpicantibus, ſignaturam extorſerunt ſimplicem, cujus obtentu, ipſos apud Regem fraudulenter (ſuppreſſa nequiter catholica expoſitione illa) perdiderunt. Quod profectò crimen graviſſimum, imò diabolicum, vocat Hieronymus l. 3. adverſ. Rufin. hiſce verbis: *Venio ad graviſſimum crimen, in quo me.... infidelitatis accuſas. Fateor, inter cuncta maledicta, quæ vel objicis, vel minaris, nihil à me ita refellendum eſt, quàm fraus, dolus, infidelitas. Peccare enim hominus eſt, inſidias ſtruere, diaboli.* Et quid Tullius, licèt Ethnicus? l. 3. offic. *Omnes*, inquit, *aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malicioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe, cùm ſit tot vitiis inquinatum..... Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videat? Certè non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, non juſti, non viri boni: verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura, nonne inutile eſt vitiorum ſubire nomina?* Imò eſt vel Ethnicis ipſis pluſquam inhoneſtum & indecorum. Quantò magis Chriſtianis? Quantò magis Religioſis? Quantò magis Sacerdotibus? An non eos pudet in eo imitari Aman & homines illos, de quibus Eſther 16. *Multi bonitate principum, & honore, qui in eos collatus eſt, abuſi in ſuperbiam..... ſubjectos Regibus nituntur opprimere...... Nec contenti...... humanitatis in ſe jura violare, Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam. Et in tantum veſaniæ proruperunt, ut eos qui credita ſibi officia diligenter obſervant, & ita cuncta agunt, ut omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conantur ſubverte-*

re,

re, dum aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt. An non idem quod vetus ille Aman promerentur ſupplicium? An non fortaſſe ideo vulgatum eſt diſtichon iſtud: *Arcam Dola dedit, Sociis dedit alma ſagittam Gallia: quis funem, quem meruere, dabit?* Quale ergo & quantum crimen in iſtis per annos, imò per totam vitam, inſordeſcere, de iiſque, tanquam de opere bono, palam in libellis publico datis, gloriari, & nihilominus abſque pœnitentia & ſatisfactione ulla ſacris quotidie operari, & ſic tandem mori? An non iſtud eſt ingens indicium & terribilis obcæcationis & obdurationis, traditioniſque in reprobum ſenſum? *Opprobrium nequam in homine mendaci* (ait filius Sirach Eccli. 20.).... *potior fur, quàm aſſiduitas viri mendacis* (in perniciem proximi ſui) *perditionem autem ambo hæreditabunt.*

Infinitus eſſem, ſi omnes Jeſuitarum adverſùs innocentiſſimos quoſque fraudes, impoſturas, mendacia, calumnias hîc deſcriberem, quia infinitæ ſunt. Pro iis proinde ad memoratum tomum VIII. Moral. Pract. Jeſuit. cujus inſcriptio eſt: *Inſtructio litis, inter Jeſuitas & eorum adverſarios, ſuper materia calumniæ.* Ibi centenæ & centenæ ipſorum calumniæ, fraudes & impoſturæ referuntur, earumque falſitas & iniquitas maniſeſtè demonſtratur, ſpecialiter illius qua Jeſuitas Montenſes non puduit, Oratorii Montenſis Patres velut Neſtorianos, ſecretique ſacramentalis violatores, calumniari. Cujus calumniæ falſitatem Illuſtriſſimus de Brias Archiepiſcopus Cameracenſis poſt diſtrictum examen per ſententiam legitimam declaravit.

Incredibile eſt quantam Eccleſiæ animarumque ſaluti perniciem tanta illa Jeſuitarum calumniandi licentia inferat; quæ quia nec à Sanctiſſimo Papa, nec à Regibus & Principibus, nec à Societatis Superioribus, nec à quoquam caſtigatur, in dies magis magiſque exardeſcit; dum innocentiſſimus quiſque, præſertim in re litteraria alicujus notæ, licèt maxime idoneus ad munia Eccleſiæ, ſi ante Jeſuiticum idolum genu

non

non flectit, ſi pernicioſis ipſorum laxitatibus contradicit, Jeſuiticis calumniis oppreſſus, inauditus condemnatur, & ab Eccleſiaſticis muniis, à cathedris etiam Academicis & Seminariis removetur, longè minus idoneis ad munia iſta ſuffectis. Nec hoc tantùm, ſed & dum innumeri homines Jeſuiticis calumniis credulas aures libenter præbent, miſerè pereunt. *Ferit* enim *charitatem in omnibus qui ſe audiunt lingua maledica* (ait Mellifluus Doctor ſerm. 24. in Cant.) *& quantum in ſe eſt, necat funditùs & extinguit. Non ſolùm autem, ſed & in abſentibus univerſis, ad quos volans verbum, fortè per eos qui præſentes ſunt, pervenire contigerit, ut brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo tabe malitiæ hujus inficere poſſit.*

Incredibile etiam, quantum vel ipſi Societatis honori apud Sapientes viros eadem officiat calumniandi licentia. Nam ut ſapienter clariſſimus Paſcalis, nulla fides debetur tam frequenter calumniantibus, mentientibuſque. Dumque calumniam Jeſuitici Caſuiſtæ criminibus eximunt, detrahunt calumniis ſuis fidem. Nihil quippe apud ſapientes prodeſt mendacium, niſi cum magna candidi & veracis animi opinione conjunctum; nec proficit quicquam maledicus, niſi à maledicentia putetur alienus. Nec adverſùs iſtud æternæ veritatis fulmen, *Maledici regnum Dei non poſſidebunt*, maledicos Jeſuiticorum Caſuiſtarum temeritas defendet. Quia dum pro Tribunali ſtabit veritas, nulla hominum temeritas, ſed ſola veritas homines liberabit. Quàm verò Jeſuitis infenſa ſit veritas, certiſſimo argumento eſt, quòd non ad eam ipſi, pro defendendo Societatis honore, ſed ad mendacium confugiunt. Si veritas ab ipſis ſtaret, pro ipſis veritas pugnaret, ipſoſque pugnando defenderet, ipſis vinceret, ipſos ab inimicis omnibus, quàmlibet numeroſis, liberaret. Id enim veritas ipſa promiſit. Sed quia poſuerunt in mendacio ſpem ſuam, adverſante conſiliis ipſorum veritate, fiet illud quod Iſa. 30. veritas dicit: *Pro eo quòd ſperaſtis in calumnia & tumultu, & innixi eſtis*

 ſuper

ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo. Quoniam ſubitò, dum non ſperatur, veniet contritio ejus, & comminuetur ſicut conteritur lagena figuli, contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aqua de fovea. Et Ezech. 13. *Pro eo quod mœrere feciſtis cor juſti mendaciter, quem ego non contriſtavi, & confortaſtis manus impii* (mendaciis veſtris decipiendo eum, ne audiret ſalutaria docentem) *ut non reverteretur à via ſua mala, & viveret: Propterea vana non videbitis, & divinationes non divinabitis ampliùs; eruam populum meum de manu veſtra, & ſcietis quia ego Dominus.*

CLANGOR XVII.

Reformanda ſeu potiùs deprimenda nimia Jeſuitarum potentia.

AD tantum potentiæ faſtigium, ex obſcuris incunabulis, Romanorum Pontificum ſæculariumque Principum gratia & favore, brevi tempore Societas conſurrexit, ut & Epiſcopis, & ipſiſmet Romanis Pontificibus, & Regibus ac Principibus, & hominibus univerſis formidabilis ſit, & politicus bonus eſſe non videatur, ſi quis, non dico particularis è Clero, vel Ordine Religioſo, ſed & ex Ordine Epiſcopali, ſuper juribus ſuis, vel ſuper aliquo doctrinæ capite, quàmlibet benè fundatus, cum ipſis litigando, vel diſputando congredi audeat, eo quòd infallibilitatem quamdam, doctrinæque ſupra cæteros omnes eminentiam Socii ſibi videantur aſſecuti; ſæcularique potentia armati, ſicut & dominio in mundanorum hominum genus, parum quidem ſanum, ſed multitudine & impetu validum, nullis non vexationibus, confictiſque criminationibus & calumniis, omnes ſibi contradicentes, ſuiſque nutibus non obſequentes perſequantur. Ac licèt centies confutatæ atque evictæ fuerint ipſorum calum-

calumniæ; nihilominus (quia infinitæ multitudinis hominum ſibi devotorum ſuffragiis, quàmlibet inſanis, juvantur) quaſi in rem judicatam jam tranſiiſſent, fidem inveniunt; dum interim quidvis eis oppoſitum, quàmlibet verum, ac ſatis ſuperque probatum, vel ſolâ objectâ ab ipſis Janſeniſmi criminatione explodi- tur. Nihil proinde mirum, quòd indomitus, (quia à nulla poteſtate caſtigatus) calumniandi animus, inulta conſuetudine roboratus, nihil non audet, quando ulciſcentem poteſtatem timet; nullius proinde ultionis timore impeditur ne omnia poſſit. Ita fit, ut veritatem, & Eccleſiæ leges ac Decreta, Jeſuitis non placentia, tueri vix detur, niſi Jeſuitarum...... ſatyræ & calumniæ expectentur. Verùm ut ſapienter ſapientiſſimus pariter & ſanctiſſimus Palafoxius in ſuo ad Jeſuitarum Memoriale Reſponſo anno 1652. Regi præſentato, *Expeditne, Rex, in Eccleſia potentiam eſſe tam formidabilem, tamque in calumniando audacem? Quis enim leges Eccleſiaſticas, vel etiam divinas, defendere audebit, ſi inde jacturam paſſurus ſit honoris? Homini non forti difficile eſt tanto cum diſcrimine committere ſe prælio. Crudele eſt prælium, in quo miles confeſtim gloriam ſuam perdit, & famam bonam, non ſine laboribus magnis ordinariè partam. Quid? Ergone ſimplex veritatis expoſitio ſatyras infames Epiſcopo conciliabit? Ergone modeſta jurium Epiſcopalium defenſio extremas ipſi attrahet injurias? Ergone Epiſcopalis dignitas ſuſtineri non poterit, niſi Epiſcopus Jeſuiticis opprimatur inſultibus?* Ergone ratio, juſtitia, conſtantia Chriſtiana, Decreta Papalia, Diplomata Regia, ſufficientia non erunt ad victoriam in negotio toties deciſo ac definitivè terminato reportandam! Ergone juſtitia, à ſupremo Judice per ſententiam legitimam adjudicata, firma ſtare non poterit coram injuſtitiam! An non hoc eſt infirma & inefficacia reddere remedia Eccleſiæ univerſæ neceſſaria! Si ita eſt, injuſtitia, armata potentia, regnabit in Eccleſia, zelus verò & juſtitia opprimetur. Sic denique mala in Eccleſia augebuntur, dum remedia effectu vacua redduntur.

Hinc manifeſtò demonſtratur nimiam illam Jeſuitarum potentiam Eccleſiæ univerſæ eſſe pernicioſam, neceſſariò proinde deprimendam. Neque enim dubium eſſe poteſt, Eccleſiæ univerſæ pernicioſam eſſe Societatem, quam nimia potentia reddidit vel ipſis Epiſcopis, Epiſcoporumque Epiſcopo, Romano Pontifici, adeo formidabilem, ut abſque difficultate magna remedium efficax adferre nequeant infinitis malis, quæ in Eccleſia cauſat, non ſolùm per nimiam opinandi, & pluſquàm pagana, circa mores dogmata, tradendi licentiam, de qua Clangore ſequenti, ſed & per inultam ſuam, & à nemine caſtigatam, innoxios calumniandi pruriginem, & per tot turbas, quas in Eccleſia commovet. *Quæ enim alia Religio tantas aliis Religionibus, Clero, Epiſcopis, & ſæcularibus Poteſtatibus, & his Chriſtianis & Catholicis turbas commovit, æmulationes peperit, querelas concitavit, controverſiis litibuſque implicavit?* (Verba ſunt Illuſtriſſimi Palafoxii in epiſt. ad Innocent. X. de die 8. Januarii 1649.) *Aliquæ aliquas, tantas nulla; de pœnitentia & mortificatione cum Diſcalceatis & Obſervantibus; de choro cum Monachalibus, & Mendicantibus; de clauſura cum Cœnobitis; de doctrina cum Dominicanis; de jurisdictione cum Epiſcopis; de decimis cum Cathedralibus & Parochis; de Regnorum ſtatu & tranquillitate cum Principibus & Rebuspublicis; de opibus & contractibus, & commerciis etiam non admodum juſtis, cum ſæcularibus: tandem cum tota univerſali Eccleſia contendit. Etiam tuam Apoſtolicam Sedem, ſupra Petram quæ Chriſtus eſt fundatam, ſi non verbis, factis tamen negant, ut in præſenti negotio* (in quo Brevibus Apoſtolicis ſeſe ſubmittere detrectarunt) *clariſſimè comprobatur.* Tot denique alia vitia ingentia, in Societate dominantia (de quibus hactenus actum eſt ut reformentur) dexterâ Romani Pontificis maximè indigent; prout ſapientiſſimus ille Epiſcopus eadem in epiſtola demonſtravit, & Sanctiſſimo perſuaſit, ſed Agenti ipſius unus è primariis Sanctitatis ſuæ Miniſtris dixit, *à Sanctiſſimo quidem plurimum deſiderari Patrum iſtorum reformationem;*

aſt

aſt ob magnam ipſorum & divitiarum potentiam & apud Principes gratiam atque exiſtimationem, ingentes timeri in Eccleſia tumultus, ſi eorum reformatio ſuſciperetur. Aſt, ut benè idem Illuſtriſſimus, cùm manu hominum potentior ſit manus Omnipotentis, fieri poteſt quòd difficultatem illam dextera Romani Pontificis ſuperabit, magnumque illud obſequium, aſpirante Spiritu Sancto, Eccleſiæ præſtabit. Et utinam amodò præſtet! Dum uſque adeò quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, vel Eccleſiæ Sponſæ ipſius, ut quamvis Eccleſiaſticam authoritatem revereantur, dum rebus ipſorum adſavet, calcaneum ſuum adverſus eam levent, dum adverſatur. Digito tanget hoc cordatus lector, ſi procul habito tantiſper partium ſtudio, primùm, ut circa Epiſcopos ſe gerant, examinaverit; quomodò erga ſummos Pontifices dein viſurus. Jeſuitis nihil demiſſius erga Epiſcopos ſibi devotos; nihil inſolentius adverſus eos quos experiuntur ſuis prætenſionibus vel dogmatis adverſantes. Hac in re amœnum eſt audire Anonymum Apologiſtam R. D. Huberti Gautii S. Theologiæ in Antverpienſi Seminario Profeſſoris contra Jeſuitarum calumnias: „ Humbertum (ait ille) Mechlinienſem Archiepiſcopum, illum Societatis ocellum, quibus non opibus, „ qua non ſollicitudine; velut clientem utique tuentur? Quibus non laudibus vehunt? At hic hæret tibi aqua: vehemens, opinor, ſuſpicio incidit, an non „ hìc rem ſuam agunt. Nam quantum mutati ab illis, qui Deceſſorem ejus Alphonſum, litibus, jurgiis, vituperiis oppidò impetebant, ut propè infra „ hominum conditionem demitterent!

„ Hujus porrò Deceſſorem Andream Creuſen, ut iterum æmula Sociorum opera nuſquam deſtituit! „ At quanti hæc ei conſtiterit ambo ſcimus. Utique „ nihilo minoris, quàm ſolidâ libertate. Quid enim „ effuſas in Societatem opes hìc commemorem? Porrò ne quicquam te, quaſi alterum me, celem, in „ hanc rem accipe, quod bonus vir apud piæ memoriæ Reginaldum noſtrum, inter lachrymas & ſin-

„ gultus, de Sociis illis amarè queſtus eſt: *Habent mi-*
„ *hi*, inquiebat, *pedem ſuper cervice.* Flandriciſmo
„ hìc lubens utor, ne illis quid te fallere videar.

„ Archiepiſcopum Boonen rurſùs quàm non ſegni-
„ ter illi bellatores impugnarunt? Quas non ei tech-
„ nas, quos non laqueos tetenderunt?

„ Vel Janſenium ipſum, cùm Ipreñſem Epiſcopa-
„ tum ſuſcepit, quibus non laudibus proſecuti ſunt?
„ Tunc ab ipſis habebatur *innocuus vitæ, vir religionis*
„ *avitæ.* Verùm ex quo in ipſius Auguſtino paralle-
„ lum apparuit Jeſuitarum inter & Pelagianorum, Se-
„ mipelagianorumque, de gratia Chriſti doctrinam,
„ protinus à Jeſuitis conclamatus eſt hæreticus, cum-
„ que Calvico hæreſiarcha compoſitus, tametſi in Ec-
„ cleſiæ communione cum ſubmiſſione *Auguſtini ſui*
„ ad ipſius judicium mortuus. Quemdam tamen ex
„ illuſtri in hiſce partibus Capitulo ſenem integritate
„ vitæ (nec vulgari eruditione ſpectabilem) narran-
„ tem ſe audiviſſe teſtatur Anonymus (de quo ſuprà)
„ ut ipſe in juventute, cùm fervebat ſacer ille Jeſuita-
„ rum in Janſenium zelus, interfuerit diſputationi,
„ Jeſuitam inter & quemdam de Clero præsbyterum,
„ utque Jeſuita huc tandem adactus fuerit, ut diceret:
„ *Si Janſenius noſtrorum nomine abſtinuiſſet, poterat eum*
„ *cæteris lumen videre.*

„ Jeſuiticæ itaque gentis mos eſt contra Epiſcopos
„ ſibi non devotos ſine fine tumultuari, atque hinc
„ natum Jeſuitarum in Archiepiſcopum Sebaſtenum
„ pluſquam Vatinianum odium. Quippe ut idem A-
„ pologiſta ex fide dignis, tum lectione, tum auditio-
„ ne, ſe accepiſſe teſtatur, deſeruerant Jeſuitæ octode-
„ cim aut ampliùs Hollandicas ſtationes, ſeu parochias
„ macras. Neque enim macra arva lolium amat. In-
„ terim novam unam, eamque tertiam (duas enim
„ inibi habebant) in opulento Amſtelodamenſium em-
„ porio ab hoc Epiſcopo emendicabant. Non te la-
„ tet, ut ditiores animas ubique venentur. Id Epi-
„ ſcopus abnuit, cauſatus macris ſtationibus (quales il-
„ li deſeruiſſent) è pinguioribus ſubveniendum, ne

„ meſ-

„ meſſis neceſſariis operariis fraudaretur. Iſtud odii
„ & perſecutionis ſeminarium.

„ Quomodò Appamienſis, aliorumque in Gallia E-
„ piſcoporum, virtutem eadem Jeſuitarum perſecutio
„ illuſtravit, quomodo etiam Archiepiſcopum Calce-
„ donenſem in Anglia impigrè vexaverit exercueritque:
„ quomodo Palafoxium & Bernardinum Cardenaten-
„ ſem, duo magna Americæ lumina: quomodo a-
„ lios multos non vulgaris ſanctitatis Epiſcopos, non
„ ſemel enarratum habes ſuprà, (præſertim Clangore
„ IX.) De Bernardino Cardenatenſi non pigebit hîc re-
„ petere quod non unus Democritus riſerit. In hunc
„ inermem, nec alio præſidio quàm precum ac civi-
„ ci amoris obſeptum, Societas ſæculare etiam bellum
„ geſſit. Videas hîc Jeſuitas aliquot, conſcenſis equis,
„ ac repentè coacto è barbara gente exercitu, ordines
„ ducere, in Epiſcopum, ceu hoſtem, movere, ad
„ urbem Epiſcopalem applicare, oppugnare, expugna-
„ re. Quid interim ſanctus Antiſtes? Ad ſanctiſſimam
„ templi aram confugit; ſacro vaſe, in quo SS. Eu-
„ chariſtiæ ſacramentum aſſervatur, in manus ſump-
„ to. At an hæc Jeſuitas retinent, ut ſacrilegas ma-
„ nus à ſancto viro abſtineant? Imò verò more victo-
„ rum, captâ urbe furunt ferociuntque: Epiſcopum,
„ erepto mox è manibus Sacro-Sancto, ab ara, atque
„ adeo templo, etiam avellunt, ſolum fragili ſcaphæ
„ imponunt, flumini & ventis ludibrium committunt.
„ Habet jam lector ut Epiſcopi apud ipſos veneratio-
„ ni ſint.

Nec mirum, quia ut ubique dominentur, & ab E-
piſcopis nullo modo dependeant, raros in Eccleſia E-
piſcopos exoptant, Epiſcopatumque in Gallia, Hiſpa-
nia, Anglia, neceſſarium non eſſe vulgato libello ſuo
Jeſuita Floydus prætendit, aiens ſufficere paucos in Eu-
ropa Epiſcopos, dummodo ſufficienti numero ad preſ-
byteros ordinandos; Sacramentum quippe confirmatio-
nis à ſimplici presbytero de licentia Sanctiſſimi Domini
conferri poſſe.

Hinc quantum poſſunt, impediunt ne in loca E-

piſcopis deſtituta, v. g. in Japoniam, Chinam &c. Epiſcopi mittantur. Cùmque glorioſum Chriſti Martyrem Ludovicum Sotelum, ex Seraphico S. Franciſci Ordine, in Japoniæ Epiſcopum Paulus V. deſignaſſet, & à ſuo in Hiſpaniis Nuntio ſacrari juſſiſſet, Jeſuiticis artibus conſecrationem ipſius impedierunt, ut alius, præter Jeſuitam unum, Epiſcopus, in vaſtiſſimo illo pluſquam ſexaginta Regnorum Imperio, non eſſet, cujus ipſimet Vicarii Generales eſſent Provinciales, viſitatoreſque ipſorum, tota proinde apud ipſos Epiſcopalis juriſdictio; cùm tamen Vicariatus iſte, ut Bartoli fatetur Hiſtor. Aſiæ parte 2. pag. 78. de numero ſit prælaturarum, quas ex ſpeciali voto, abſque Apoſtolica diſpenſatione, acceptare nunquam poſſunt.

Hinc etiam, cùm ab Urbano VIII. Clerus Anglicanus, pro ſua conſolatione, catholicum Epiſcopum ſummis precibus poſtulaſſet, Archiepiſcopi Calcedonenſis, ab ipſo miſſi, expulſionem ſolitis artibus Jeſuitæ procurarunt, variis interim libellis Epiſcopalis gubernationis neceſſitatem per Floydum ſuum, Smitteum, Danielem à Jeſu, Rabardeum oppugnantes, quos libellos condignâ cenſurâ Clerus Gallicanus & Sorbona notarunt.

Cùm etiam Epiſcopum in Chinam adducere Nicolaus Trigaltius Jeſuita propoſuiſſet, id adeo moleſtè tulerunt Jeſuitæ, ut de eo Pater Bartoli pag. 702. tamquam de re Superioribus Societatis admodum ingratâ, utpote Solipſorum ibi dominium non patiente, graviter conqueratur.

Denique cùm tres Epiſcopos è Gallia in Chinam, Tunquinum, Cochinchinam & alias Indiarum vicinas Regiones, velut Vicarios Apoſtolicos Alexander VII. miſiſſet, & uni ipſorum, videlicet Illuſtriſſimo D. Palu, Epiſcopo Heliopolitano, P. Manuel Godenho, Jeſuita Luſitanus, in Surate occurriſſet, ipſum, ne ultrà pergeret, prolixo ſermone Jeſuita dehortatus eſt, Epiſcoporum in China operam nec neceſſariam eſſe, nec utilem, perſuadere conatus, prout ipſemet nar-

narrat in ſua Relatione itineris ſui ex Indiis in Luſitaniam, de anno 1663.

En ſpecimina demonſtrantia quo in amore & pretio ſit Epiſcopalis dignitas apud Jeſuitas. Videamus an Papalem ſaltem, toto orbe venerabilem, dignitatem magis revereantur. Hanc fundatam ſuper Petram, quæ Chriſtus eſt, quis non omnimodis Jeſuitas revereri exiſtimet, inquit ſuprà laudatus Apologiſta? An non enim illius Pontificiam in definiendis quibusvis, etiam facti non revelati, controverſiis altiſſimè debuccinant? An non tribus communibus Regularium votis, aliud quartum, ac Societati proprium, addunt obedientiæ cæcæ in omnes Pontificis voluntates?

At expecta tamen; & ne fuco deludaris; rem penitiùs inſpice: hìc jam pro auro carbones reperturus es. Cæcum namque obedientiæ cæcæ votum quòd ſpectat, id, fateor, profitentur, neque non de eo gloriantur. Audi Rodrigem de tribus obedientiæ gradibus c. 13. *Religioſi profeſſi noſtræ Societatis obligant ſe quarto & ſolemni voto obedientiæ cacæ & extraordinariæ omnibus Papæ voluntatibus.* An non eximia quæque propterea merentur? Quid igitur mirum, ſi tot privilegiis & exemptionibus, præ cæteris, Societas hæc munita ſit?......

Sed age, videamus, quâ tandem ratione id quod vovent exequantur? Hoc verò ita eos facere deprehendo, ut ad credendum inducar, prudentes viros illos, in ejus voti emiſſione, cautè..... hanc tacitam ſubaudiviſſe conditionem, ubi id è re ſua, ſeu Societatis ſuæ, ipſimet (graves imprimis Authores) judicaverint. Id quod mihi forſan ægrè non aſſentieris, ſi res, cùm nuper in China, tum tempore Congregationum de auxiliis, tum aliis in occaſionibus, ab ipſis præclarè geſtas mecum infrà conſideraveris.

Infallibilitatem Papæ quod attinet, quis unquam altiùs eam extulit quàm Jeſuitæ? An non viris illis acceptum debet, quòd Synodorum Generalium infallibilitatem ſupergreſſa, etiam ad facta non revelata modò porrigitur? An non illis tam energicis (ſcis quid ve-

lim) Sociorum ſuaſionibus & perſuaſionibus fieri videmus, ut hæc opinio ad Clerum, ipſoſque adeo Eccleſiæ Proceres uſque perveniens, tanta ſenſim incrementa faciat, ut Eccleſiaſticorum dogmatum dignitatem propè æmulari videatur?...... Sed ut Jeſuitarum acrioris ingenii virorum hac in re ſubtilitatem miror; ita ſinceritatem admodùm ſuſpectam habeo.

Illi quidem, quò ad Solipſorum monarchiam faciliorem ſibi viam parent, hoc infallibilitatis dogma ſpeculativè, tota ingenii vi, nec non & aliis armis, acerrimè propugnant, neminemque non eò pertrahere nituntur. Quare? Quia ita rebus eorum expedit. At ubi ad praxim res deducitur, infallibilitatem ultra fines ſibi propoſitos, ſive ultra quàm res Societatis exigant, extendi non ſinunt. Proinde pro rerum varietate aliter atque aliter æſtimant. In favorabilibus ſiquidem, hoc eſt quoties Janſeniſtas impetit, vel quoties quiſpiam alicujus in re litteraria notæ, ante Jeſuiticum Baal genu non flectit, nihil dubita, certiſſimum dogma eſt. At verò cùm Jeſuitis odioſum quid agitur, puta ſi Jeſuitas Pontifex ferit, apud ipſos dogma iſtud practicè concidit; cùm Pontifici perinde ſeſe opponant, propè dixi, oppedant, ac ſi fallibilis eſſet, ac uſque gerant, quaſi, juxta non illepidam cujuſdam expreſſionem, Pontificem à Societate infallibilitatem hanc, velut in feudum acceptam, poſſidere contenderent.

Praxis itaque Jeſuitica hæc eſt; attentè conſiderandum, an contra aliquem ex iis quos Jeſuitæ Janſeniſtas eſſe comminiſcuntur, aliquid Papa decernat, an verò aliqua Loioliſtarum dogmata proſcribat? Si primum, Papa eſt infallibilis; ſi ſecundum, minimè gentium.

Vin exemplis hoc demonſtratum? En tibi plurima. Tempore Congregationum de auxiliis, cùm animadverterunt Molinæ novitates valde multas à Cenſoribus Romanis (quibus earum examen Clemens VIII. commiſerat, & quorum judicium ſuis in definitionibus Papa ſequi ſolet) erroris condemnari, & ad earum damnatio-

tionem Papam accinctum eſſe: imprimis *inſolenter & impudenter*, erga Cenſores, *ſæpe ſe geſſerunt, & contumeliis totam Congregationem affecerunt*, quemadmodum apud Sanctitatem ſuam ſacra eorum Congregatio die 3. Aprilis 1601. conqueſta eſt. Deinde ipſimet Clementi VIII. adeo moleſti fuerunt, ut eadem iſta die intimum de eo ſui doloris ſenſum demonſtrans, in hæc verba eruperit: *Adeo me iſti perturbant, ut penè mentis errore ex perturbatione me afficiant.* Ita refert Clariſſimus Author Hiſtoriæ Congregationum illarum l. 2. c. 24. hoc addens, Pontificem de ſententia ferenda deliberantem, hac una difficultate cruciatum ſe Franciſco Pegnæ, S. Rotæ Decano, dixiſſe: *Ne Jeſuitæ Apoſtolicæ definitioni ſubeſſe detrectarent.* Id quidem præfractè negat Theodorus Eleutherius, Aſt ipſum egregiè refellit Hiſtoricus l. 5. c. 2. edit. 2.

Et ut Pontificem à ferenda contra Molinam ſententia amplius deterrerent, eo tempore periculoſiora Molinæ dogmata aperto Marte Salmanticæ publicis in theſibus defenderunt, de convocandoque in cauſa iſta Epiſcoporum Concilio rumorem, non ſolùm in Hiſpania, ſed & Romæ ſparſerunt, prout Illuſtriſſimus Pegna teſtatur in epiſt. ad generalem Hiſpaniæ Inquiſitorem de 25. Novembris 1601. hiſce verbis: *Roa ſpatio jam trium menſium eum convocandi Concilii rumorem tota paſſim Urbe diſſeminavit; qua de re à nonnullis admonitus, reſpondit, hanc ſibi curam à Jeſuitis impoſitam eſſe, quòd hac una acciſa ac deplorata cauſa procraſtinandæ via ſuppeteret.*

Nec his contenti Jeſuitæ, ad impediendam, vel certè morandam Pontificiam definitionem, Principum litteras commendatitias, in Molinæ favorem, artificioſè corraſerunt; emendicaruntque: quam ob cauſam accitum Societatis Generalem verbis aſperis Pontifex increpavit, quòd eam favoris & gratiæ viam, ſummo veritatis & Eccleſiæ Catholicæ damno, iniiſſent.

Palam etiam, cum gregalibus ſuis, Compluti & alibi propugnarunt, *De fide non eſſe, hunc numero homi-*

nem, qui tamquam Pontifex ab Eccleſia agnoſcitur, *verè eſſe Chriſti Vicarium Petrique Succeſſorem*, ut hac arte Pontificiæ definitionis authoritatem, ac proinde infallibilitatem eliderent. Quam ob cauſam Melchior Onnate Theſeos defenſor, Ludovicus Turrianus diſputationis præſes, Gabriel Vaſquez primarius in Collegio Complutenſi Theologiæ Profeſſor, & Nicolaus Almaſan Collegii Rector, in carcerem Inquiſitionis conjecti fuere, Romamque à Papa citati, *quòd explorare vellet, num ea theſium machinatio negotiis Romæ tractatis affinis eſſet? Quia cùm Patres illi Concilii generalis convocationem ad præſentium controverſiarum definitionem omnino neceſſariam ubique paſſim in Hiſpania & Italia conclamaſſent, eoque clamore univerſum Orbem perturbaſſent, ſuſpicari meritò poterat, illos hujuſmodi theſibus vias paraſſe, ad Apoſtolicam definitionem eludendam, tamquam falſitati obnoxiam.*

Si enim Pontificiam definitionem infallibilem credidiſſent, ut quid eam tot moleſtiis Pontifici illatis, tot Jeſuiticis artibus, tot machinationibus, etiam incuſſo Pontifici grandium in Eccleſia tumultuum metu, eam impediri anniſi eſſent, ipſiuſque promulgationem, à RR. PP. Prædicatoribus toties poſtulatam, à centum jam & ampliùs annis remorantur? Ut quid Molinianæ doctrinæ tot examina, ſepties utique repetita, tam enixè poſtulaſſent? Cùm abſque examinibus toties repetitis errores damnentur in Conciliis œcumenicis; & ut benè Archiepiſcopus Armachanus (apud Hiſtoricum Congregationum de Auxiliis l. 4. c. 6.) ſi metu tumultus ex alterius partis damnatione orituri, verè & ſincerè moti fuiſſent, cùm Prædicatorum Generalis Pontificem certiorem feciſſet Ordinem ſuum omnimodè ſe ſubmiſſurum Pontificiæ definitioni, ipſa quoque Societas, pro ſua erga Apoſtolicam Sedem reverentia, de ſua quoque omnimoda ſubmiſſione certiorem ipſum facere debuiſſet, & non modò cæca obedientia, voto ſolemni promiſſa, ei ſe obtemperaturam, ſed nec adverſus eam ſe tumultuaturam, ſed & fautorum amicorumque ſuorum tumultus ſedaturam, imò & impeditu-

dituram. Quo facto nullum tumultuum periculum fuiſſet. Maximè cùm revera nullum tunc eſſet periculum, niſi periculum tumultuum, quos Societas ipſa concitaſſet. Sed quàm procul ab iſta Chriſtiana diſpoſitione Socii fuerunt! Quàm procul ab animo Pontificiæ definitioni cæca obedientia ſe ſubmittere parato! Non ſolùm id manifeſtum facere videntur tot illæ machinationes, ſed & iis addita calumnia in Clementem VIII. quem, ut animadverterunt accinctum ad damnandam Molinæ doctrinam, ipſos non puduit famam ipſius calumnioſè impetere, dicendo ipſum malo in Societatem animo affectum, minùs pro argumenti dignitate eruditum, ſcientiæque mediæ myſteria non ſatis edoctum (quarum calumniarum falſitatem inſulſitatemque idem Hiſtoricus demonſtrat l. 3. c. 45. & l. 5. ſect. 6. c. 5. edit. 2.) more utique reorum causâ dejectorum, adverſus integerrimos Judices excipientium, ut ſeſe injuſtè damnatos obtendant. Ab iſtis profectò exceſſibus & tot illis machinationibus abſtinere ſolent veri obedientiæ filii, illi maximè qui Pontificem in definiendo infallibilem credunt, ab iiſque revera abſtinuerunt RR. PP. Prædicatores.

Non abſtinuerunt tamen Jeſuitæ, quin potiùs ultrà progreſſi, Clemente ad ſuperos evocato, apud Paulum V. ſucceſſorem ipſius, ad hoc oblato ipſi libello, contenderunt, iſtas de divinæ gratiæ auxiliis controverſias ad fidem non pertinere (cujus oppoſitum certiſſimum eſt, & in congregationibus ſub Clemente VIII. eas ad fidem pertinere ipſimet contenderunt) ſed ad factum, non revelatum, quid utique ſenſerit Auguſtinus, quid Thomas, quid Molina: & qui modò de facto Janſeniano judicii Pontificii infallibilitatem tanto ſtudio & ardore propugnant, ejuſdem fallibilitatem circa facta illa palàm aſſeruerunt, ne ſe judicio infallibili victos faterentur. Iſto proinde exemplo manifeſtè demonſtrarunt, 1. ſeſe, pro varia rerum Societatis exigentia, ſervandis finibus ſuis, magis quàm ſervandis finibus Pontificiis addictos, de Pontificiorum judiciorum, circa facta non revelata, fallibilitate vel infallibilitate

variè ſentire, nec tam veritatem, quàm patrocinium Societatis quærere. Cùm ignorare non poſſint, variam rerum Societatis exigentiam veritati præſcribere non poſſe. 2. Jeſuitas pro Pontifice ſtare, dum favet rebus Societatis; contra Pontificem, dum iis adverſatur. Quod confirmarunt, de eoque dubitandi locum non reliquerunt, dum parato ſub Paulo V. ad controverſias illas finiendas Pontificii Diplomatis ſpecimine, *Claudius Aquaviva; Societatis Præpoſitus generalis* (verba ſunt Hiſtorici l. 5. ſect. 5. c. 2.) *liberali audacia Pontifici ſignificavit, ſe quidem, ſi fortè Sanctitas ſua eam infamiæ notam Societati inureret, dena Jeſuitarum millia præſtare non poſſe, qui contumelioſa & indecora Apoſtolicæ Sedis autoritati non ſcriberent. Ita* (proſequitur Hiſtoricus) *ex manuſcripta controverſiarum iſtarum Hiſtoria, à Jeſuita Poſſino elucubrata, recitat nuperus Author libri Gallicè inſcripti*, ESTAT DU SIEGE DE ROME, ſeu de ſtatu Romanæ Sedis, tom. 3. pag. 28. in Clemente VIII. Dignum profectò Sociorum erga judicia & Decreta Sedis Apoſtolicæ, velut infallibilia, reverentiæ & ſubmiſſionis documentum: dignum cæcæ obedientiæ ab ipſis ſolemni voto promiſſæ ſpecimen: inſigne argumentum ſincerè agnitæ ab ipſis Pontificiæ infallibilitatis in deciſionibus ejuſmodi controverſiarum, ad fidem profectò, non ad ſola facta non revelata ſpectantium.

Nec deſunt alia ejuſmodi exempla, utinam non adeo multa! Clangore ſiquidem X. demonſtratum eſt 1. quomodo poſt tot Urbani VIII. Clementis IX. & X. &c. Decreta Jeſuitis negotiationes prohibentia, obedientiæ ipſis debitæ refractarii eſſe non deſinant.

2. Quomodo P. Avendaño Jeſuita in Theſauro ſuo Indico adverſus æquiſſimam Innocentii X. Conſtitutionem de anno 1646. parum reverenter inſurrexerit, contendens eam Societati eſſe *pernicioſam, inconvenientem, contra ordinem fabricatam, contrariam juri communi &c.*

3. Quomodo *velut in furorem* Socii nonnulli *acti* adverſus Breve ab Alexandro VII. miſſum ad Lovanienſes,

ſes, in commendationem doctrinæ S. Auguſtini, in impias haſce voces eruperint, *Breve iſtud per diabolicam commendationem fuiſſe impetratum.* Mirum quod nomini ac perſonæ Pontificis tunc pepercerint. Aliàs enim minùs verecundi ſunt.

4. Quomodo contumelioſis vocibus adverſus eundem Alexandrum VII. exarſerint, dum Jeſuiticam Caſuiſtarum Apologiam condemnavit. Quemadmodum & adverſus Innocentium XI. dum Lovanienſibus Theologis enixiùs favens, tot impia & pluſquam pagana Jeſuitarum de moribus dogmata proſcripſit. Non enim veriti ſunt ipſum velut *Janſeniſtam* traducere, neque proſcripta dogmata, in novam refictà formam, recudere ac propugnare, non ſine ingenti animarum ſtrage. Hoc (inquam) veriti non ſunt illi ipſi, qui quinque famoſarum propoſitionum (quas, inter Catholicos, nemo, quod ſciam, defendit, ſed omnes toto corde & ore ſincerè deteſtantur) jactatâ damnatione, Catholicum orbem, quò ſecuriùs ipſi regnent, diſcindant ac perturbent, adverſùs novam Janſenianam hæreſim, de qua nemo hactenus convinci potuit, magno hiatu crepantes, & ſic rurſum demonſtrantes, ut ipſis idem Pontifex, dum adverſus prætenſorum Janſeniſtarum dogmata decernit, infallibilis ſit; dum adverſus Jeſuitica, fallibilis.

5. Quomodo Tridentini Decretis, Innocentii X. Brevibus, etiam Regiâ ſcedulâ acceptatis, in cauſa Angelopolitanâ, obedire detractaverint, cum ingenti populorum ſcandalo, Eccleſiaſticæque Hierarchiæ perturbatione, eo quòd utique rebus Societatis favorabilia non eſſent, eaque proinde Socii haberent pro odioſis, Societatique injurioſis.

6. Quomodo eadem in cauſa Decretis Pontificiis Sedis Apoſtolicæ ſua opponentes privilegia commentitia (vera enim non habebant) contenderint ea revocari non poſſe, ne à Papa quidem, prout teſtis omni exceptione major eſt Illuſtriſſimus Palafoxius in ſua ad Innocent. X. epiſtola 1. eo quòd prætenderent ea ipſis conceſſa in remunerationem obſequiorum Eccleſiæ præ-

præſtitorum, per conſequens tranſiiſſe quodammodo in contractum. Cùm tamen revocabilia eſſe manifeſtum ſit ex perpetuo Eccleſiæ uſu.

7. Quomodo calcaneum ſuum levarint adverſus Vicarios Apoſtolicos, à S. Sede miſſos in Chinam, Tonquinum, Cochinchinam &c. ob ſuamque rebellionem privati fuerint Miſſionibus Tunquinenſi, Cochinchinenſi &c. prohibitique Novitios admittere in Italia.

8. Hiſce omnibus adde 1. quòd adverſus Innocentium XI. & fundatiſſima antiquiſſimaque Eccleſiæ jura, in cauſa Regaliorum, pro Rege ſteterint in Gallia: ideoque Mainburgus, Innocentii XI. mandato, è Societate expulſus. Cur ita fecerunt? Quia Regem habebant rebus Societatis magis faventem, quàm ſanctiſſimum illum Papam.

2. Quòd dum Innocentius XII. miſſo ad Epiſcopos Belgii pacifico Brevi, infundatam Jeſuitarum adverſus prætenſos Janſeniſtas iram, ac pluſquam Vaticanum odium exarmaſſet, ac mitigare ſtuduiſſet, in eoque Brevi concinnando Romani Proceres, diſſidiis ſemel finiendis intenti, induſtriam ſubtilitatemque ſuam exhauſiſſent, Jeſuitæ, poſt tot Papæ ſollicitudines, non ſolùm diſſidiorum finem non fecerunt, ſed & ab ipſis Breve illud, Eccleſiarum tranquillitati reducendæ maximè idoneum, vix citius natum, quàm antiquatum eſt, ita ut altiſſimum modò apud ipſos ſit de illo Brevi ſilentium; & mirabitur fortè quiſpiam, ſi non & ipſum Innocentium è diptycis ſuis eraſum, longæ oblivioni tradere ſatagant, quo dolorem ſuum ulciſcantur. Quid enim de pacifico illo Pontifice ab ipſis dictum, & quid non dictum? Ego (inquit Reverendi D. Gautii Apologiſta) Mechlinienſis olim Seminarii Alumnum, nunc Paſtorem, qui ſub initium, quo Innocentii hoc Breve in Belgium advenerat, crucem ante Archiepiſcopum portaverat, mihi ſub hæc tempora dicere memini, ut Patrem Geys, Archiepiſcopi Mechlinienſis (Humberti Guillielmi à Præcipiano) Confeſſarium, in palatio Archiepiſcopali, inque ampla audientium corona dicentem audiverit: *Pontificem hic de-*

deceptorum Cardinalium fraudibus eſſe circumventum; pro quorum ideo anima ne unum quidem Pater & Ave eſſet recitaturus.

3. Ne noviſſimum S. D. N. Clementis XI. circa controverſias Rituum Sinenſium vel in minimo Decretum transgrediar, RR. Patres Jeſuitas rogatos velim, ut Decreto iſti in materia fidei toto ſe corde ſubmittant, fateanturque illud prorſus eſſe abſolutum (non conditionatum, uti prætendebant) controverſiarumque iſtarum ultimò terminativum? Si ſic: cur igitur ab illo ad Tartaricum Chinarum Imperatorem quodammodo provocaverunt; per libellumque anno 1709. vulgatum Decreti revocationem poſtularunt? Utrùm ipſi poſt rejectam à Pontifice omnem appellationem, finali ipſius definitioni ſeſe tandem ſubmiſſuri ſint, incertum facit denuntiatio, quã (ut Pariſienſes litteræ nuntiarunt) anno 1710. Orbi univerſo notum fecerunt, Ritus illos Chinenſes à ſe nunquam damnandos, ut ſuperſtitioſos, ſed ſemper habituros ut merè politicos. Quod ſi verum eſt, in iſto ergo Chriſtianæ Religionis negotio (ſummi profectò momenti) apud ipſos inefficax eſt definitionum Pontificiarum infallibilitas, vel certè à Jeſuitis non agnoſcitur, niſi dum favorabiles ſunt rebus Societatis. Unde non obſtantibus Pontificiis definitionibus, omnibus notum eſt, quanta à Jeſuitis paſſus ſit, (poſt Illuſtriſſimum D. Maigrot Epiſcopum Canonenſem) Eminentiſſimus D. Cardinalis Turnonius, S. Sedis à Latere Legatus, & Viſitator Apoſtolicus, in Chinam ab eodem S. D. N. Clemente XI. miſſus ad definitivum Decretum ſuum adverſus Chinenſes Ritus promulgandum. Quod quia fecit, cordeque impavido cauſam Dei ſuſtinuit, probatæque vitæ teſtimonium, non operum præſtantia, ſed minis ac metu imperialis poteſtatis à Jeſuitis poſtulatum, dare recuſavit, adverſus ipſum Imperatoris iram, perſecutionemque, & captivitatem ipſius procurarunt: in qua & glorioſè occubuit.

An non iſta ſufficiunt ad demonſtrandum Illuſtriſſimam Dominam Lionnæam in ſua Epiſtola de 23. Aprilis

prilis 1701. veriſſimè ſcripſiſſe: *Diſcrimen inter Amicos filii mei, & vos, Patres mei, in eo ſitum eſt, quòd ipſi obediant S. Sedi, non emiſſo peculiari de obedientia voto: Vos autem non obeditis emiſſo illo voto.*

Et nunc ergo *Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Cùm tanta in Eccleſia mala cauſet nimia Jeſuitarum potentia, atque exinde nata ſuperbia tanta, ut, ne in negotiis quidem Religionis, memores ſint obedientiæ ſpeciali voto ſummis Pontificibus promiſſæ, dum, ut ipſi putant, favorabilia non ſunt Societati, una cum Sanctiſſimo Papa concurrite, ad potentiam illam deprimendam. Cúmque abutantur gratia quam habent apud vos, quemadmodum & confidentia, quam in ipſis habetis profectò nimiam, attendite & videte, an non ſit de communi bono Statuum Veſtrorum, deque ſalute animarum veſtrarum, conſcientiarum veſtrarum directionem committere Sacerdotibus minùs quæ ſua ſunt quærentibus, & ſalutem veſtram, communeque bonum Regni veſtri magis amantibus, quàm privatam ſuam, vel Societatis ſuæ gloriam, temporalemque utilitatem. Hanc verò Jeſuitas magis amare, quàm commune bonum Regni veſtri, ſalutemque animarum veſtrarum, argumento manifeſto ſit, quòd experientia ad oculum demonſtret, gentem illam commodis ſuis uſque adeo omnia metiri, ut quemadmodum obedientiæ ſpeciali voto ſummis Pontificibus promiſſæ memores non ſunt, dum Societatis rebus non favent (prout exempla præmiſſa ſatis evincunt) ſic abſque dubio, fidelitatis ac dilectionis vobis debitæ memores non erunt, dum Societatis rebus favorem non præſtabitis, vel certè minùs præſtabitis, quàm in votis habent. Quomodo enim magis memores erunt fidelitatis ac dilectionis voto non promiſſæ, quàm obedientiæ ſummo Pontifici voto ſolenni promiſſæ? Fidelitatis certè, cujus debitores erant Regi Omuræ, in Japoniâ, fautori & benefactori ſuo, qui Chriſti fidem magna cum devotione ſuſceperat, memores non fuerunt, dum ipſius apud Japoniæ Imperatorem proditores fuerunt, ob id ſolum, quòd ma-

majora bona temporalia ab Imperatore quàm ab ipſo ſperarent. Nam ut Joannes de Ribas Ord. Prædic. refert in Theatro Jeſuitico pag. 311. ut ſibi gratiam Imperatoris conciliarent, ipſi ſuggeſſerunt, ut tamquam ſupremus Dominus Regi Omuræ auferret Civitatem Japoniæ Nanguaſaqui, unam è primariis Regni Omuræ, quæ ob portum valdè frequentatum celebre erat Japoniæ Emporium. Conſilium Jeſuitarum ſecutus Imperator, Jeſuitas è Regno illo expulit, tanquam proditores, cauſatus quòd ſicut Regem benefactorem ſuum prodiderant, & ſe (cui minus debitores erant) facilè udituri eſſent. Ad Imperatoris itaque gratiam non pervenerunt, & Regis Omuræ gratiam ob infidelitatem ſuam perdiderunt. Porro hujus Hiſtoriæ veritatem jurato teſtimonio Japonenſes Chriſtiani valde multi aſſeruerunt in Memoriali Regio Indiarum Conſilio Matriti, & Romæ S. Congregationi de Propaganda fide oblato.

Et quot non titulis Jeſuitæ obligati erant Imperatori Ferdinando II. tanquam ſummo Benefactori ſuo? Verùm ex quo Imperator, poſt Pragenſem victoriam, Cæſareo Edicto, à ſua Sanctitate ſummopere laudato, edixit, antiquarum Religionum Monaſteria à Proteſtantibus dudum occupata, iſtis Religionibus reſtituenda, ad quorum occupationem Jeſuitæ avidiſſimè inhiabant, gratitudinis immemores, libello Romam miſſo ſub hac inſcriptione, *Animadverſiones in cauſa bonorum Eccleſiaſticorum, & Monaſteriorum extinctorum in Germania*, Cæſarem cum ſummo Pontifice committere anniſi ſunt, ipſum, & omnes Conſiliarios ipſius, velut impietatis reos, *jugum totius Apoſtolicæ juriſdictionis per totum Imperium excutere collimantes*, apud Pontificem traducendo: utique quæ ſua ſunt magis quærentes, quàm Cæſaris honorem, & cauſæ ipſius in Edicto iſto ſummam æquitatem ac juſtitiam.

Et quid mirum? Quòd enim quæ ſua ſunt magis quàm quæ vel ipſius Eccleſiæ, vel magis quàm commune bonum Religionis Chriſtianæ, pluſquam ſatis demonſtrarunt, dum in negotio Regaliæ pro Rege Gal-
liæ

liæ adverſus Innocentium XI. & Eccleſiæ jura ſtantes per ſuum P. de la Chaiſe & Joſephum Archiepiſcopum Toloſanum (ipſius ſuaſu ad id impulſum) Franciſcum Epiſcopum Appamienſem, & univerſum ejus Capitulum, ac Diæceſim, fœdo ſchiſmate à ſe concitato, miſerè afflixerunt, & criminibus ac ſacrilegiis obruerunt, Capitulum Canonicorum, juxta priſcum Eccleſiæ ritum ſanctiſſimè viventium, ut ſuprà dixi, in conſortium eccleſiaſticorum vix non libertinorum, nihilque eccleſiaſtici ſpiritus habentium convertendo. Piiſſimè defuncto ſanctæ memoriæ Franciſco Epiſcopo, Jeſuiticis artibus ſuis ſubrogando abbatem quemdam de Campis (De Camps) adeo ſcandaloſum, Epiſcopalique dignitate adeò indignum, ut niſi per Patrem de la Chaiſe protectus fuiſſet, nominatio ipſius dudum revocata fuiſſet; revera namque opprobrium fuit Cleri Gallicani. Et quot aliorum curialium & mundanorum potiùs hominum quàm verè eccleſiaſticorum nominationem à Rege procuravit idem P. de la Chaiſe, non ſine dedecore magno Eccleſiæ Gallicanæ, grandique ſalutis animarum præjudicio? Tanta quippe eſt Ludovici Magni in Jeſuitis confidentia, ut pauci ſint in ampliſſimo Franciæ Regno Antiſtites, qui promotionis ſuæ debitores non ſint Jeſuitis, eoque titulo obligati ipſis ſe devovere, ipſiſque Curiales eſſe pro ſua conſervatione, vel altiori promotione. Haud mirum proindè quòd hodiè tam multi ſint Epiſcopi Curiales in Gallia: tales namque eſſe oportet ut Jeſuitico digni ſint favore, effugiantque apud ipſos notam Janſeniſtæ. Si qui ex ipſis ex Diæceſi ſuâ rariùs diſcederent, ipſos Pater de la Chaiſe hortabatur ut ſeſe in Curia conſpiciendos frequentiùs exhiberent, ut ſuprà oſtenſum eſt. Utique Jeſuitæ, Aulici toti, Epiſcopos optant ſibi ſimiles, ut ſibi habeant devotos; tametſi enim iſta Epiſcoporum ad Curiam ſeu Aulam invitatio non ſit ad majorem Dei gloriam, nec ad majus bonum Eccleſiarum ipſorum, ſufficit ipſis quòd ſit ad majorem Societatis utilitatem. Atque parùm ipſis curæ eſt, quòd Jeſuitis Curialibus ſimiles efficiantur Epiſcopi Curiales, mundani utique,

ſeu

ſeu mundi & Curiæ mancipia, uti demonſtrat liber inſcriptus, *Epiſcopus Curialis.* Eccleſiaſtica legatur Hiſtoria, vix ullum, ſi tamen ullum, in ea invenietur exemplum Epiſcopi ſine neceſſitate Curiam frequentantis, qui non fuerit de numero mundanorum hominum, quorum ſcopus eſt ſe mancipare omni voluntati principis ad ſtabiliendam vel promovendam fortunam ſuam; quorum proindè fides, fides eſt temporis, fides principis. An non hoc viſum tempore Imperatorum Conſtantii, Valentis, Copronimi, Baſiliſci &c. necnon tempore Henrici VIII. Anglorum Regis? Unde Baſilius epiſt. 71. *Obſervate*, inquit, *conſuetudinem eorum, ſolent perpetuò ad prævalentem deficere partem, &c.... obſequi Aulæ.* An non hoc in ipſa quoque Gallia ſæpiùs vidimus? An non multos etiamnum videmus degeneres à fortitudine & ſanctitate Deceſſorum ſuorum, Grimaldorum, Pavillonorum, Cauletorum, Vialartiorum, Solminiachorum, &c. Cur ita? Quia Jeſuitarum Curialium conſilio & favore à Rege nominati, facti ſunt & ipſi Curiales, Jeſuitarum aſpendii, quæ ſua ſunt quærentes (ut ipſi) Aulæ mancipia, non Patres (quales ipſos eſſe oporteret) denique ſine Apoſtolico ſpiritu Apoſtolorum Succeſſores. An non talis, judicio S. D. Innocentii XI. fuit Joſephus Archiepiſcopus Toloſanus? An non, inquam, veluti mancipium, non ſolùm Regis, ſed & Patris de la Chaiſe, ad quem propterea Innocentius Breve iſtud ſcribi voluit: *Venerabilis Frater. Statueramus nullas ad te amplius literas, nec ullum aliud communionis noſtræ ſignum dare, ut, hâc ſaltem pœnâ, quam Catholici omnes ſemper graviſſimam exiſtimarunt, te ad ea, quæ perperam egeras, reparanda induceremus. Cùm tamen allatum nobis ſit, te variis ægritudinibus jamdudum laborantem in maximò verſari vitæ diſcrimine, charitas Chriſti, quæ urget nos, ac de tua æterna ſalute vehementer anxios reddit, ultimum hoc noſtræ ſollicitudinis officium à nobis expreſſit, quo te, nondum, uti confidimus, in duritiem cordis collapſum, ad ſpem de divina miſericordia concipiendam excitaremus. Verùm quia vana ſpes eſt, quæ fru-*

fructum non parit, te etiam atque etiam in Domino hortandum duximus, ut redeas ad cor, & animo reputando quæ & quanta in Apoſtolicæ Sedis ac in Eccleſiæ jura libertatemque commiſeris, non ſolùm doleas, ſed etiam emendare pro viribus ſtudeas, quæ, ut hominibus (Aulæ ſcilicet, & Patri de la Chaiſe) *placeres, perpetraſti contra Sanctimoniales Urbaniſtas, & virgines, uti vocant, de Infantia Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quarum Inſtitutum, à te atque à Prædeceſſoribus tuis approbatum, ac magno ſemper in pretio habitum, atque ſanctæ Sedis confirmatione munitum, evertere non ita pridem tentaſti, diſperſis duabus earum familiis, quæ, ut audivimus, ingenti cum laude ac fructu in iſta diœceſi tua charitatis munia obibant. Omnium verò maximè refert, ut revoces, quæ in negotio Regaliæ adverſus piæ memoriæ Franciſcum Epiſcopum Appamienſem, & univerſum ejus Capitulum, & Diœceſim, etiamnum fœdo ſchiſmate, à te excitato, miſerè afflictam, & criminibus ac ſacrilegiis obrutam, & contra ipſiuſmet Eccleſiæ tuæ jura à te geſta ſunt. Et quidem in his omnibus Nos potiùs, ac redarguentem conſcientiam tuam audire debes, quàm perniciosa eorum* (Jeſuitarum prout videre eſt in lib. *L'Innocence opprimée*) *conſilia, qui excuſantes excuſationes in peccatis, adipiſcendæ veniæ tibi viam præcludunt.*

Nec enim ante tribunal Chriſti tibi aliud proderit, quàm pœnitentia, & malè geſtorum emendatio, quam ut aſſequi merearis, Interceſſores apud Deum in primis adhibere debes pios illos Sacerdotes, ac Virgines, quos tot damnis ac ærumnis affeciſti, vel ut afficerentur, Author & adjutor fuiſti, dum Nos illam tibi à divina bonitate impenſe auguramur. Datum Romæ die 15. Julii 1687.

Ecce quales ſunt Epiſcopi curiales, Jeſuitarum potentiam metuentes, & ideò nutibus ipſorum obſequentes: cum quanto Eccleſiæ & ſalutis animarum præjudicio!

Nec Eccleſiæ duntaxat, & animarum ſaluti exitioſa, ſed & Regibus ipſis, ac Principibus, & ipſorum Statibus periculoſa eſt nimia illa Jeſuitarum potentia, eo quòd gens Jeſuitica gens ſit factioſa. Quot enim tur-

turbas in Gallia non ſuſcitavit ab anno 1576. uſque in præſens? An non ideo expulſi è Gallia, quemadmodum & ex Anglia, Hollandia, è ſtatu Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ &c.? Sicut in Gallia Cathedras Epiſcopales, ſic in Hiſpania, à planta pedis uſque ad verticem capitis, omnia penè ſubſellia, dignitates, miniſteria totius Dominationis per ſuum Patrem Nitardum repleverunt perſonis Societati totaliter devotis, quæ ſua ſunt magis quærentibus quàm quæ Regis, & Status ipſius; quibus dùm alios ejuſdem farinæ in locum demorientium continuè ſurrogant, Monarchiæ Hiſpanicæ reſtaurationem difficillimam reddiderunt. Utique omnibus Regnorum negotiis politicis, etiam ſecretioribus, ſeſe immiſcent polypragmones iſti, nihilque benè fieri putant, niſi ex conſilio & arbitrio ſuo. Eumque in finem politicam habent, politicaque regulamenta & conſilia, pro negotiorum publicorum Regnorumque directione. Undè & in iſtis ſeſe adeò verſatos palam jactitant in pulpitis ac libris, ut etiam inter Laicos ipſorum reperiantur qui lectionem facerent vel ipſis Cancellariis G.anatæ, Valliſoleti, Conſiliariiſque omnibus Regni Hiſpaniarum. Et quis neſcit, in Aulis Chriſtianorum Principum Aulicorumque domibus Jeſuitas eſſe perpetuos, omnibus eorum negotiis ſæcularibus ſeſe implicantes, omnia etiam ſecretiſſima conſilia eorum ſcire volentes, iſtaque de cauſa Patrem Coton, Patrem Arnoux & Patrem Segueran, è Curia Regis Chriſtianiſſimi meritò fuiſſe relegatos? Nec illud Jeſuitæ diffitentur; imò diſertè fatetur Sebaſtianus Heiſſius Jeſuita in declarat. Apologet. dicens, quòd *cùm de rebus politicis*, imò & cùm etiam *de mutandis Regibus agitur, de quo conſultare non minùs Jeſuitarum proprium munus eſt, quàm graſſante lue curare ne deſint amuleta neceſſaria, theriace proba, aliaque alexipharmaca.* Quid ergo ab iis timere non debent Reges ac Principes, qui ſibi velut proprium munus attribuunt judicium & conſultationem de ipſiſmet Regibus mutandis, diſponendi proindè de ipſorum Coronis? Expertus eſt Henricus IV. Galliæ Rex, quid adverſus jus

ipſius

ipſius ad Coronam fecerint Pater Matthieu, & Pater Ode Pichenat, factionis tempore, quam Ligam appellant. Utique Jeſuitæ, quibus propoſitum eſt in omnibus quærere gloriam & intereſſe ſuæ Societatis, ſemper omnia movebant adverſus Reges, rebus Societatis non faventes.

Et ſi nimia Jeſuitarum potentia, nimiaque Regum ac Principum in ipſis confidentia, exitioſa eſt Regibus in ordine ad politica negotia, longè magis profectò in ordine ad ſpiritualia, ſalutemque ſempiternam, tum ob doctrinam ipſorum corruptam, & parum tutam, qua ipſorum voluntatibus & inclinationibus abblandiuntur & lenocinantur, imitatores facti pſeudo-prophetarum illorum, de quibus S. Petrus in ſecunda ſua Canonic c. 2. dicit, *Fuerunt & pſeudo-prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt, magiſtri mendaces, qui introducent ſectas* ſeu doctrinas *perditionis..... & in avaritia*, quæ ſua ſunt quærendo *fictis verbis negotiabuntur...... pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes..... ſuperba vanitatis loquentes..... libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis.* Tum ob pernicioſa conſilia, quibus Reges ac Principes adverſus juſtitiam & innocentiam circumveniunt Jeſuitici Confeſſarii ipſorum: quam ob cauſam in ipſis verificantur proximè laudata verba Principis Apoſtolorum. Quàm multos enim innocentes contra omnes juſtitiæ leges, pernicioſis conſiliis ſuis Regem Chriſtianiſſimum circumveniendo, oppreſſerint Confeſſarii Ludovici Magni, Pater Annat, Pater de la Chaiſe &c. notum eſt ex ſuprà dictis. Væ ergo Regibus ac Principibus, quorum animas quæſtui habent Jeſuitæ; dum quæ ſua quærunt, non quæ Jeſu Chriſti! Quam Deo rationem reddituri ſunt, quòd ab hominibus, in quærendo quæ ſua ſunt tam exercitatis, de totque mendaciis, fraudibus, impoſturis, calumniis toties convictis, tam parum caverint, eiſque animas ſuas tanta cum ſecuritate crediderint, tantam denique in ipſis confidentiam habuerint, cùm ſcriptum ſit, *Vir iniquus* (qualis eſt omnis avarus, quæ ſua ſunt quærens, non quæ Jeſu Chriſti) *lactat*

inducat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. Proverb. 16. Videant proinde Reges, & accuratè examinent, in quibus Conſiliariis, & Directoribus animarum ſuarum ponant confidentiam ſuam, quia rurſus ſcriptum eſt, Eccli. 37. *A Conſiliario ſerva animam tuam; priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas*, & in illo ſecuritas; ..... *Ne fortè mittat ſudem in terram*, id eſt terrena quærat, ſive quæ ſua ſunt, *&*, ut tibi abblandiatur, *dicat tibi: Bona eſt via tua; & ſtet è contrario videre quid tibi eveniat.* Hierem. 5. *Quia inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros* (alia verſio habet, *ad capiendos Magnates*) .... *Domus eorum plena dolo. Ideo magnificati ſunt & ditati. Incraſſati ſunt & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè.... Nunquid ſuper his non judicabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem hujuſcemodi non ulciſcetur anima mea? .... Propheta prophetabant mendacium.... & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in noviſſimo ejus?*

Denique meminerint Reges, quòd regnum à gente in gentem transferatur propter *injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Eccli. 5. Nec ab injuſtitiâ ſe excuſari, per hoc quòd religioni ipſorum ſurrepſerint Conſiliarii & Confeſſarii mali, ſi non fecerint quod in ſe eſt, mundando conſcientiam ſuam, & orando, quomodo & quantum res tanta petenda eſt, ne inciderent in ejuſmodi Conſiliarios, ſeu Confeſſarios, & ne circumvenirentur per mala conſilia ipſorum. Profectò ſi Confeſſarius hominis privati poſt illas preces eligendus eſt unus ex mille: quanto magis Confeſſarius Regis, vel Principis? Et quis ſcit an non propter injuſtitias, ſeu tot ſuprà memoratas innocentium perſecutiones injuſtas & oppreſſiones, Confeſſario conſulente commiſſas, Gallia, (tot victoriis aucta) tot modò calamitatibus affligatur, & à priſtina gloria decidat?

Itaque Regibus ac Principibus eo ipſo ſuſpecta eſſe oportet Jeſuitarum conſilia, quòd per innumera exempla compertum ſit, ipſos in omnibus conſiliis & in-

 trica-

tricationibus ſuis magis quæ ſua ſunt quærere, quàm quæ expediunt bono regimini ſtatus ipſorum. Hoc profectò per experientiam demonſtrat Frater Juniperus de Ancona in Conſultatione ſua *De cauſis & modis religioſæ diſciplinæ in Societate Jeſu inſtaurandæ* pag. 33. & ſeqq. „ Ipſe, inquit, paſſim non minùs ex Catholicorum cujuſvis Ordinis, quàm ex acatholicorum ſermone comperi, uno omnes ore tantarum in Germania calamitatum (quæ acciderunt circa annum 1634.) cauſam Jeſuitis aſſignare.... Alii enim maximam in eos hinc quærunt invidiam, quòd Dillingenſi volumine ſuo, (quod *Compoſitio pacis* inſcribitur) *defecerint ſcrutantes ſcrutinio*, nimiſque curioſè verba legis de Religionis pacificatione rimantes, vel potiùs calumniantes, eò rem redegerint, ut nulla prorſus Proteſtantibus ſpes relinqueretur, pacis illius beneficio in poſterum vel minima ex parte perfruendi..... Saxoniæ Electorem per neminem alium, niſi per Jeſuitas, à ſua erga Cæſarem fide, tot documentis comprobata, abductum, & ad armorum ſocietatem cum Sueciæ Rege coeundam impulſum fuiſſe, quoniam ex illo Jeſuitarum libro, & ex Actionibus nonnullis ad libri illius præſcriptum, in Aula Cæſarea ſuſceptis, certiſſimus fuerit factus, ſe minimè evaſurum &c. Iſta quippe omnia fieri neceſſe eſt, ſi Cæſar & Catholici Principes Jeſuitis, velut conſcientiarum ſuarum arbitris ac moderatoribus, fidem habeant, & pacem Religionis ex illorum ſenſu & interpretatione intelligere, atque executioni mandare velint. “ Quod certè experientia in ſimili docuit in Gallia, ubi pax à Clemente IX. Eccleſiæ Gallicanæ reddita, per ſiniſtram Jeſuitarum interpretationem brevi rupta fuit..... „ Quod ergo Cæſar ac fœderati catholici omnium illorum jacturam fecerint, quæ inter tot annos, maxima pecuniarum, & Chriſtiani ſanguinis impenſa lucrati fuerunt, atque inſuper de ſuo haud parum deperdiderint..... eam omnem Jeſuitarum culpam eſſe contendunt, qui libris, conſiliis, monitis & in-

,, inſtigationibus ſuis totum imperium uſque à funda-
,, mento commoverint. Alii eos accuſant, quòd ubi-
,, vis locorum ſe ingerant, & Principibus ac Magna-
,, tibus à Confeſſionibus eſſe poſtulent, eoſque po-
,, ſtea adulentur, & blanditiis ac poppiſmis demul-
,, ceant, ... nec unquam morum emendatione præ-
,, teritorum dolorem teſtantes, peccatorum abſolu-
,, tione impertiantur, & quomodo de pſeudopro-
,, phetis Ezech. 13. ſcriptum eſt: *Conſuunt pulvillos*
,, *ſub omni cubito manus.... ad capiendas animas, &*
,, *vivificant animas, quæ non vivunt, mentientes po-*
,, *pulo credenti mendaciis*, (ſive mendaci abſolutio-
,, ni.) Hinc porrò idem ipſum evenire conquerun-
,, tur omnes, quod Iſa. 43. de populo ſuo Deus
,, teſtatur feciſſe: *Interpretes tui prævaricati ſunt in*
,, *me, & contaminavi Principes ſanctos, dedi ad in-*
,, *ternecionem Jacob & Iſrael in blaſphemiam....* A-
,, lii... eis impingunt, quòd Monaſteria ex Prote-
,, ſtantibus recuperata, ſanctis in Cœlo regnantibus,
,, Benedicto, Bernardo, Auguſtino, Norberto &c.
,, quibus à Fundatoribus conſecrata fuerant, reſtitui
,, nolint, ſed ea partim ipſi artibus ſuis invadant;
,, partim Principes Eccleſiaſticos & ſæculares ea in
,, poteſtatem ſuam redigere doceant. In alio certè
,, Dillingenſium Jeſuitarum libro, qui *Placida diſcep-*
,, *tatio* inſcribitur, magnopere contendunt, Papam
,, & Imperatorem *in conſcientia tenere..... ut Mona-*
,, *ſteria illa dent, partim Cardinalibus & Epiſcopis in*
,, *Commendam*. Principibus ſæcularibus in compen-
,, ſationem ſumptuum in bello factorum, militibus
,, in ſtipendium, & ipſis Jeſuitis ad fundanda Colle-
,, gia, Scholas, & Seminaria.... At enim talem do-
,, ctrinam eſſe ſacrilegam, & ſacrilegiorum magi-
,, ſtram, Symmachus Papa, & ſexta Synodus.. per-
,, ſpicuè docent.... Quod deindè ſuadent Monaſteria
,, Cardinalibus & Epiſcopis dari *in Commendam*, in
,, eo apertè contradicunt Spiritui Sancto, qui per
,, Concilia & Summos Pontifices docuit, id nihil
,, aliud eſſe, quam res Deo ſacras dare lupis in præ-

„ dam, quemadmodum videre eſt in Concilii Late-
„ ranenſis ſub Leone X. ſeſſ. 9. c. 3.... & Concilii
„ Trid. ſeſſ. 25. c. 21. & ex Clementis V. Bulla juri
„ Canonico inſerta. “ Unde Imperator Arnolfus in diplomate ſuo cauſam reddens propter quam Carolus Craſſus Germaniæ, Galliæ, Italiæ & magnæ partis Hiſpaniarum Dominus, à Deo deſertus, & Imperio dejectus, ſeſe ad mendicitatem redactum viderit, „ *Omnium*, inquit, *ſucceſſorum noſtrorum Magnitudo cognoſcat, poſtquam Patruus meus Carolus Imperator, pro petitione* Ratisbonenſis *Epiſcopi Embriconis, ſancti Emmerani Eccleſiam præſtavit, nunquam poſtea habuit victoriam, neque corporis & animi ſanitatem uſque ad finem vitæ ſuæ. Si quis ergo Imperator, aut Rex, eandem Eccleſiam alicui præſtet, in maledictione ſanctæ Mariæ, ſanctique Petri, ſucceſſorumque ejus, & omnium ſanctorum perſiſtat.*

„ Hinc omnes facilè judicare poſſunt, Jeſuitas, ut aviditatem ſuam explerent, & opulentis aliquot Monaſteriis potirentur, Epiſcopos, Principes, & Milites in ſacrilegii ſocietatem, & prædæ partem vocaſſe, idque eis ſuaſiſſe, quod toti Germaniæ funeſtum & luctuoſum futurum, non ex iſto tantùm Caroli Craſſi exemplo prædici potuit, ſed etiam ex multis aliis, quæ Baronius in Annalibus paſſim annotavit, quorum illuſtriſſimum eſt Alexii Commeni Imperat. anno 1082. Recitat ſimiliter Baronius eod. to. XI, Petri Bleſenſis verba ex epiſtola ejus 112. quorum nonnulla hîc quoque legi digna ſunt: *Si Rex Galliæ*, inquit, *iter pro ſubventione terræ Sanctæ arripere propoſuit, non de ſpoliis Eccleſiarum, non de ſudoribus pauperum, viaticum ſibi & ſuis exhibeat, ſed de reditibus propriis, aut de præda hoſtili bella Chriſti conficiat. Quæ ratio eſt, ut qui pro Eccleſia pugnant, Eccleſiam ſpolient, quam inimicorum ſpoliis & donis triumphalibus ampliare debuerant? Putantne inſipientes & miſeri, quòd Chriſtus, qui ſumma juſtitia*

„ *eſt,*

„ *eſt, velit ſibi de injuriis & ſacrilegio exhiberi ſatri-*
„ *ficium, aut ſuſtineat commiſſa ex his ſpolia proſpe-*
„ *rari? Si enim teſtimonio veritatis in ignem æternum*
„ *mittitur, qui ſua pauperibus non dedit: ubi, qua-*
„ *ſo, mittendus eſt, qui bona pauperum, vel Eccleſiæ*
„ *rapuit, aut fraudavit? Pro his & conſimilibus pec-*
„ *catis filii Ephraim, intendentes & mittentes arcum,*
„ *converſi ſunt in die belli. Nunquam pauperum, nun-*
„ *quam Eccleſiæ ſpolia proſperum habuerunt eventus au-*
„ *ſpicium.*"

„ His conſentanea ſunt Caroli Magni verba in l. 7. „ capital. *Novimus multa Regna, & Reges eorum,* „ *propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliaverunt, reſque* „ *earum alienaverunt, & militibus loco ſtipendii dede-* „ *runt* &c." Ecce igitur quàm exitioſam Imperatoribus, Regibus ac Principibus doctrinam, & quàm perniciosa conſilia ſuggerunt Jeſuitæ; quàmque periculoſè ſuam in ipſis confidentiam Reges ponunt.

A Regibus proindè & Principibus minuenda eſt nimia iſta confidentia, ut per conſequens minuatur nimia ipſorum potentia: utpote non ſolum Eccleſiæ, Regibus, Principibus eorumque ſtatibus, ſed & fidelibus omnibus, ſeu ipſorum ſaluti non minùs exitioſa, quàm doctrina ipſorum, & praxis, quam in conſiliis ſuis & confeſſionalibus ſequuntur. De eo aliquid dicturi ſumus Clangoribus ſequentibus.

CLANGOR XVIII.

Reformanda in Jeſuitis fallacia, & doli mali, in repræſentandis, ſub odioſa larva, aliorum ſibi adverſantium ſententiis; chriſtianæque ſinceritatis defectus in palliandis ſuorum exceſſibus.

IN Jeſuitis, aliorum ſibi adverſantium ſententias ſub odioſa larva repræſentantibus, ſicut & in palliandis ſuorum exceſſibus, ſeu opinamentis cenſurâ dignis, chriſtianam ſinceritatem deſiderari exemplis innumeris demonſtrativè probat Chriſtianus Alc-

thophilus in *Artibus Jeſuiticis.* Cui libro fidem non ſubſtulit Romana prohibitio (quidquid dixerit Huylenbroucq) utpote non declarans eo libro contineri propoſitiones à veritate alienas; ſed cum eo libro Jeſuitæ plurimùm redarguerentur de ſua inobedientia erga Pontificia Decreta, ad iſtamque invidiam à ſe repellendam, ad Suæ Sanctitatis pedes provoluti, ſolemniter proteſtarentur ac pollicerentur (utinam ſincerè, & absque fallacia ulla ac ſimulatione) omnimodam ſubmiſſionem ſuam erga Pontificium de Ritibus Sinenſibus Decretum; Sanctitas Sua, ut ipſos in ſua illa ſubmiſſione firmaret, volens ipſis parcere & gratificari, in conſolationem aliquam ipſorum prohibitionem libri illius permiſit. Sed extra urbem publicari non juſſit. Nec certè Author ille Jeſuitis quidquam tribuit, niſi invictis probatum argumentis, certiſque exemplis. Modicæ ſinceritatis ipſorum in re, tacentandis ſub odioſa larva ſententiis adverſariorum ſuorum, exempla videantur in libro illo Artific. VI. VII. VIII. XI. & XXI. In palliandis verò ſuorum exceſſibus & opinamentis Cenſura dignis Artificio XII. Artificio XV. proferuntur exempla, quibus convincuntur virorum integerrimorum Molinianas novitates, vel molliora ipſorum de moribus opinamenta refellentium, probitatem, modeſtiam, morum ſuavitatem ſimulatam aſſerere, eoque pallio hæreticum animum tegere.

Artificio XVI. quòd ad conciliandam ipſis populorum ac Principum invidiam, ipſis perperam imponant, quòd cultui Beatiſſimæ Virginis adverſentur.

Artificio XVII. & L. quod eumdem in finem ipſis impoſturam affingant hæretica dogmata, quæ deteſtantur, nec non errores quos diſertè rejiciunt.

Artificio XVIII. quòd eundem rurſus in finem in vulgum ſpargant ridiculas fabulas, frivolaque & injurioſa figmenta.

Cùmque per ſuas illas calumnias Eccleſiæ pacem ipſimet à tanto tempore perturbent, artificio XX. demonſtratur, quòd Moralis Chriſtianæ defenſores ipſi calumnioſè vocent pacis perturbatores.

Arti-

Artificio XXII. quòd inverecundè aſſerant, ſuas ſuorumque opiniones à ſolis hæreticis reprehendi.
Artificio XXVII. quòd licèt audacia magna tam exorbitantes opiniones ipſi ſuſtineant, ut nativum in ſe lumen extinxiſſe videantur; ne tunc quidem eas damnent, dum univerſus penè Orbis damnat, ſed tunc dicant, ſe nec eas probare, nec damnare.
Artificio XXXI. quòd Cenſuras in Sociorum libros, vel errores, latas fictâ ſubmiſſione eludant.
Artificio XXXII. quod ſiquando ad exactam ſubmiſſionem compellantur, ab ea modico poſt tempore reſiliant.
Artificio XXXIV. & XXXV. quòd præcipuarum Academiarum Sapientiſſimorum ac præcipuorum Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcoporum Cenſuras contemtui habeant.
Artificio XXXVII. quòd vanitatem ex ipſa etiam confuſione ſua captent, dum Epiſcoporum, Academiarumque Cenſuris Sociorum libri, erroreſque damnantur, eos pro Martiribus habendo, tanquam perſecutionem pro cauſa Dei paſſos.
Artificio XXXIX. & XL. quòd abſque fronte negent, ſuorum eſſe (dum revera eſt) damnatam doctrinam, eamque fateri damnabliem, dum publica adverſus eam fervet indignatio. Eam verò ut probabilem ſuſtinere, dum indignatio utcumque deferbuit. Ex his (quæ ibi ad oculum demonſtrantur) luce meridiana clarius elucet fallacia, mala fides & inſinceritas ipſorum, quam & uberius adhuc demonſtrant ea quæ iſtâ hæc Tuba perſonavit Clangore XVI. & XVII. An non ipſos è ſomno excitare deberet, ad cœlum uſque clamans, exemplum nuperæ fraudis Duacenæ ibi enarratum? Cum enim in Univerſitate Duacenſi plures Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſores Jeſuitis eſſent inviſi, eo quod Molinianis novitatibus, Jeſuiticiſque laxitatibus adverſarentur: propterea eos dolis malis, fraudibus, fallaciis, perfidiis, impoſturis, mendaciis, ſimulationibus (quæ videri poſſunt in libro cui titulus,

Recapitulation des faits de la fourberie de Douai) ſub prætextu detegendi ſecretam mentem ipſorum, ut ipſos opprimerent, prout revera oppreſſerunt, leges omnes humanæ ſocietatis, & civilis honeſtatis violaverint, rei facti vitiorum omnium quæ hiſce verbis Tullius enarrat l. 3. de Offic: *omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe* (ad ipſis credendum) *cum ſit tot vitiis inquinatum .... Hoc autem celandi genus, quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? Certe non aperti, non ſimplicis eſt, non ingenui, non juſti, non viri boni, verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri.* Quàm bellè depictus Jeſuiticus genius! Sed quàm contrarius rationi, bonæ fidei, æquitati, humanæ ſocietati. Et quid, niſi de talibus dictum eſt Eccli. 37. *qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, in omni re refraudabitur; non eſt illi data à Domino gratia, omni enim ſapientia defraudabitur.*

In eo tamen genio Jeſuitæ perſeverarunt, etiam reſpectivè ad Decretum Suæ Sanctitatis de die 20. Novembris 1704. & adhuc perſeverant, uti perſpicue demonſtrant ſapientiſſimi Domini de Seminario Pariſienſi Miſſionum peregrinarum, in ſolidiſſimo Reſponſo ſuo ad proteſtationem & reflexiones Jeſuitarum dato Pariſiis 15. Octobris 1709. cujus ad nos non pervenit niſi ſecunda Editio anni 1711. Eo in reſponſo manifeſta faciunt, Jeſuitarum malam fidem, tergiverſationes, fallacias, & ſubdolas artes Jeſuitarum ſemper promittentium & promiſſa nunquam implentium, ſed ſemper ſubterfugientium obedientiam à Chriſtianis omnibus debitam Decreto illi, poſt tot Conſultationes, Eminentiſſimorumque Cardinalium diligentiſſimas diſcuſſiones à S. D. N. Clemente XI. ad finiendam de Ritibus Sinenſibus à tanto tempore excitatam controverſiam edito. Et iſti Domini ſunt ſapientiſſimi, deque Chriſtiana religione optime meriti viri, qui à Sua Sanctitate Decretum illud impetrarunt; ſed iſtam ob cauſam Jeſuiticas perſecutiones & calumnias non evaſerunt, nec ſolemnem illam, Jeſuitiſ-

que familiarem de Janſeniſmo objectionem. Sed eam in ipſosmet egregie retorſerunt, prout videbitur Clangore ſequenti.

CLANGOR XIX.

Reformandus in Jeſuitis Chino-Janſeniſmus, ſeu eluſiones Deciſionum S. Sedis, quas Janſeniſtis Jeſuitæ objiciunt.

POſtea quàm laudati Sapientiſſimi Miſſionum peregrinarum Domini, in memorato libro edit. 2. pag. 3. demonſtrarunt, Jeſuitarum de ſua ad Deciſiones S. Sedis obedientia proteſtationes inſinceras eſſe, fallaces, illuſorias. Pag. 16. Jeſuitas inobedientes eſſe Pontificio Decreto. Pag. 16. & 114. illud ab ipſis falſificari. Pag. 30. nimis audacem eſſe ipſorum agendi modum erga Sanctiſſimum Dominum, & Eminentiſſimos Cardinales. Pag. 34. perditam ab ipſis in China Religionem Chriſtianam. Poſt hæc, inquam, pag. 117. per Parellelum inter modum agendi Jeſuitarum in China, & Janſeniſtarum (prout ipſi clamant) in Gallia; clare ac perſpicue demonſtrant Jeſuitas non immeritò cenſeri Chino-Janſeniſtas. Primò quia Janſeniſtis objiciunt (verè an falſò, hìc non examinatur) (*a*) quod Epiſcoporum judicium parvi faciendo, ipſos compulerint cauſam ipſorum ad S. Sedis tribunal deferre, quia acquieſcere noluerunt judicio Cleri Gallicani. Et an non idem, imo longè pejus fecerunt Jeſuitæ; in Chinenſi, ſeu ſinenſi negotio, dum ſe ſubmittere recuſarunt Vicariis Apoſtolicis, legitimis Superioribus ſuis, ipſi etiam Eminentiſſ. D. Cardinali Turnonio, Legato à

(*a*) De his omnibus objectionibus vide ſcriptum Gallicum cui titulus eſt, *Reponſe ſommaire aux reproches que Meſſieurs des Miſſions étrangeres ſont faire par les Jeſuites aux prétendus Janſeniſtes.* Exſtat ad calcem operis quod inſcribitur: Avertiſſement ſur les pretendues retractations des Religieuſes de Port Roial des Champs. 1711.

Litere Sanctitatis ſuæ, auſi appellare ab ipſius judicio ſeu Decreto, appellatione prorſus illegitima, prout S. Sedes declaravit.

Secundò, Janſeniſtis objiciunt, quòd recuſarint agnoſcere quinque famoſas propoſitiones ex Janſenii Auguſtino fideliter extractas fuiſſe. Et ipſi agnoſcere renuunt fidele eſſe expoſitum ab Eminentiſſ. DD. Cardinalibus, Superioribus ſuis, poſt exactiſſimam diſcuſſionem fideliſſime factam Suæ Sanctitati de Ceremoniis Confucii & Progenitorum, prout in Sina obſervantur.

Tertiò, Janſeniſtis objiciunt variationem in ſenſu, quem quinque propoſitionibus dederunt. Et an non ipſi decem vicibus variarunt Syſtema doctrinæ de Ritibus Sinenſibus? Modò dicentes ſolos veteres Sinenſes Deum verum agnoviſſe, Noviores omnes in Atheiſmum incidiſſe. Modò Sinam omnem adhuc hodie Deum verum agnoſcere. Modò veri Dei cognitionem apud ſolos eruditiores paucos ſecretò conſervari, à pauciſque (quorum caput eſt Imperator) Deum verum adorari; Cùm tamen certum ſit Imperatorem partim idola colere, partim atheum eſſe.

Quartò, Janſeniſtis objiciunt, quòd ſe SS. Pontificum Bullis & Conſtitutionibus non ſubjiciant, ſed eas omnes eludere annitantur per violentas interpretationes. Et quid Jeſuitæ ipſi à tot annis fecerunt, & adhuc faciunt, in Chriſtianiſmi opprobrium, falſis expoſitionibus ſuis, tam veneranda Decreta elidendo, præſertim illud anni 1704. quo cauſam illam finitam Sua Sanctitas declaravit.

Quintò, Janſeniſtis objiciunt, quòd malitioſè adinvenerint diſtinctionem juris & facti, quaſi duorum ab invicem ſeparabilium, cum inſeparabilia ſint. Et an non ipſi duo illa ſeparant? Aliudne habent refugium, quo ſuam palliant inobedientiam, in Sinenſi negotio, niſi diſtinctionem illam? Siccine apud ipſos eſt ſtatera & ſtatera, pondus & pondus? An non Eutropio ſimiles ſunt celebri Eunucho Arcadii Imperatoris, cui S. Chriſoſtomus tanta cum libertate exprobravit, quod Impera-

peratorem induxiſſet ad tollendam Eccleſiarum immunitatem; qua paulò pòſt primus indiguit, ad ſeipſum ſalvandum à proximo vitæ periculo.

Sextò, Janſeniſtis objiciunt, quòd Eccleſiæ infallibilitatem non agnoſcant in factis decidendis. Et an non ipſi, qui Papæ infallibilitatem ſe ſe agnoſcere gloriantur in decidendis factis (& reipſa agnoſcunt, dum hoc exigit Societatis intereſſe) an non, (inquam) ajunt, cum nova expoſitione facti Confucii, ſibi ſemper patentem fore recurſum contra judicium S. Sedis, Sinenſi in judicio? Aſſerunt quidem ingens eſſe diſcrimen inter factum Janſenii, & factum Confucii, quòd prius ſit factum doctrinale, poſterius mere perſonale. Verum nec oſtendunt, nec oſtendere poſſunt, factum Confucii ſeparatum eſſe à jure primi Decalogi præcepti; *non facies tibi ſculptile* (ſeu Idolum) *ut adores illud.* Et unde habent quòd Eccleſiæ obediendum non ſit niſi in factis doctrinalibus? Unde probant Confucii factum eſſe mere perſonale? An non agitur de ſenſu terminorum expreſſorum, & quidem idiomate Eccleſiæ ignoto, ſed in idioma Latinum ab Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis, Miſſionariiſque fideliter traductorum? Quis neſcit Eccleſiam ſuper hujuſcemodi traductionibus frequenter judicaſſe de Authoribus qui alio ſcripſerunt idiomate? Exempli gratia de facto Honorii in Concilio VI. Oecumenico. Quomodo alioqui Eccleſia Nationum foret Magiſtra? Quomodo eas regere poſſet? Solumne Spiritus Sanctus aſſiſtit ipſi, dum latino loquitur idiomate? Quid quod præter idioma vocale, ſeu arbitrarium & artificiale, aliud ſit naturale, populis omnibus commune, idioma utique actionum? Jam verò apud Sinenſes ædificium conſpicitur per modum templi conſtructum, Altare cum dimenſionibus ſuis, eo loco collocatum quo eſſe oportet altare, floribus, thymiamatibus, cereis accenſis ornatum. Animalia quoque conſpiciuntur jugulata cum precationibus & ceremoniis veneratione plenis; variæ ibi victimæ oblatæ, vinum effuſum; Viri quorum conditio & officium ſpeciale eſt altaris fungi miniſterio, cum veſti-

bus ſpecialibus functioni iſti convenientibus; eſcæ denique aſſiſtentibus diſtributæ; totumque iſtud ad honorandum, non Ens entium, ſed homines in Paganiſmo defunctos. Fierinè poteſt quod Eccleſia, per Miniſtros ſuos, teſtis omnium quæ iſtis in occaſionibus fiunt, ſufficientem non habeat intellectum, ad ferendum certum de iis judicium, & ad legendum in naturali textu illo, tam promptè & intelligibiliter, quàm ſi legeret in textu librorum melioribus typis idiomate ſibi noto editorum?

Septimo, Janſeniſtis Jeſuitæ objiciunt, quòd dicant, factum Janſenii, factum eſſe controverſum, dum ipſi ſoli illud in controverſiam revocant. Et quid ipſi, ut non admittant veritatem expoſitionis de facto Confucii factæ ab Eminentiſſ. Cardinalibus S. Officii? Aliudne contendunt, quàm factum illud eſſe controverſum? Per quos controverſum? per ſolos Jeſuitas, pauciſſimoſque ipſis devotos.

Octavò, Janſeniſtis objiciunt, quòd perennem exigant ſuæ litis reviſionem, quodque conquerantur ſe ſatis auditos non fuiſſe. Et quid aliud ipſi poſtulant, niſi ut ſemper reiteretur examen Sinenſis negotii, auditis licèt toties, à tanto tempore, in judicio contradictorio partibus, tam ſolidè diſcuſſi & judicati? Nec ceſſare volunt, niſi ad aliud redeatur judicium ipſis favorabile? Abſque ulla tamen hæſitatione aſſeritur ſolem non eſſe magis lucidum, quàm quòd per longe plura, magis longa, magis numeroſa examina tranſierit Confucii cauſa, quàm cauſa Janſenii. Si ergo iniquitatis criminis reos Jeſuitæ cenſeant Janſeniſtas, in eo quod Janſenii cauſam (prout ipſi dicunt) revocari velint ad novum examen; gravioris iniquitatis ſeſe reos agnoſcere debent dum id ipſum volunt pro Confucii cauſa.

Nono, Janſeniſtis exprobant Jeſuitæ, quòd per inſignem malam fidem non pugnent pro Janſenii facto, niſi pro jure ſalvando, ſuſtinendiſque ſemper erroribus damnatis in quinque propoſitionibus, non obſtante quod altè proteſtentur à ſe errores illos toto corde

dam-

damnari. Et nonne hoc ipſum Jeſuitæ faciunt? Quem enim alium in finem Sinicos Ritus ſeu Confucii Ceremonias favorabiliter exponunt, niſi ut Ritus illos defendant ut innexios, quos tamen Papa damnavit ut idololatricos?

Decimò, exprobrant Janſeniſtis, quòd ut ad maledictum intentum ſuum perveniant (ad ſalvandum utique jus per factum) alium iiſdem verbis dent ſenſum in quinque propoſitionibus, alium in libro Janſenii, alium dum Catholicis loquuntur, alium dum ſibi invicem, & hominibus ſectæ ſuæ. Et an non hoc quoque ipſum Jeſuitæ faciunt, dum ſe inſiſtere aſſerunt praxi Patris Ricci, ſub confuſo illo termino quidquod lubet operientes, ac per hoc Romæ dantes intelligi à ſe damnari Ceremonias ſolemnes Confucii, & in China quòd eas approbent.

Undecimò, tandem, exprobrant Janſeniſtis, quòd in Conſtitutione S. D. N. Clementis XI. damnatum agnoſcere nolint ſilentium reſpectuoſum circa Janſenii factum. Qua in re ipſorum injuſtitiam convinci putant, ex eo quòd iſtud præciſè fuerit, de quo agebatur, quando à S. D. N. poſtulata fuit Conſtitutio, & ſine quo Sua Sanctitas rei ſibi propoſitæ non ſatisfeciſſet. Et quid ipſi? Dum in penultimo Suæ Sanctitatis Decreto reperire nolunt abſolutam deciſivamque damnationem cultuum Sinenſium, nonne juſtam nobis dant cauſam, de eadem injuſtitia ipſos convincendi, de verboque ad verbum illis applicandi illud ipſum quod Janſeniſtis objecerunt, utique illud ipſum fuiſſe de quo agebatur dum Decretum fuit poſtulatum, & ſine quo (id eſt ſine abſoluta deciſivaque cultuum illorum damnatione) rei ſibi propoſitæ Papa & Cardinales non ſatisfeciſſent, ſed utramque partem inſatisfactam reliquiſſent.

Ad litteram proinde Jeſuitæ nos compellunt ad ipſis objiciendum quidquid ipſi Janſeniſtis, à tot annis. Nec hoc facimus niſi ad vindicandas Pontificias Deciſiones ac Decreta, dum Jeſuitis aliud propoſitum eſſe non videtur, niſi ea pertinaciter eludere, oppugnare, rejicere

Eſtque iſtud obſervatione dignum, quod inſuper redarguant Janſeniſtas, quòd Formulario Alexandri VII. pure & ſimpliciter ſubſcribere nolint, dum ſeipſos

ſos ex adverſo ipſi magis reprehenſibiles reddunt in eo quòd impio Imperatoris Ethnici Formulario tam facile ſubſcribant.

Quomodo immemores facti ſunt aureæ D. Chriſoſtomi ſententiæ, quòd ab hominibus minus obſerventur dicta noſtra, quàm facta, quodque zelo zelatus eſſe volens, regulato & utili, ea facere non debeat, quæ in aliis corripit & damnat. *Qui alios doces*, ait Apoſtolus, *teipſum non doces*.

Fateor quidem differentiam eſſe magnam inter factum Janſenii, factumque Confucii; ſed differentiam qua Jeſuiticus agendi modus magis redditur criminoſus. In facto quippe Janſenii de materiis agitur ſpeculativis, de materiis utique gratiæ, valde ſublimibus, & cognitu difficilibus; quibus proinde cognoſcendis pauci fidelium capaces ſunt. In factò verò Confucii, de ſuperſtitionibus agitur, & idololatriis palpabilibus, in praxi quotidie revertentibus, quibus cognoſcendis, & volendis Sinenſium mentes, ſaltem ſecundum præparationem cordis ſui, actu occupantur, delectanturque. Illud quod in toto iſto negotio magis lamentabile eſt, ac terribile, eſt, quod, ſi fides Jeſuitis, prorſus deſperata eſſet Sinenſium converſio & ſalus, itaut extremam hujuſce Paralleli partem abſolvant, in eo Janſeniſtis ſimiles, in quo ipſos criminantur, quòd Dei mandata reddant impoſſibilia. Nam revera Jeſuitæ per ſuum agendi modum apud Sinicum Imperatorem impoſſibile toti Sinenſi Imperio reddunt Dei mandatum, *Convertimini ad me*.

Nec dicere poſſunt Jeſuitarum devoti, parallela iſta omnia in terram recidere per unicum diſcrimen, quòd Janſenii factum à S. Sede ſit deciſum, non factum Confucii. Diſcrimen quippe iſtud negamus, & dicimus duplicem eſſe modum decidendi factum aliquod; vel utique illud directe & formaliter exprimendo, vel manifeſte ac neceſſario ſupponendo, qui modus eſt deciſio quædam virtualis & indirecta, certiſſime æquivalens formali. Sancta itaque Sedes formali expreſſaque deciſione declaravit facta Sinenſia, ſeu Sinenſes

Ritus

Ritus eo modo quo ſibi & Eminentiſſimis Cardinalibus fuerunt propoſiti; & ab ipſis mature ac diligentiſſime diſcuſſi, ſuperſtitioſos, ſeu idololatricos, virtuali verò deciſione, declaravit, eoſdem Ritus revera exacte expoſitos fuiſſe.

Hoc modo infinita facta, virtuali deciſione omni tempore in Eccleſia fuerunt deciſa. Sic dum deciſa fuerunt facta Honorii, Ibæ, Theodori, Theodoreti, Origenis, & ſimilia multa, expreſſè declaratum non fuit, quod inter varias expoſitiones Scriptorum vel Librorum iſtorum Authorum tales bene, tales male exponebant; nec formaliter declarabatur, quod verſio iſta, iſtud exemplar, iſta expoſitio (ſuper qua judicium ferebatur) fidelis eſſet, altera, quæ non admittebatur, infidelis. Sed opera damnabantur velut certos errores continentia, vel eis faventia. Quod ſatis erat. Inde enim manifeſtè ſequebatur, talem facti expoſitionem veram, alteram veram non eſſe. Similiter hic, Sinenſi in negotio, Sanctæ Sedi viſum non fuit directe ac formaliter pronuntiare ſuper variarum Expreſſionum (Romæ à particularibus factarum) veritate aut falſitate, ſed mature perpenſa fideli relatione factorum Sinenſium, ab ipſiſmet Eminentiſſimis Cardinalibus, poſt exactiſſimam diſcuſſionem facta, S. Sedes formaliter declaravit tales & tales cultus ſuperſtitioſos eſſe, & idololatricos; eo ipſo proinde virtualiter declaravit, eorum expoſitionem veram eſſe, & bonam, qui eos expoſuerunt modo ſuperſtitionem ſignificante, illos verò falſam qui expoſuerunt modo ſolum cultum civilem deſignante.

Hoc totum bene, replicabunt Jeſuitarum devoti, ſi deciſio foret abſoluta; aſt Jeſuitarum prætenſio eſt, quòd non ſit niſi conditionata. Sed peſſima eſt prætenſio iſta; utpote per quam demonſtravimus ab ipſis Decreti ſenſum corrumpi, quemadmodum ab ipſis corruptum fuit Mandatum ipſi conſonum Eminentiſſimi D. Cardinalis Turnonii.

Aſt tandem (concludet aliquis, ut difficultatem hanc ad ultimam uſque præciſionem perducat) negari non poteſt, quod ſi Ritus Sinenſes damnati ſint, hoc ideo eſſe

eſſe, quia S. Sedes ſuppoſuit expoſitionem, ſibi à Cardinalibus factam, eſſe veram; ſi ergo deinceps reperiatur falſa, nulla erit damnatio. Hoc extra dubium eſt: nihil in eo niſi certum. At quiſquis rem benè perpenderit, eandem ſuppoſitionem inveniet in omni alio negotio & praxi Religionis. Momentoſum eſt videre, an ſuppoſitionis veritas & fundamentum revocari poſſit in dubium.

Sanctos Ignatium, & Franciſcum Xaverium, non honoramus, niſi quia ſupponimus ipſos eſſe ſanctos. Verùm iſta noſtra ſuppoſitio fundata eſt in judicio Eccleſiæ de ipſorum ſanctitate. Nec Chriſtum in Euchariſtia adoramus, niſi quia ſupponimus in ea realiter eſſe præſentem. Sed & ſuppoſitio iſta fundata eſt, partim in fidei articulo, partim in morali certitudine quod talis hoſtia ſit conſecrata.

Sinenſes cultus non damnantur, niſi quia deprehenduntur ſuperſtitioſi; nec tales deprehenduntur, niſi ſupponendo veritatem factæ de eis Expoſitionis: Verùm ſuppoſitio iſta fundata eſt in exactiſſimo & diligentiſſimo de iis examine, quale fit in canonizatione Sanctorum. Porrò examinis iſtius objectum principale haud dubie fuit factorum propoſitorum veritas. Omnia iſta ſe invicem conſequuntur, omnia ſecundum ordinem, omnia ſe ſe mutuo ſuſtinent. Soli Jeſuitæ omnia confundunt ac perturbant. An forte nos compellere volunt ad adjiciendum ſuperiori parallelo gradum unum ſimilitudinis, inter ea quæ dicunt de Janſeniſtis, & ea quæ ipſi faciunt? Janſeniſtis exprobrant, quòd dicant, quinque propoſitiones à ſe damnari omni ſenſu, quo damnantur ab Eccleſia, damnarique ubicumque, & in quocumque libro reperiuntur, etiam in Janſenio, ſi ſint in Janſenio, quia in eo revera eſſe negant. Et an non etiam ipſi Jeſuitæ omnibus dant intelligi, à ſe toto corde damnari cultus Sinenſes, à S. Sede damnatos? ubicumque etiam apud Sinas, ſi ibi ſint in praxi; quia revera placet ipſis negare, apud Sinenſes ſenſu damnato eſſe in praxi. Hactenus ſapientiſſimi illi Domini Miſſionum peregrinarum.

CLAN-

CLANGOR XX.

Reformanda eſt in Jeſuitis inſinceritas, ſicut in dictis, ſcriptis & informationibus ſuis, ſic & in promiſſionibus ac proteſtationibus, etiam Summo Pontifici factis.

DE ipſorum inſinceritate, in dictis, ſcriptis & informationibus circa dicta & ſcripta Adverſariorum ſuorum ſatis dictum eſt Clangore 18. Ipſorum quoque inſinceritatem, in promiſſis & proteſtationibus ſuis, etiam Summo Pontifici factis, per plures paginas demonſtrarunt ſapientiſſimi Domini Miſſionum extranearum in laudato reſponſo ſuo ad proteſtationem Jeſuitarum, oſtendentes quòd omnimodam ſuam ſubmiſſionem ad Decretum Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis XI de die 20. Novembris 1704 ſemper promittant, ſed opere numquam demonſtrant; nec ad opere demonſtrandam ſinceritatem verbalis ſuæ promiſſionis, proteſtationiſque, uſque in præſens è templis ſuis ſuſtulerunt anathemate damnatam inſcriptionem Kim-tien, *adorate cælum*, nec novis Chriſtianis ſuis prohibuerunt aſſiſtere Sacrificiis & aliis pariter damnatis ceremoniis ſolemnibus, quibus honoratur Confucius. Nihil horum, à ſe opere præſtitum, uſque in hodiernum diem oſtendere poſſunt; jamque omnibus eſt notiſſimum, quòd horrendum in modum perſecuti fuerint Illuſtriſſimum D. Epiſcopum Cononenſem, Vicarium Apoſtolicum, & Eminentiſſimum D. Cardinalem Turnonium, Sedis Apoſtolicæ à Latere Legatum, pro eo quòd ipſos adſtringere voluerunt ad ſinceram Decreti ſuprà dicti executionem.

Videamus an magis ſincera ſit ſolemnis proteſtatio, quam Reverendiſſimus Pater Michael Angelus Tamburinus, Generalis Societatis, ad pedes S. D. N. Clementis XI. provolutus, cum Aſſiſtentibus Nationum & Procuratoribus Provinciarum, Menſe Novembri anno 1711. congregatis, fecit ſub hoc tenore.

DE-

DECLARATIO

Reverendiſſimi P. Michaelis Angeli Tamburini, Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu, ſuper poſtulato unanimiter ſibi facto à RR. PP. Aſſiſtentibus Nationum, & Procuratoribus Provinciarum ejuſdem Societatis Romæ congregatis menſe Novembris 1711. *Sanctiſſimo D. N. D. Clementi XI. Pontifici Maximo humiliter* (1) *oblata ab eodem P. Præpoſito Generali die* 20. *ejuſdem menſis.*

„ Reverendiſſimus Pater Michael Angelus Tamburinus Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, provolutus ad pedes Sanctiſſ. D. N. D. CLEMENTIS divinâ providentiâ Papæ XI. in Palatio Apoſtolico Quirinali, unâ cum PP. Aſſiſtentibus Nationum, ac Procuratoribus ſingularum Provinciarum dictæ Societatis, obtulit Sanctitati Suæ per modum ſupplicis libelli ſcripturam tenoris, qui ſequitur, videlicet:

Foris:

„ Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI Papæ XI. Pro Præpoſito Generali Societatis Jesu.

Intùs verò:

„ Inter poſtulata, quæ Patres Procuratores miſſi Romam è ſingulis Societatis Jesu Provinciis ad conſuetam Congregationem Procuratorum indictam in hunc menſem Novembrem anni MDCCXI. propoſuêre, unum fuit præ cæteris ſummâ oblatum contentione, & acerrimis omnium ſtudiis, votiſque commendatum, tamquam longè maximi ad ſuarum Provinciarum pacem, & exiſtimationem momenti.

„ In hoc poſtulato ſignificant Præpoſito Generali lacerari (2) Societatis univerſæ nomen indigniſſimâ accuſatione, quæ illi majorem inurit dolorem, quàm innumerabiles aliæ accuſationes, obtrectationes, &

„ calum-

„ calumniæ contra eamdem fabricari & diſſeminari ſolitæ; & quâ ſe fatetur ad vivum vulnerari, & pupillam oculi ſui tangi.

„ Accuſationem hanc (3) vehementiores Adverſarii „ his verbis informant. * *Erga Decreta Pontificia præ „ cæteris exactam ſubmiſſionem, cæcamque obedientiam „ buccinant Jeſuitæ; ab ea tamen præ cæteris deficiunt „ dum ad ſalivam decreta non ſunt.....*

„ *Religioſos Societatis præ cæteris inobedientes eſſe Con- „ ſtitutionibus Apoſtolicis.*

„ Eam ob rem prædicti Patres Procuratores, ad re- „ fellendam omni ope tam probroſam, quàm à veri- „ tate alienam accuſationem, ſimulque (4) ad declaran- „ dum Societatis dolorem, cùm ſe tam gravi, tam a- „ cerbo vulnere petitam ſenſit; unâ voce poſtularunt, „ ac faciendum judicarunt, ut ſolemni, & legitimâ „ quâdam actione, quæ vim & locum obtineret cu- „ juſcumque Apologiæ, Præpoſitus Generalis Societa- „ tis, nomine totius Ordinis, confirmaret, conteſtare- „ tur, ac declararet, provolutus ad Sanctitatis Suæ „ pedes, & coram Eccleſia univerſa, conſtantiſſimam, „ immutabilem, invictam totius Societatis Jeſu fidem, „ in amplectendis, obeundis, & ad ultimum uſque „ ſpiritum exequendis, quæcumque fuerint à Sede „ Apoſtolica præſcripta, conſtituta, & imperata; & „ nominatim quod ſpectat ad Decreta per Suam Sancti- „ tatem edita de ritibus Sinenſibus tùm anno MDCCIV. „ die 20. Novembris, tùm anno MDCCX. die 25. Sep- „ tembris; quæ quidem Decreta, etiam prout à San- „ ctitate Sua explicata & expoſita fuerunt in literis „ ejus nomine ſcriptis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſ- „ ſimo Domino Aſſeſſore Sancti Officii ad Reverendum „ admodum Patrem Præpoſitum Generalem Societa- „ tis ſub die 11. menſis Octobris anno 1710. inconcuſ- „ ſe, & inviolabiliter, ſub cenſuris & pœnis ibidem „ expreſſis, ſine ulla contradictione, tergiverſatione, „ aut cunctatione, quovis contrafaciendi quæſito colo- „ re, aut prætextu penitus ſublato, ſibi adamuſſim ob- ſer-

* In lib. *Artes Jeſuiticæ* p. 537.

„ ſervanda, & exequenda, ſpontè, & ultrò admittit,
„ & amplectitur Societas univerſa: atque ita obloquen-
„ tium ora obſtructum iri confidit. (5)

„ Huic poſtulato unà cum Patribus Aſſiſtentibus ii-
„ dem Patres Procuratores Romæ convocati propria
„ manu ſubſcripſere.

„ Michael Dias Aſſiſtens Luſitaniæ. Andreas Waibl
„ Aſſiſtens Germaniæ. Joannes Vincentius Imperialis
„ Aſſiſtens Italiæ. Guillelmus Daubenton Aſſiſtens Fran-
„ ciæ. Ludovicus de Monteſdoca Aſſiſtens Hiſpaniæ.
„ Matthias Karski Procurator Lituaniæ. Richardus
„ Plowden Procurator Angliæ. Stephanus Sczainecki
„ Procurator Poloniæ. Joſeph Vicecomes Procurator
„ Provinciæ Mediolanenſis. Carolus Franciſcus Dema-
„ chault Procurator Campaniæ. Carolus Dauchez Pro-
„ curator Franciæ. Joſephus Preiſſ Procurator Ger-
„ maniæ Superioris. Joannes Baptiſta Spinula Procu-
„ rator Provinciæ Romanæ. Antonius Mileſius Pro-
„ curator Provinciæ Venetæ. Andreas Dehmaz Pro-
„ curator Rheni Superioris. Joannes Petrus Du For-
„ nel Procurator Provinciæ Toloſanæ. Gaſpar Buhon
„ Procurator Provinciæ Lugdunenſis. Balthaſar Wei-
„ man Rheni Inferioris Procurator. Gavinus Silveſter
„ Lecca Procurator Sardiniæ. Joannes De Bruyn Pro-
„ curator Flandrobelgii. Franciſcus Reſcalli Procura-
„ tor Auſtriæ. Joannes Capeta Procurator Bohemiæ.
„ Dominicus Viva Procurator Neapolitanæ. Joannes
„ Baptiſta De Fourmeſtraux Procurator Gallobelgicæ.
„ Antonius Franciſcus Joſeph Provana Procurator Si-
„ nenſis.

Beatiſſime Pater.

„ Tam juſtis, tam gravibus, ac neceſſariis PP. Pro-
„ curatorum poſtulatis obſecundans Præpoſitus Gene-
„ ralis Societatis Jesu ad Sanctitatis Veſtræ pedes hu-
„ millimè provolutus, quocumque optimo, ac certiſ-
„ ſimo modo poteſt, cum omni aſſeveratione, ac ſin-
„ ceritate, ſuo, ac totius Societatis nomine profitetur, (6)
„ ac declarat Sanctitati Veſtræ, & Sanctæ Sedi Apo-
„ ſto-

„ ſtolicæ, conſtantiſſimum obſequium, reverentiſſi-
„ mam ſubmiſſionem, & obedientiam cæcam, in am-
„ plectendis, & exequendis quæcumque per eamdem
„ Sanctam Sedem decreta fuerint, & imperata; iiſ-
„ que potiſſimum, quæ circa Sinicos ritus edita ſunt,
„ tùm anno MDCCIV. die 20. Novembris, tùm anno
„ MDCCX. die 25. Septembris. Quæ quidem Decre-
„ ta, etiam prout à Sanctitate Veſtra explicata & ex-
„ poſita fuerunt in litteris Sanctitatis Veſtræ nomine
„ eidem Præpoſito Generali ſcriptis ab Illuſtriſſimo &
„ Reverendiſſimo Domino Aſſeſſore S. Officii ſub die
„ 11. Octobris anno 1710. inconcuſſè, & inviolabili-
„ ter, ſub cenſuris & pœnis ibidem expreſſis, ſine
„ ulla contradictione, tergiverſatione, aut cunctatio-
„ ne, (7) quovis contrafaciendi quæſito colore, aut præ-
„ textu penitùs ſublato, ſibi adamuſſim obſervanda, &
„ exequenda, ſponte & ultrò admittit, & amplecti-
„ tur Societas univerſa. Teſtatur autem idem Præpo-
„ ſitus Generalis hanc eſſe vocem, (8) hoc votum, hunc
„ ſpiritum Societatis univerſæ: hunc & futurum eſſe,
„ ſicut proculdubiò ſemper fuit.

„ Quod ſi quis (9) nihilominus è noſtris eſſet ubicum-
„ que terrarum (quod avertant Superi) qui aliter ſen-
„ tiret & loqueretur, aut locuturus eſſet: nam (10) id
„ omninò prævenire, aut impedire nulla ſatis poteſt
„ humana prudentia, in tanta Subditorum multitudine:
„ declarat, (11) aſſerit, ac profitetur Præpoſitus Generalis
„ nomine totius Societatis, ſe jam nunc illum repro-
„ bare, repudiare; ac merita caſtigandum pœna, ne-
„ que agnoſcendum pro vero & genuino filio Societa-
„ tis: Illum tamquam degenerem, & non ſuum,
„ habebit, uti tales ſemper habuit, (12) & modò habet
„ Societas, & quantum poterit, (13) ſemper compeſcèt,
„ comprimet & conteret.

„ Ea mens, hoc propoſitum, ea conteſtatio So-
„ cietatis eſt, quam ejus totius nomine deponit ad
„ Sanctiſſimos Pedes Beatitudinis Veſtræ Præpoſitus
„ ipſius Generalis; ut indè per univerſam diſſemine-
„ tur, ac ſpargatur Eccleſiam. Quod ſi (14) ad exprimen-

„ dam

„ dam efficaciùs Societatis in hac proteſtatione men-
„ tem, inveniri verba poſſent clariora, & magis ſigni-
„ ficantia, aut formulæ magis diſtinctæ, diſertæque,
„ ad obſtruendum omnem cavillationibus, & ſiniſtris
„ interpretationibus aditum; intendit, optat, vult
„ Præpoſitus Generalis, ut ea, quæ in hoc ſcripto ad-
„ hibet, verba vim omnem aliorum quorumcumque
„ magis idoneorum habeant: fateturque ſibi non oc-
„ curriſſe ulla meliora & apertiora, quibus veram, &
„ ſinceram totius Societatis mentem declararet.

Ex Domo Profeſſà Romana die 20. Novembris 1711.

Ita fatetur & proteſtatur MICHAEL ANGELUS
Tamburinus Præpoſitus Generalis.

„ Idem verò Sanctiſſimus Dominus Noſter (15) ſu-
„ pradictos Patres Præpoſitum Generalem, necnon
„ Aſſiſtentes Nationum, ac Procuratores Provincia-
„ rum ejuſdem Societatis, quam Sanctitas Sua in viſ-
„ ceribus gerit Paternæ ſuæ Charitatis, benignè ex-
„ cepit: oblatamque ſibi declarationem præmiſſam Ty-
„ pis mandari, ac pervulgari poſſe permiſit.

In hac Declaratione quatuor ſunt reflexione digna. Primum, quòd in ea dicatur, *lacerari Societatis nomen indigniſſima accuſatione, quæ illi majorem inurit dolorem, quàm innumeræ aliæ accuſationes, obtrectationes & calumniæ, contra eandem fabricari & diſſeminari ſolitæ.*

Secundum, quòd *accuſationem vehementiores adverſarii his verbis informant:* „ Erga decreta Pontificia
„ præ cæteris exactam ſubmiſſionem, cæcamque obe-
„ dientiam ſuam buccinant Jeſuitæ; ab ea tamen præ
„ cæteris deficiunt, dum ad ſalivam decreta non ſunt.

Tertium, quòd *ad refellendam omni ope tam prolroſam, quàm à veritate alienam accuſationem... Præpoſitus Generalis Societatis, nomine totius Ordinis, confirmaret, conteſtaretur, ac declararet... conſtantiſſimam immutabilem, invictam totius Societatis Jeſu fidem in amplectendis, obeundis, & ad ultimum uſque ſpiritum exequendis quæcumque fuerint a Sede Apoſtolica præſcripta... & nominatim quod ſpectat ad decreta per ſuam Sancti-*

tatem edita de Ritibus Sinenſibus, &c.

Quartum, quòd *teſtatur idem Præpoſitus Generalis hanc eſſe vocem, hoc votum, hunc ſpiritum Societatis univerſæ; hunc & futurum eſſe, ſicut procul dubio ſemper fuit.*

Circa hanc Declarationem quatuor ſunt quæſtione & reflexione digna. Primum eſt, an verum ſit *innumerabiles accuſationes* indignas, *obtrectationes & calumnias contra Societatem fabricari & diſſeminari ſolitas*. An non potiùs verum, innumerabiles calumnias adverſus innocentiſſimos Viros, Societati inviſos, à Sociis ſolitas fabricari & diſſeminari?

Secundum, an accuſatio de eo quod Socii præ cæteris inobedientes ſint decretis Eccleſiæ & Summorum Pontificum, reverâ ſit *indigniſſima*, ſeu calumnioſiſſima, id eſt adeò fide indigna, ut Jeſuitæ hactenus fuiſſe credendi ſint præ cæteris obedientes erga Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum decreta?

Tertium, an accuſationem illam ſufficienter diluant Jeſuitæ ſua illa Declaratione?

Quartum, an Declaratio illa ſit teſtimonium omni exceptione majus?

RESPONSIO AD PRIMUM QUÆSITUM.

Tot exempla invictè demonſtrant, Jeſuitas ſolitos eſſe calumnias indigniſſimas fabricare & diſſeminare adverſus innocentiſſimos Viros, Societati inviſos, ut ab iſta accuſatione ſeſe expurgare nequeant; fidem proinde non mereantur, dum alios accuſant velut ſolitos Societatem calumniis impetere.

Exempla illa Clangore XV. & XVI. non ſolùm producta ſunt, ſed & ſolidè probata, quemadmodum & in proceſſu calumniæ adverſus ipſos to. VIII. Moralis practicæ inſtituto. Illud verò quod clamant innumeras eſſe calumnias, adverſus Societatem fabricari & diſſeminari ſolitas, clamant quidem, ſed argumentis omni exceptione majoribus non probant, nec probare poſſunt. Quandoquidem os ipſis obſtructum fuerit, quoties id adverſus prætenſos Janſeniſtas probandum ſuſceperunt. Diſcant igitur *damno pudoris ſui, & exiſtimationis*

tionis diſpendio, ſibi alienæ verecundiæ impunè inſidiari, ſaltem de cætero, non licere. Can. *Si quis* 2. q. 3. Calumnias proinde ſibi nimium familiares emendent, pro ſuiſque benefactoribus, & ſuæ Societatis ſecundùm Deum delectoribus, ut dictum eſt Clang. 2. non pro adverſariis habeant eos, qui eorum vitia veriſſima certiſſimaque eo fine propalant, ut ea corrigendo, & ſuo conſulant honori, & ſe Eccleſiæ utiles, non nocivos reddant, eam ſcandalizando & perturbando.

Responsio ad II.

Accuſatio iſta fide prorſus eſſet indigna, ſi abſque ſufficienti probatione fieret. Aſt cùm veritas ipſius Clangore XI. & XI. certis invictè probetur argumentis, & exemplis quàm multis; fide procul dubio digniſſima, non *indigniſſima* eſt, prout abſque probatione Declaratio calumnioſè dicit.

Deſinant proinde Jeſuitæ ſuam præ cæteris buccinare & proteſtari ſubmiſſionem obedientiamque conſtantiſſimam, obedientiam cæcam &c. quamlibet ſpeciali voto promiſſam. Quia dum verbali proteſtationi facta non concordant, factis potiùs creditur, quàm verbis. Verbali verò declarationi proteſtationique ipſorum facta non concordare, demonſtrant facta ſequentia.

Primò namque cæcæ ſuæ ſubmiſſionis & obedientiæ ſpecimen non dederunt, dum tot Jeſuiticis Artibus Sanctæ Sedis judicium, in cauſa Molinæ, ſubterfugere conati ſunt, totque moleſtias Clementi VIII. ad definiendum contra Molinam accincto fecerunt, ut ſua Sanctitas *hac unica difficultate cruciaretur.... ne ſcilicet Jeſuitæ Apoſtolicæ definitioni ſubeſſe detrectarent.*

2. Verus obediens, ſupremo in terris Chriſti Vicario cæcam obedientiam, ſpeciali voto promiſſam, præſtare paratus eſt; ſive pro ſe, ſive contra ſe definiat ac præcipiat; nec definitionem ſubterfugit (prout non ſubterfugerunt Patres Prædicatores) nec ipſi timorem injicit ingentium tumultuum, ſi contra ſe definiat, non conſultis omnibus Academiis, non indicto Concilio generali &c. Hoc autem in eadem cauſa Jeſuitæ fecerunt, prout ipſemet Pontifex teſtificatus eſt,

dum

dum acceptâ à Reverendiſſimo Patre Generali Prædicatorum ſponſione, Ordinem ſuum id omne prono animo excepturum, quod Pontificia authoritate ſanciret, reſpondit Pontifex, *eandem ſe obſequii fidem in Jeſuitis vehementer optare...... Sat clarè perſpectum haberi, Patres Jeſuitas velle huic negotio moras injicere, conantes mihi timorem injicere, de magnis turbis inde orituris* (quarum certè periculum nullum erat, niſi à Jeſuitis eas ſuſcitare paratis) *ſi cenſuram adverſus Molinam emittam, ante auditas omnes illarum Apologias; cùm tamen jam per duos integros annos illos quotidie audiverimus* (in judicio contradictorio; cùm tamen, in cauſa libri Janſenii, ipſi impediverint ne libri iſtius defenſores vel ſemel in judicio contradictorio audirentur, & nihilominus prono animo ſeſe Apoſtolico ſubmiſerint judicio, quinque propoſitiones damnanti) *Imò voluerunt & authorem per ſeſe audiendum, conſulendas totius orbis Academias, quin etiam Concilium generale indicendum.*

Per conſequens obedire noluerunt obedientiâ cæcâ, ſed nimis profectò oculatâ. Quis unquam alius Ordo tantas moleſtias ſupremo Chriſti in terris Vicario incuſſit? Ne Janſenii quidem Defenſores eo uſque proceſſerunt, ſeſe, etiam in quæſtione facti, ſine conſultis Academiis, ſine Concilio generali ſubmittere paratos offerentes, & quantum in hujuſmodi quæſtionibus exigi poteſt, revera ſubmiſſi. Quod ſi ipſos nihilominus velut S. Sedi inobedientes ac rebelles (dum omne ſuum de facto iſto dubium non deponunt) Jeſuitæ condemnent, ſeipſos à fortiori velut S. Sedi inobedientes ac rebelles debent condemnare. In quo enim alios judicant, ſeipſos condemnant, maximè ubi major eſt ratio condemnandi.

3. Quis unquam verè obedire paratus obedientiâ cæcâ, dum à ſuperiore timet condemnari, tantas ipſi moleſtias creat, tantam perturbationem, *ut penè mentis errore ex perturbatione afficiatur*, prout eidem Pontifici Jeſuitas feciſſe, Pontifex ipſe graviter conqueſtus fuit?

4. Nec Clementi VIII. duntaxat, ſed & Paulo V. jam inſtructo Pontificii Diplomatis contra Molinam ſpecimine, uſque adeò moleſti fuerunt, ut Claudius Aquaviva, Generalis ipſorum, parum reverenter ipſi dicere auſus fuerit, *Se quidem, ſi fortè Sanctitas ſua eam infamiæ notam Societati inureret* (adverſus Molinam definiendo) *dena Jeſuitarum millia præſtare non poſſe, qui contumelioſa & indecora Apoſtolicæ Sedis authoritate non ſcriberent.*

5. Nec his contenti, ut Paulum V. à definienda cauſa iſta diverterent, oblato ipſi libello, illi ipſi, qui Pontificii judicii in facto Janſeniano definiendo indeficientiam tanto nunc ſtudio & ardore tuentur, ejuſdem fallibilitatem in facto Auguſtiniano & Moliniano decernendo aſſeruerunt, ne judicio Pontificio victi viderentur.

Et iſtorum quidem factorum veritatem probat Clariſſimus Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis l. 2. c. 19. 25. & ſeqq. lib. 3. c. 7 & 45. lib. 5. ſect. 7. c. 1. &c.

Unum eſt, circa id quod dictum eſt de Clemente VIII. reflexione dignum, quòd ne ipſum quidem infallibilem tunc crediderint in definiendis quæſtionibus juris (quæ tunc agitabantur in cauſa Molinæ, cujus doctrinam Prædicatores accuſabant velut erroneam in fide) ſi enim in quæſtionibus iſtis definiendis infallibilem crediſſent, decem pene annorum examina, ſepties repetita, Academias omnes conſulendas, Concilium generale ad id infallibiliter definiendum non poſtulaſſent.

Ecce quales Pontificiæ poteſtatis & authoritatis defenſores ſunt Jeſuitæ, tunc utique dum ejus defenſionem intereſſe poſtulat Societatis: aliàs non. Quod & tunc demonſtrarunt, dum per ſuum Patrem de la Chaiſe adverſus Innocentium XI. fundatiſſima pariter & antiquiſſima Eccleſiæ jura manuteri jubentem, in cauſa regaliæ pro Galliæ Rege, contra jura illa agente, ſteterunt, eo quod ipſum Societatis rebus magis faventem haberent, quàm Sanctiſſimum illum Papam.

Et

Digitized by Google

Et iſtud ſit exemplum ſextum deficientis ſubmiſſionis ipſorum ad Pontificiam voluntatem, quàmlibet juſtiſſimam.

Exemplum ſeptimum tunc manifeſtè dederunt, dum adverſus Pontificias Conſtitutiones, quibus Apoſtolica Sedes toties ipſis inhibuit negotiationes, adeo prævaluit Jeſuitica cupiditas congregandi divitias, ut nec Pontificum, nec ſacrorum canonum authoritate potuerit, nec etiamnum poſſit cohiberi. Quemadmodum nec Innocentii XII, id diſtinctè pohibentis authoritate Jeſuitæ ſe continere poſſunt, à non ſuſpectandis nec traducendis velut Janſeniſtis, qui *legitimè* ſuſpecti non ſunt aliquam vel aliquas ex quinque famoſis propoſitionibus tenuiſſe, vel docuiſſe.

Octavum deficientis obedientiæ ſuæ exemplum dederunt, dum injunctum à Paulo V. iteratis mandatis glorioſi Chriſti Martyris, Ludovici Sotelo, Seraphici Ord. Minorum conſecrationem in Epiſcopum Regni Oxenſis in Japonia, ſolitis artibus ſuis impediverunt, æquo animo non ferentes (ait ipſe in epiſt. ad Urbanum VIII.) *alios præter ſuos dominationem Eccleſiaſticam in Japonia habere.*

Nonum, dum eundem Chriſti Martyrem, ab eodem Paulo V. in Japoniam redire juſſum, tanquam Miſſionarium Apoſtolicum, per Manilæ Gubernatorem (ipſo etiam teſte) detineri fecerunt, & prohiberi, ne in Japoniam ſecundùm Pontificum voluntatem remearet.

Decimum, dùm Concilii Tridentini Decretis, Apoſtolicisque Innocentii X. Brevibus, etiam Regiâ Scedulâ acceptatis, in cauſa Angelopolitana ſeſe ſubmittere recuſarunt, non ſine ingenti populorum ſcandalo, eccleſiaſticæque Hierarchiæ perturbatione, prout teſtatur ſanctæ memoriæ Palafoxius, Epiſcopus Angelopolitanus, teſtis omni exceptione major, in epiſt. ad Innocentium X.

Undecimum, dum calcaneum ſuum levaverunt adverſus Vicarios Apoſtolicos, à Sede Apoſtolica miſſos n Chinam, Tonquinum, Cochinchinam &c. contra

Brevia Apoſtolica (quibus ſeſe ſubmittere judebantur) tanto cum ſcandalo, fideique dilatationis præjudicio rebellantes, ut ob ſuam iſtam rebellionem & inobedientiam Miſſionibus Tonquini & Cochinchinæ privati fuerint, & ab Innocentio XI. prohibiti per Italiam Novitios admittere.

Duodecimum, dum primò adverſus Illuſtriſſimum D. Epiſcopum Cononenſem Apoſtolica Mandata apud Sinas exequentem, ac deinde adverſus Eminentiſſimum D. Cardinalem Turnonium, S. Sedis à Latere Legatum, & Viſitatorem Apoſtolicum, à S. D. N. Clemente XI. in Chinam miſſum, ad definitivum ſuum de Ritibus Sinenſibus Decretum promulgandum, executionemque mandandum, tantam Imperatoris Sinenſis iram, perſecutionemque ſuſcitarunt, ut utrumque apud ſe detinuerint pro Religione captivum, & Eminentiſſimum quidem in captivitate uſque adeo afflixerunt, ut ingentiſſimarum afflictionum pondere oppreſſus occubuerit.

A pluribus exemplis aliis hìc recitandis ſuperſedeo, quia duodecim exempla illa ſufficere videntur, ut prudens Lector judicet, an non veriſſimè Illuſtriſſima Domina Lionnea (De Lionne) in celebri epiſt. de 23. Aprilis 1701. Jeſuitas alloquens dixerit: *Diſcrimen inter amicos filii mei* (qui unus erat ex Miſſionariis Apoſtolicis) *& vos, Patres mei, in eo ſitum eſt, quòd ipſi obediant S. Sedi, non emiſſo peculiari de obedientia voto; vos autem non obediatis, emiſſo illo voto.*

RESPONSIO AD III.

Ex proximè dictis, facilis eſt reſponſio ad tertium Quæſitum, utique accuſationem illam ſufficienter non dilui à Jeſuitis ſua illa declaratione ac proteſtatione; utpote quam infirmant tot facta contraria.

RESPONSIO AD IV.

Et hucuſque dictis tandem conficitur, declarationem

nem illam non eſſe teſtimonium omni exceptione majus. Quia eam ſuſpectam reddit tum doctrina à Tamburino & tot aliis Jeſuitis tradita, de licito uſu reſtrictionum mentalium & amphibologiarum; quam adhuc poſt Innocentii XI. eas damnantis Decretum, non ita pridem, publicis in theſibus ſuis Leodii tradiderunt Jeſuitæ Anglicani, & Pariſiis P. Daniel. Quis ergo ſecurus eſſe poteſt de non uſu iſtius opinionis in declaratione illa, facta ſub quacumque verborum formula? Maximè cùm per eam teſtentur quidem hanc eſſe *Societatis vocem*, *hoc votum*, *hunc ſpiritum* de conſtantiſſimo ſuo obſequio, ſubmiſſione & obedientia cæca in exequendis decretis quibuſcumque S. Sedis, *ſicut procul dubio ſemper* fuit. Atqui conſtantem ſemper non fuiſſe ipſorum ſubmiſſionem & obedientiam cæcam in exequendis Decretis S. Sedis, dum rebus Societatis faventia non erant, facta ſeu exempla deducta demonſtrant.

Quod ſi jam tandem verbis ſeſe ſubmittant Decreto definitivo S. D. N. Clementis XI. non mirum, quia hanc ſubmiſſionem in circumſtantiis præſentibus exigunt res Societatis, ad declinandam utique publicam indignationem. Quid facturi ſint poſtquam indignatio iſta deferbuerit, Deus ſcit. Illius avertendæ cauſa ab annis duobus Jeſuitæ Galli conteſtatam Denuntiationem ediderunt, quâ univerſo orbi perſuadere conabantur Decretum Pontificum non niſi conditionatum eſſe. Addebant numquam à ſe ritus Sinenſes condemnandos, neque ſeſe à ſuprema Altarium parte ablaturos tabellam Kim-Tien, *Cœlum colito*, niſi priùs Pontifex Decretum Alexandri VII. ſuper illa materia editum, reſcinderet, & novum evulgaret, quo abſolutè proſcriberet omne cultûs & ceremoniarum genus. Id utcumque factum videmus. Præmiſſa jam Declaratione ſubmiſſionem & obedientiam in Europa verbis pollicentur: Utinam id factis adimpleant in Sina! Obedientiam probabunt, ſi omnes exilio afficiantur ut cæteri Miſſionarii: denuntiarunt etenim impoſſibile eſſe Imperatorem Sinenſem inducere, ut permittat Decretum

abſolutum Pontificis, ſi quod ederetur, executioni mandari. Vel, ſi quod impoſſibile tunc ipſis videbatur, poſſibile fiat; ſi in Sina morantes Decreto Pontificio poſſint eſſe obedientes, efficiant apud Imperatorem ut Miſſionariis, qui exilio pulſi ſunt, licitum ſit ad Miſſiones ſuas reverti. Sic omnibus patebit quàm ſincera ſit ipſorum ſubmiſſio: nec ultra dicere licebit aliam eſſe vocem ipſorum dum publica adverſus opinionem aliquam ſuorum indignatio fervet, aliam dum publica adverſus eam indignatio deferbuit, prout demonſtrant exempla quæ Chriſtianus Alethophilus profert in Artibus Jeſuiticis art. 39. & 40. Plenæ & completæ obedientiæ exempla realia petuntur, non voces, quæ quàmlibet claræ, reſtrictionibus mentalibus apud eos obnoxiæ ſunt, qui licitum exiſtimant uſum opinionis cujuſcumque probabilis, id eſt, defenſæ ab aliquibus viris quos viros doctos & graves reputant, prout eos Jeſuitæ reputant, qui licitum reſtrictionum mentalium uſum, imò & à Chriſto practicatum, adhuc poſt Innocentii XI. Decretum aſſerere non verentur.

Quatuor has Reſponſiones, mox ac prodiit Tamburini & Aſſiſtentium Declaratio, ad calcem Tubæ adjecimus, initio anni 1712. Quæ dum parantur ut ſecundis curis evulgentur, imò dum jam inter manus litterarum fuſilium diſpoſitoris caleſcit opus, & ad has Reſponſiones perventum eſt, opuſculum ad me mittitur gallico idiomate editum ſub hoc titulo: *Declaration ou ſoumiſſion du Reverendiſſime P. Michel Ange Tambourin..... Avec quelques Reflexions ſur cette ſoumiſſion.*

Cùm obſervationes illæ plurimum conveniant ad ferendum ſolidum de ſinceritate iſtius proteſtationis judicium, placuit eas in linguam latinam transferre & hîc inſerere.

RE-

REFLEXIONES

Ad verba ſequentia Jeſuiticæ Declarationis.

(1) *Humiliter oblata die* 20. *Novembris.* Mirandum profectò, & ſuper omnem admirationem, quòd Jeſuitæ toties coram Publico proteſtati ſint, quod ſtatim atque deciſivum à Sanctiſſimo D. N. Decretum emanaret, circa Ritus Sinenſes, qualecumque illud futurum eſſet, ei ſeſe indilatè ſubmitterent, quodcumque inde damnum ipſis eſſet *obventurum; honoris, libertatis, ipſius etiam vitæ*: (epiſt. ad quemdam Prælat. pag. 5.) in ſua nihilominus obſtinatione & contumacia, poſt emanatum Decretum, damnatos Ritus ſuſtinendi per ſeptem annos perſeveraverint, à die utique 20 Novembris 1704. ad 20 ejuſdem Menſis 1711. Audiamus reſponſum ipſorum quo ad Dominos Seminarii Pariſienſis Miſſionum extranearum ſuam ipſis inobedientiam exprobrantes (pag. 2.) *ad primum rumorem extantis Decreti, ſuper Ritibus Sinenſibus, Jeſuitæ viſi ſunt voce & ſcripto proteſtari, quòd ei ſe ſe ſubmitterent, qualecumque eſſet. Idem omni tempore proteſtati ſunt, & ex quo apparuit. in eadem perſeverant proteſtatione. An non æquum eſt ipſis ſuper verbo ſuo fidem adhiberi, ſaltem uſque dum poſitivè probetur, verbum ipſorum eſſe fallax; cùm ſoli ipſi inter homines teſtes eſſe poſſint ejus quod in corde habent, vel non habent?*

Ecce quomodo Patres iſti loquebantur, poſtea quàm exiit Decretum; eodem nihilominus tempore, quo coram publico ſuam ita magnificabant & perſuadere volebant ſubmiſſionem ac venerationem erga S. Sedem, varia ipſi Memoralia præſentabant pro ſuſpendenda Decreti executione; Ad Sinarum Imperatorem recurrebant pro pellendis ex Imperio ſuo Miſſionariis omnibus, Legato Suæ Sanctitatis obedire volentibus, Regis Portugaliæ patrocinio utebantur pro impetranda Decreti revocatione, denique omnes (ut ita dicam)

Societatis milites ad arma vocabant, ut pugnarent pro Confucio & progenitoribus, quorum aboliti erant cultus & honores. *An ergo dignum & juſtum eſt ut ipſis in ſolo verbo ipſorum adhibeatur fides?*

(2) *Laceratur Societatis univerſæ nomen indigniſſima accuſatione.* Quis non crederet, audiendo hanc vo cem Procuratorum omnium, univerſam Societatem, ob iſtam accuſationem, tanto abſorptam eſſe dolore, tam profundaque triſtitia & cordis dejectione, ut inconſolabilis ſit, eo quod per univerſum Orbem ſparſa ſit querela de ipſorum erga S. Sedem præ cæteris inobedientia, dum ad ſalivam non ſunt, nec rebus Societatis favorabilia Pontificia Decreta. Exiſtimo quidem inde aliquam ipſis non deeſſe ſollicitudinem & offenſionem; cùm character ipſorum ſit ad vivum ſe offenſos oſtendere, dum obſtacula aliqua executionem impediunt mediorum, quamlibèt injuſtorum, ab ipſis electorum ad fines à ſe intentos; ſibique perſuadeant per plurium annorum praxim jus inconteſtabile ſibi acquiſitum, ad violandas leges quamlibèt ſanctas, nec de eo querelam ſibi fieri poſſe. Eapropter vix quidem dubito accuſationem illam ipſis eſſe ſenſibilem, mihi tamen, ob ea quæ proxime dicturus ſim, aliunde perſuaſum eſt, ob eam ipſos ad vivum vulneratos non eſſe, prout lamentantur.

(3) *Accuſationem hanc vehementiores Adverſarii his verbis informant erga Decreta Pontificia præ cæteris exactam ſubmiſſionem, cæcamque obedientiam buccinant Jeſuitæ; ab ea tamen præ cæteris deficiunt, dum ad ſalivam Decreta non ſunt.... Religioſos Societatis præ cæteris inobedientes eſſe Conſtitutionibus Apoſtolicis.* (a)

Bonâne gratiâ verba illa Authoris artium Jeſuiticarum Papæ allegant Jeſuitæ, ut probent ipſis jure non exprobari, ſuam erga S. Sedem inobedientiam? De ea ſolus ipſe non conqueritur. Imo vix non à Societatis initio conqueſtæ ſunt integræ Communitates, Congregationes, Religioſi Ordines. Et ipſimet in epiſt.

(a) lib. art. Jeſuit. pag. 537.

epiſt. ad DD. Seminar. Miſſion. extran. (Pag. 1.) queruntur ab ipſis improperari infame illud & odioſum crimen, inobedientiam utique erga S. Sedem, eo tempore quo obedientiam ſuam profitentur erga Decretum Clementis XI. Et quis neſcit, quòd Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Noaillius, à modico tempore juſſus reſpondere ad quoſdam articulos ſibi propoſitos à ſua Majeſtate, ſeque juſtificare de Patribus illis denegatâ approbatione in Diœceſi Pariſienſi, Eminentia ſua declaraverit ſuas ſe facultates Jeſuitis propterea non continuaſſe. (propos. 3.) quod *in ſua Diœceſi pravam docerent Ethicem, gregem adverſus Paſtorem ſuſcitarent ..... quod audacter tuerentur Sinenſes ſuperſtitiones & idololatrias, quod SS. Pontificum Conſtitutionibus ſe ſe non ſubmiſiſſent, niſi quatenus faverent rebus Societatis.* Irrationabiliter ergo de ſolo illo Anonymo queruntur Authore, cum ingens ſit numerus eodem loquentium tenore, non ſine invictarum probationum acceſſione. Eſtque factum iſtud uſque adeò notorium, ut ſi voti tranſgreſſio ſit, prout Theologorum omnium judicio eſt, ſacrilega, Patres illi haberi poſſint palam ſacrilegi, utpote in facie Eccleſiæ publici violatores voti ſui de obediendo ſummo Pontifici.

(4) *ad declarandum Societatis de tam probroſa accuſa dolorem.* Fateor, ut dixi, Jeſuitas ſenſibiliter offendi de tam aperta accuſatione tam probroſi modi agendi ſuorum erga ſummum Pontificem: Sed publico difficillimè ipſi perſuadebunt verum dolorem ſuum de accuſatione, licèt ipſis tam probroſa. Næ apparentia quidem eſt, ipſiſmet videri credibile, quod id valeant perſuadere: quandoquidem à tanto tempore in ipſorum poteſtate ſit, tam inviſas & ſibi tam probroſas de ſuis idæas abolere, ſe ſe adverſus exprobrationem Authoris *Artium Jeſuiticarum* juſtificando, per cæcam ſuam, & ſine replica ſubmiſſionem effectivam ad deciſiones S. Sedis.

Quiſquis de eventu aliquo ſibi odioſo verè affligitur, quidquid poteſt, facit (inquiunt Theologi) ad cauſam doloris ſuſtollendam; quodque ſi ne quidem ſe

moveat ad id faciendum, imò cauſam illam continuet, fovereque affectet; indubitatum argumentum eſt, quod de ea dolor ipſi ſenſibilis non ſit. Dicit namque S. Thomas 2.2.q.35.a 3. quod *quanto aliquis magis triſtatur de re aliqua, tanto magis conatur ad expellendam triſtitiam, dummodo remaneat ſpes expellendi.* Cùm igitur Jeſuitæ parum ſolliciti ſint de obſervandis Pontificiis Decretis, quibus ſe ſe ſubmittere, tam odioſæque accuſationis cauſam tollere, in ipſorum eſt poteſtate; luce clarius eſt ipſis tam ſenſibilem non eſſe criminationem illam, cum continuare affectent cauſam illius, per eamque notam ubique facere tantam Societatis potentiam, ut aliis Poteſtatibus, quamlibet omni veneratione dignis, reſiſtere poſſit.

Vin' rationem alteram invictè & abſque poſſibili replica probantem, quòd Papæ ſpeciali erga ſe confidentia abutantur, dum ajunt ad vivum ſe lædi, & ad oculorum ſuorum pupillam ſe tangi per dictam accuſationem? Ecce illam: triſtitia vehemens, qualem ſuam ipſi depingunt, effectus habet admodum obſervabiles: dumque provenit ex actione criminali, ex impetu paſſionis cauſata, eo ipſo inducit ad concipiendam firmam voluntatem, in eam non relabendi, vel ſaltem eam notabiliter minuendi. Dicit enim S. Thomas, *quando operatio eſt, de qua aliquis contriſtatur, neceſſe eſt quod actio debilitetur. Quandoque etiam impeditur exterior motus corporis, ita quòd remaneat homo ſtupidus in ſeipſo.* Ibidem a. 2.

Quæro ergo hodie à tota Eccleſia, quæro ab Orbe univerſo, num ab eo tempore, quo Jeſuitæ queruntur ſe accuſari de ſua erga Pontificias Conſtitutiones inobedientia, quiſquam obſervaverit aliquem de dictis effectibus? Num inde dociliores facti & quietiores? Num ſimpliciores, minus audaces, minus intricantes, minus furentes adverſus accuſatores ſuos, à quibus ſua illa redarguitur inobedientia? Quis ab eo tempore diminutam vel debilitatam in ipſis vidit obſtinationem in non recipiendis Decretis idololatricam Rituum Sinen-

ſium

ſuum praxim condemnantibus? Suntne ex ipſis aliqui facti velut ſtupidi in ſeipſis, atque ita animo dejecti, ut vix ipſis poſſibile ſit applicare ſe ad neceſſaria vitæ, vel reminiſci eorum quæ fecerunt, vel quæ ipſis facta ſunt, vel quæ in continua ipſos detinet inactione? Eheu! Cùm ex adverſo videamus ipſos in majori & majori in dies agitatione, continuiſque motibus, non ad delendam culpam ſuam, nec ad abjiciendam originem mali (quod ipſis in opprobrium vertitur) aſt ut perdant & humilient Accuſatores ſuos, quomodo in facie Eccleſiæ dicere poſſunt Vicario Jeſu Chriſti, ſe ob probroſam illam accuſationem tam gravi tamque acerbo vulnere ſauciatos eſſe, ut vulnus ad vivum ſentiant? Concede nobis, Domine, veram de peccatis noſtris compunctionem, ſed ne penetres nos eo dolore, quo ſe vulneratos ajunt Jeſuitæ, eo quod accuſentur de inobedientia erga Decreta Sedis Apoſtolicæ.

(5) *ita obloquentium ora obductum iri confidit.* Juſtæ non ſunt expreſſiones illorum Societatis Procuratorum in Poſtulationibus ſuis. Neque enim obloquentium ſeu maledicentium ora ſunt, quæ ipſis exprobrant defectum ſubmiſſionis erga Pontificia Decreta, rebus Societatis non favorabilia. Publicus, notorius, inconteſtabilis eſt ille defectus, utpote ſub omnium oculos cadens, prout ſequentia demonſtrabunt.

Fruſtra etiam ſibi blandiuntur, quod ſub iſtius declarationis ſeu proteſtationis Summo Pontifici factæ prætextu, obducentur ora obedientiæ defectum ipſis objicientia. Vana ſpe ſe paſcunt Jeſuitæ Publico (Jeſuitarum caracterem cognoſcenti) tam facile non ſatis fit: experientia tam frequens inobedientiæ ipſorum hoc ſaltem à Publico obtinebit, quod iſtius declarationis effectum expectabit, id eſt uſque dum certa relatione diſcat, num Jeſuitæ Macaonenſes & Sinenſes ſe ſe effectivè Pontificio ſubmiſerint Decreto, damnanti praxim ipſorum. Adverſus ipſos ſtat præſumptio, uſquedum ſolidam probationem dent de contrario.

Suam ergo ſubmiſſionem opere,non voce duntaxat, probent, ſi ſiniſtram de ſe impreſſionem, juſte conceptam, obliteratam velint.

(6) *Præpoſitus Generalis ſuo ac Societatis nomine profitetur ac declarat* &c. Qualemcumque ſinceritatem ſe ſe habere teſtetur P. Tamburinus, qualemcumque præſtet certitudinem de ſubmiſſione Societatis univerſæ ad Pontificias Deciſiones, prudentia non permittit, ei multum confidere. Mentales reſtrictiones, amphibologiæ & æquivocationes, Jeſuitis tam familiares, nos prohibent iſta in occaſione cito ipſis credere. Publico facile non perſuadetur, quod Societas, tanto zelo zelata pro gloria ſua & honore, cedere velit medio tam utili, & conducent; ad propoſitos ſibi fines. Ex quo ardentius Sinenſia agitata ſunt negotia, Socii ſe ſemper ad obediendum paratos declararunt cum periculo honoris, libertatis & vitæ. Ipſis ordinariæ ſunt vocales iſtæ declarationes; Ne minima tamen ſubmiſſio & obedientia, ad Decreta de quibus agitur, hactenus viſa, & ab ipſis opere demonſtrata fuit. Credibilene eſt ipſos hodie mutatos ab illis? Humilem ſemper ad Decreta S. Sedis ſubmiſſionem & obedientiam pollicentur quamdiu procul abſunt, vel executio non exigitur; Aſt invincibilem adverſus illa obſtinationem ſuam oſtendunt, dum ea exequi per obedientiam compelluntur, prout in ſequentibus demonſtrabitur.

(7) *Decreta circa Sinicos Ritus, ſine ulla contradictione, tergiverſatione, aut cunctatione.... ſibi ad amuſſim obſervanda & exequenda ſponte & ultro admittit & amplectitur Societas univerſa.*

Tandem aliquando Jeſuitæ, poſt tot annorum reſiſtentiam, factam Decreto prudenter emanato, ei ſubmiſerunt ſe ſe 20. Novembris anni noviſſimi 1711. Gaudent omnes in Domino, quod iſti Patres tandem in facie Eccleſiæ declarent, à ſe ſine ulla tergiverſatione & cunctatione obſervanda & exequenda, quæ Sanctiſſimus circa Sinicos Ritus, tum anno 1704. die 20 Novembris, tum anno 1710. die 25 Septembris definivit. Aſt paucis ea in re ad fundum notus eſt Socie-

cietatis caracter. A tot annis Jeſuitæ viſi ſunt Decretis Pontificiis palam & audacter contravenire; cum dolore conſpiciuntur ab ipſis ubique ſparſæ Apologiæ, quibus ſcandaloſa, & à Sede Apoſtolica damnata, doctrina ſuſtinetur. Quotidie diſcimus in ſcriptis & Theſibus ipſorum pernicioſa revocari dogmata, ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. ſicut & à Clero Gallicano proſcripta. Manifeſta eſt transgreſſio, ſed ad nos non pervenit cauſæ cognitio. Hactenus comprehenſibile non fuit, quod Religioſi, per ſuam profeſſionem, ſpecialeque votum adſtricti ad obediendum in omnibus Romano Pontifici, tam parum deferant Deciſionibus ipſius, & audeant tam frequenter modicam deferentiam ſuam juſtificare ac ſuſtinere. Quod uſque adeo piis hominibus videtur odioſum, & à Jeſu Chriſti Vicario eſt reprobatum.

Verum enimvero, quod hactenus fuit occultum, plena luce hodie eſt revelatum. Si Romanos Pontifices Jeſuitæ uſque in præſens non audierunt, Moralem ipſorum, vel dogmata condemnantes; ſi Apologias fecerunt, eorum vindices; ſi in Scholis, & libris ſuis, eorum ſuſceperint patrocinium, non obſtante prohibitione ſub anathematis pœna: ideo fuit, quia Decreta prohibentia, ſibi tam odioſa & ingrata, ab ipſis nondum erant recepta. Conſtans namque eſt apud ipſos regula, vim habens Conſtitutionis, ſuas non abjicere ſententias, quamlibet contrarias Deciſionibus Eccleſiæ, vel Doctorum communi doctrinæ, quamdiu Societatis de iis nondum acceſſit deciſio. Stante ergo iſto principio, nemo obſtupeſcat, tot in ipſis videns contradictiones & rebelliones adverſus Apoſtolicas Deciſiones. Sed nemo facilè ſibi perſuadebit, tam audaces Regulas, & tam parum ædificantes, Religioſo in Ordine eſſe receptas. Sic tamen eſſe probatur ex propriis terminis Conſtitutionum ipſorum 3. p. c. 1. §. 18. l. o. ubi pro explicatione horum terminorum, *doctrina igitur differentes non admittantur*, hæc adduntur: *novæ opiniones admittendæ non ſunt*. Sic habent declarationes (vim Conſtitutionum habentes, prout

dicitur p. 6. c. 1. l. 4.) *ſi quis aliquid ſentiret, quod diſcreparet ab eo, quod Eccleſia, & ejus communiter Doctores ſentiunt, ſuum ſenſum definitioni ipſius Societatis debet ſubjicere, ut in examine dictum eſt*, id eſt c. 3. §. 11.

En myſterium iſtud abſconditum, & origo tot rebellionum. Submiſſionem ſuam Jeſuitæ proteſtari non ceſſant, nullamque ob cauſam ſe ſe receſſuros ab obedientia & veneratione debita Decretis S. Sedis. Verum abſque formidine dici poteſt, hoc ipſos proteſtari ad faſcinandum populum, nullamque Papæ & Eccleſiæ definitionem habituram effectum, niſi deciſiones iſtæ receptæ ſint à Societate. Cum veneratione Decreta Clementis XI. recipit, in recognitionem ſpecialis benevolentiæ ipſius erga Societatem. Eum in finem Societas congregata fuit. Eum in finem Provinciarum Procuratores Decreta illa acceptarunt, cum proteſtatione quod ea mandari facient executioni. Benedictus Deus, & ſuper Eccleſiam benedictio ipſius, quod Deciſio tandem ad ſalivam fuerit Jeſuitarum. Enimvero quàm infortunatus fuiſſet Chriſtianiſmus, ſi eam famoſa illa Congregatio rejeciſſet! Altiuſne audacia aſcendere potuiſſet?

(8.) *Teſtatur P. Generalis hanc eſſe vocem, hoc votum, hunc ſpiritum Societatis univerſa* &c.

Non diffiteor hanc eſſe & ſemper fuiſſe Jeſuitarum vocem; hanc ab ipſis ubique voce fieri & publicari declarationem. Eâ, ſi lubet, implenda ab ipſis Volumina. Sed quod iſte ſit ſpiritus & caracter Societatis univerſæ, mihi perſuaſum eſſe non poteſt. Quinimo rationabile mihi dubium eſt, quidquid Pater Generalis dixerit. Num Jeſuitæ veraciter intendant obedire Suæ Sanctitati, quoad Sinicos Ritus, & idem fortaſſis eſt ſenſus ipſius, dum addit hunc *ſemper futurum*, hunc eſſe ſpiritum Societatis, *ſicut procul dubio hactenus fuit.* Vel enim per hoc Pater Generalis prætendit Pontifici declarare, quod ſuæ Societatis homines ſubmiſſi erunt Decreto, contra praxim ipſorum emanato; quemadmodum Decretis aliis ſuper eadem materia ema-

emanatis ſubmiſſi fuerunt? Vel quod noviſſimæ Deciſioni ſe ſe per obedientiam ſubmittent, quemadmodum aliis S. Sedis Deciſionibus omnibus per exactam obedientiam ſe ſe hactenus ſubmiſerunt? Quamlibet in partem ſe verterit P. Tamburinus, intricatum ſe ſentiet terribilibus difficultatibus, à quibus ipſi poſſibile non erit cum honore ſe extricare. Si enim ad priorem partem ſe vertat, Eccleſia univerſa teſtis eſt, & ipſimet Jeſuitæ fatentur, ſe non obediviſſe Decreto Innocentii X.... quo eoſdem Ritus anno 1645. & Clemens XI. per Decretum ſuum de 20. Novembris 1704. damnavit; & iſti noviſſimo de 20. Novembris 1704. non ſolùm non obediverunt, ſed & fecerunt quidquid potuerunt, pro impetranda ipſius revocatione, ſub ſpecioſo prætextu Religionis aliàs interituræ, eum in finem impenſa Regis Luſitaniæ & Poteſtatum Authoritate. Nec hoc tantum, ſed & Eminentiſſimum P. Cardinalem Turnonium ad mortem perſecuti ſunt, pro eo quod ipſos Authoritate Apoſtolica adſtringere vellet ad iſtius Decreti executionem. Iſto proinde ſenſu inviolabilis Jeſuitarum ſubmiſſio, obedientia cæca, inflexibilis adhæſio ad Decreta Apoſtolica, perinde ad nihil redigitur, ac ſi diceretur, quod ſicut Jeſuitis curæ non fuit exequi Decretum Innocentii X. de Sinicis Ritibus, ipſis non magis curæ erit exequi Decretum Clementis XI. Si propterea ad poſteriorem partem ſe vertat Pater Generalis, Suæ Sanctitati perſuadere volens, Societatem non futuram minus exactè ſcrupuloſam in exequendo Suæ Sanctitatis Decreto noviſſimo, quàm cum ſcrupuloſa hactenus exactitudine omnia executa fuit, quæ à Sede Apoſtolica emanarunt. Si ſic (inquam) dico & tuba maxima, per angulos omnes univerſæ terræ buccinandum eſt, quod ſi Decreti noviſſimi executio in Sina à Jeſuitis exactius non fiat, quàm ab ipſis facta ſit executio ſimilium Decretorum S. Sedis, nunquam abolita videbitur praxis P. Ricci, in vaſto illo Imperio; quodque ſolus Papa, per ſuæ poteſtatis plenitudinem, poſſit (faxit Deus, ut fœliciter faciat) Jeſuitas ad obedientiam compelle-

re,

re, dummodo agat cum virtute, ipſosque dirigat in virga ferrea: quia viſum hactenus non fuit Corpus Religioſum minùs exactè & ſubmiſſè Decretis obediens Apoſtolicis, quàm Societas.

Cùm propoſitio iſta (ad ſalivam Jeſuitarum nunquam futura) ad hoc tendat, ut omnibus innoteſcat ſubmiſſionem Patris Generalis, univerſæ Societatis nomine factam à Nationum Aſſiſtentibus, & à Provinciarum Procuratoribus ſubſcriptam, puram eſſe chimeram, verumque ludum, æquum eſt eam ſolidè ſtabiliri, & per facta inconteſtabilia probari, quod Jeſuitæ hactenus non obediverint Papæ, niſi quatenus ipſorum Decreta vel Conſtitutiones ad ſalivam fuerunt ipſorum.

Sub finem ſæculi XVI. à nonnullis Jeſuitis Hiſpanis traditum eſt, quod per litteras fieri poſſet confeſſio, vel dari abſolutio. Hanc propoſitionem ad S. Sedem Hiſpani Prædicatores detulerunt, & ideo (prout ex Hiſtoria Matthei diſcimus) Romam pro cauſæ ſuæ defenſione ſe contulit Suarez, Jeſuitarum doctiſſimus, qui propoſitionem illam magno cum ardore tuebatur. Eam Clemens VIII. poſt diligentiſſimum examen, velut falſam, temerariam & ſcandaloſam damnavit per Decretum à ſe datum 20. Junii 1602. docerique prohibuit ſub pœnâ excommunicationis. Deciſio iſta non placuit Suarezio, iſto in negotio tantum intereſſe habenti. Eapropter Decretum interpretando, Confeſſionem quidem epiſtolarem rejecit, ſed admiſſa epiſtolari abſolutione. Paulus V. adverſus iſtam cavillationem indignatus, aliud Decretum expedivit de 14. Julii 1605. Clementis VIII. Decretum confirmans, cum Mandato, ut ex operibus Suarez obliteraretur explicatio iſta, extans to. 4. in 3. p. diſput. 21. ſect. 4. Neglectum fuit Mandatum iſtud Pontificium. Et ideo per aliud Decretum Papa juſſit ut ſectio tota tolleretur. Tunc credibile erat per Religioſos, ſuam erga S. Sedem obedientiam adeo buccinantes, ſincere exequendum Pauli V. Mandatum. Interea Jeſuitæ manſe-

runt ſemper Jeſuitæ. Sectio ſublata non fuit, imo remanſit integra in operibus Suarez, Lugduni apud Phiccholtum prælo datis anno 1608. id eſt annis tribus poſt Decretum. Eadem damnata doctrina adhuc conſpicitur in Aphoriſmis Emmanuelis Sa verbo *abſolutio* n. 8. edit. anni 1627. Et quod amplius eſt, in Theologia P. Amici, multis poſt annis prælo data to. 8. diſput. 11. ſect. 4. n. 62.

Inobedientia iſta apud illos Patres continuata fuit ad menſuram Operum ipſorum, à S. Sede proſcriptorum. P. Joannes Baptiſta Poza errores multos & doctrinas extravagantes ſparſit in Elucidario ſuo. Ab Hiſpanica Inquiſitione juſſus fuit Matriti & Toleti ſe retractare, & à Summo Pontifice anno 1632. opus illud damnatum fuit. Numquid damnationi & correctioni humiliter ſe ſubmiſit? Imo verbis inſolentibus arroganter inſurrexit adverſus S. Sedem, Romamque vocatus ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem, ſub protectione Potentum ſe conſtituens, comparere recuſavit.

Major non fuit Theophyli Raynaudi ſubmiſſio erga S. Sedem. Circa tempus illud opus ipſius, *de Martyrio per peſtem*, Romæ examinatum fuit, & Cenſura notatum per Decretum Papæ. Sed ſubmittere ſe nolens Authoritati Vicarii Jeſu Chriſti, inverecunda cum audacia, *Stat* (inquit) *ſcriptio illa, ſtabitque cum bono Deo; nam nec luna quamtumvis canum obtrectationibus emovetur.* Metamorph. latr. in Apoſt.

Aliquot poſt annis extraordinario modo celebres ſe præſtiterunt Jeſuitæ. Accidit hoc occaſione famoſæ Caſuiſtarum Apologiæ, per P. Pirot concinnatæ, Pariſiis tot vicibus per Jeſuitas diſtractæ, tantoque cum ardore per Socios omnes propugnatæ. Scandaloſum opus iſtud per Alexandrum VII. fuit condemnatum; & antè per omnes fere Gallicanos Epiſcopos gravi Cenſura notatum, cum mandato, ut prorſus ſupprimeretur. Nec Papæ Authoritas, nec zelus tot Epiſcoporum, quidquam valuit apud illos Patres. Adverſus ipſos omnes obſtinati & con-

tumaces, perſeveraverunt in ſuſtinenda iſtius libri doctrina.

Vix proſcripta erat Caſuiſtarum Apologia, dum luci Societas dedit non minus, imo magis, periculoſum Opus inſcriptum, *Amadæus Guimenius*, quo non ſolum Apologiæ laxitates ſuſtinentur, ſed & novæ adjiciuntur. Quia Author ipſius ſtudioſè conquiſivit, Opuſculoque ſuo inſeruit quidquid magis corruptum in Caſuiſtis erat. Nec eo contentus, vim Authoribus à ſe productis intulit, pravum ipſis ſenſum tribuens, ut in ſenſum ſuum ipſos pertraheret; illudque Opuſculum ſuum anniſus eſt in materia laxitatis reddere adeo perfectum, ut ſimile uſque in præſens non apparuerit, ac nihilominus quaquaverſum ſparſum fuit Jeſuitarum ſtudio. Luci datus eſt liber ille Matriti, Valentiæ, & alibi. Quia vero lectura iſtius operis tenebrarum perniciosa erat, ne curſum haberet, cenſura notatus fuit ab Alexandro VII. ſed quia Decretum ipſius Jeſuitis acceptum non fuit, Apologiam damnati iſtius operis fecerunt, Apologiæque Generali Moralis Societatis ab Honorato Fabri compoſitæ inſeruerunt, quæ typis Lugdunenſibus anno 1670. prodiit in lucem. Quam ob inobedientiam Amadæi Guimenii Liber ad ignem ab Innocentio XI. damnatus fuit.

Digniſſimus iſte Jeſu Chriſti Vicarius, ſenſibili mœrore afflictus ob licentiam magnam luxuriantum ingeniorum, Moralem Chriſtianam in dies magis ac magis corrumpentium, per Decretum ſuum de 1. Martii 1675. ſexaginta quinque propoſitiones damnavit velut ut minimum ſcandaloſas & pernicioſas, ex Authoribus Societatis ut plurimum excerptas, quarum non paucæ anteà proſcriptæ fuerant per Prædeceſſorem ſuum Alexandrum VII. Quis non crederet Jeſuitas omnes, ſi Præpoſito Generali Societatis fides, iſti Decreto, cum omni veneratione & obedientia cæca ſe ſubmiſſuros? Decretumque executuros, ne excommunicationem incurrerent, ſi ei (damnata pernicioſa dogmata adhuc docendo) contravenirent? Contravenerunt tamen. Nec enim humilis ſubmiſſio, cæcaque obedien-

dientia à Patribus illis expectanda eſt. Vim contra ipſos Vaticana non habent fulmina, ſi eis obviam non eant. Typis Duacenſibus anno 1671. prodiit Theologia Moralis Patris Gobat, in quo damnatarum propoſitionum partem magnam tuetur, utique decimam quintam to. 3. tr. 5. c. 9. ſect. 8. n. 54. & 55. Decimam tertiam & decimam quintam ibidem c. 19. ſect. 1. n. 4. & 6. Vigeſimam ſextam to. 2. tr. 11. n. 653. & 654. Trigeſimam to. 1. tr. 4. n. 43. & 44. Sexageſimam primam, ſexageſimam ſecundam, & ſexageſimam tertiam to. 1. tr. 7. n. 532. Nec majori cum reverentia ſe gerit erga Decretum Alexandri VII. & Cenſuras Cœtus Generalis Cleri Gallicani, prout videre licet in Cenſura iſtius Operis, ab Illuſtriſſimo D. Epiſcopo Atrebatenſi facta, qui cum Jeſuitis ad manus eſt pluſquam à triginta & amplius annis, eo quod in Diœceſi ſua doctrinam pravam ſpargere continuo annitantur.

Nec ſoli aliqui Jeſuitæ modica cum deferentia & veneratione ſe gerunt erga Apoſtolica Decreta & Conſtitutiones. Malum iſtud univerſale eſt in Societate, & in univerſo conſpicitur Orbe. Alexander VII. & Innocentius XI. annihilare & abolere ſtuduerant ſcandaloſam doctrinam, fideles diſpenſantem ab eliciendis divini amoris actibus, tam in uſus rationis initio, quàm in mortis articulo. Jeſuitæ plures peſtilentem hanc doctrinam, quæ piis auribus incutit horrorem, tradiderant in libris ſuis; ſed ob ſummorum Pontificum Decretum, eam publice vel privatim tradi ſub pœna excommunicationis prohibentium, doctrina tam horribilis videbatur amplius non tradenda. Eam nihilominus Muſſiponti publicis in Theſibus 17. Januarii 1687. tradere auſus fuit Profeſſor Jeſuita. Eam quidem hæreticam ſolemni Decreto pronuntiavit Alexander VIII. 27. Auguſti 1690. Aſt Decretum ipſius in Societate receptum non fuit, cùm illa ipſa hæreſis à tribus Jeſuitis Lovanii die 24. & 25. Novembris 1711. de novo defenſa fuerit Præſide P. Jacobo Matin. Et tempus iſtud eſt obſervatione digniſſimum,

qui.

quia tunc Socii Romæ congregati ſuo & totius Societatis nomine profitebantur S. *Sedi Apoſtolicæ conſtantiſſimum obſequium, reverentiſſimam ſubmiſſionem, obedientiam cæcam, in amplectendis & exequendis quæcumque per eandem S. Sedem decreta fuerint, & imperata.*

Idem Profeſſor etiam docet, quod neceſſitate medii ad ſalutem neceſſe non ſit expreſſe credere in Chriſtum, nec credere Incarnationis Myſterium. Et quamvis doctrina iſta conformis ſit propoſitionibus vigeſimæ ſecundæ, & ſexageſimæ quartæ, ex 65. per Decretum Innocentii XI. proſcriptis, & inſuper damnata ſit per Decretum Rmi D. Vicarii Generalis Archiepiſcopi Mechlinienſis Sede vacante, idem Profeſſor eam adhuc ſuſtinuit in ſcripto per Rectorem Antverpienſem approbato & ſubſcripto.

Nec magis exacta fuit Jeſuitarum ſubmiſſio erga Decretum Alexandri VIII. contra peccatum Philoſophicum, cujus doctrina (à Sociis conſiderata velut pretioſa hæreditas Patrum ſuorum) apud omnes fere Societatis Authores ſic ſparſa, ut vix perciperetur; zelus eam publico communicandi perceptibilem reddidit. Eam publicis Theſibus notam fecit Divionenſis Profeſſor, ſparſerunt & majori cum libertate alii Socii multi.

Eam erroneam declaravit Alexander VIII. per Decretum ſuum de 27. Auguſti 1690. Sed impedire non potuit ne poſt illud doceretur in Flandria, Maſſiliæ, Rothomagi, Cameriaci, Agennii &c.

En bono numero facta inconteſtabilia (præter ea quæ adducta ſunt Clang. XI.) invictè (ni fallor) probantia quod ſincerum hoc votum, hic ſpiritus, hic caracter Jeſuitarum non ſit, ad amuſſim admittere, amplecti, & exequi Decreta Apoſtolica, ſibi non favorabilia. Sed longe majus eſt malum, (& faxit Deus, quod in ſolis Collegiis ipſorum reprobatæ illæ doctrinæ tradantur) iis Epiſcoporum quoque ſeminaria inficiuntur, & funeſtis hiſce plagis ab Epiſcopis Eccleſia vulneratur, dum per ignavam aſſentationem, vel ſecretum majo-

ris

ris & majoris elevationis ſuæ deſiderium, Juniorum Eccleſiaſticorum ſuorum inſtructionem Jeſuitis committant. Quid ab annis tribus in Tornacenſi Seminario accederit, quis neſcit? Ibi P. Lorthioirus in ſuo Tractatu de virtutibus Moralibus n. 1007. docere auſus fuit propoſitionem quadrageſimam quintam ab Innocentio XI. proſcriptam, nempe quod Simonia non ſit, temporale bonum dare pro ſpirituali, ſi non detur per modum pretii. Triplicem quoque contractum, ab Innocentio XI. propoſit. 40. reprobatum contra Bullam Sixti V. *deteſtabilis.* juſtificat; nec non trigeſimam ab eodem damnatam, quæ dicit, eſſe licitum viro honorato occidere eum, qui infert ipſi gravem injuriam, vel ipſum dehonorare nititur per ictum alapæ, vel pugni, ſi aliter hæc ignominia vitari non poſſit. Curati nonnulli, tacti dolore cordis intrinſecus de tanto malo (Diœceſim Tornacenſem totam inficiente) ſcandaloſam iſtius Profeſſoris doctrinam Epiſcopo denuntiarunt. Sed hactenus manſit in ſilentio.

Patres illi memorabilius adhuc ſuæ erga Pontificias deciſiones inobedientiæ exemplum tradiderunt, quo compellor præſens ſcriptum luci committere, ſuper Sinicis utique negotiis.

Poſtea quam S. D. N. Clemens XI. per Decretum ſuum de 20. Novembris 1704. Sinicas damnaſſet Ceremonias, damnationem iteravit, Apoſtolicaque Authoritate probavit, confirmavitque mandatum Eminentiſſimi D. Cardinalis Turnonii, per aliud Decretum de 25. Septembris 1710. omnibuſque cujuſcumque ſtatus, conditionis & dignitatis, ſub gravibus pœnis inhibuit hac de re quidquam prælo dare. Pontificiæ ergo iſti prohibitioni obedientes, eo in negotio magis intereſſati, Dominicani utique, & Domini de Seminario Miſſionum extranearum, altum ſervaverunt ſilentium. Sed non ſervaverunt Jeſuitæ Itali, imò varios ad ipſis inſultandum libellos ſparſerunt: ex ſilentioque ipſorum Socii audaciores facti, auſi ſunt Sinicas illas Ceremonias, abſolutè damnatas ut idololatricas, tueri ac ſuſtinere in nova Societatis Hi-

Hiſtoria Romæ, ſub oculis Papæ, per P. Jouvencii compoſita (*a*). Nemini probata eſſe potuit audacia tam impudens & temeraria, ne ipſis quidem Societati devotis. Nec credibile fuit, reperiendos Romæ Approbatores tam impudentes, & tam modici lumnis, ut opus tam apertè, tamque ſolemniter prohibitum per Decretum illud anni 1710. approbarent.

Hoc facilè Patres animadverterunt. Et ideo per inſigniſſimum (qui unquam fuit) dolum, ut orbi univerſo tam audax opus conſpiciendum darent. Approbatoribus ad examinandum non præſentarunt niſi tres vel quatuor iſtius Operis libros, cæteris (numero undecim vel duodecim) occultatis, prout fidem facit querela & declaratio de eo ab Approbatoribus facta.

Factum iſtud inconteſtabile eſt, totique Europæ hodie notum; de eo Papa nonnihil indignatus, Opus ſupprimi juſſit, vulgarique prohibuit. Sed fruſtra. Tum quia Patres, velut prophetică ſuâ prudentiâ, ingentem exemplarium numerum per omnia regna diſtribuerunt. Tum quia duas fieri juſſerant Editiones differentes, quarum una ſilet ea, quæ de Sinicis Ceremoniis altera continet. Perfacile mihi eſſet plurimas alias occaſiones enarrare, in quibus Jeſuitæ demonſtrarunt manifeſtam ſuam adverſus S. Sedem inobedientiam. Verum ea quæ proximè dixi pluſquam ſufficientia ſunt ad probandum, quod P. Generalis, terminis tam energicis prætenſam Societatis ſubmiſſionem, magnificando, noctem videri vult in plena die, vel Publicum callidè ſeducendo, in ſenſus ſuos inducere.

Et revera, dum boni illi Patres, poſt tot inobedientias, prætendunt ſibi non defuiſſe ſubmiſſionem & venerationem erga Chriſti Vicarios; Jurene Janſeniſtis improperant defectum ſubmiſſionis erga Pontificias ipſorum Conſtitutiones, tametſi declarent aliam non eſſe ſuam intentionem, Formularioque, prout lubet, ſubſcribant? Aſt

(*a*) *Vide ſcriptum recens editum ſub hoc titulo:* Examen des Fauſſetez ſur les Cultes Chinois, avancées par le P. Joſeph Jouvenci, dans l'Hiſtoire de la Compagnie de Jeſus, cinquieme partie, tome 2. liv. XIX.

Aſt ubi de Janſeniſmo incidit ſermo, cohibere me non poſſum à faciendis reflexionibus nonnullis; quæ videntur mihi ſat juſtæ. Suntne Jeſuitæ Sanctæ Sedi erga Brevia & Conſtitutiones Apoſtolicas iſta in materia æquè inobedientes ac ipſi? Sunt utique, ſunt, dum ad ſalivam Conſtitutiones & Brevia non ſunt. Hîc non prætendo (nec enim ingenia tenenda ſunt in ſuſpenſo) quod iſti Patres obedire recuſent Conſtitutionibus Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. quinque famoſas propoſitiones damnantibus, Formulariique ſignaturam præſcribentibus, vel ſuper iis quidquam ampliùs quàm ſilentium reſpectuoſum exigentibus.

Hoc ipſis exprobrare, calumnia foret omnium aterrima; cùm publicum ſit, quod hoc in puncto ad ſcrupulum exacti ſint; quod dies & noctes ſtudia ſua conferant ad inſpirandum omnibus hunc ſpiritum; quod ad minimam cogitationem, quod quiſpiam honeſtus in contraria ſit diſpoſitione, cælum & terram moveant ad ipſum (ſi poſſint) humiliandum, perdendum, conterendum. Aliud igitur eſt in Brevibus & Conſtitutionibus illis in quo Jeſuitæ ſunt culpabiles, & in quo artium Jeſuiticarum Author verè dixit, ab ipſis non recipi Pontificia Decreta, dum ad ſalivam non ſunt.

Cùm Lovanienſis Academia, & Eccleſiaſtici complures, querelas ſuas ad Innocentium XII. detuliſſent, quod Jeſuitæ ſub odioſo Janſeniſmi prætextu perſequerentur Viros agnitæ probitatis, doctrinam ipſorum non probantibus; quod ipſos apud Principes ſuſpectos redderent de rebellione; quod Jeſuitarum ſuaſione, bonis ſuis, beneficiis & officiis ſpoliarentur; quod eruditione magis conſpicui ex Univerſitatibus in exilium detruderentur.

Pontifex 6. Februarii 1694. Breve ſcripſit ad Belgii Archiepiſcopos & Epiſcopos, ad afferendum tantis malis remedium, quo ipſis, quantum in Domino potuit, injunxit, *ne ulla ratione quempiam vaga iſta accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi, traduci aut nuncupari ſinerent, niſi prius ſuſpectum eſſe* legitime conſtitiſſet, *aliquam ex iis propoſitionibus tenuiſſe; nec quem-*

quam

quam ſub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, Gradibus, ac Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Eccleſiaſtica permitterent, niſi ſervato Juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis graviſſima eſt, promeruiſſe compertum fuerit.

En Breve Pontificium, tam juſtitia & charitate plenum, quàm in terminis ſuis expreſſivum. In eo relucet veri Patris amor, & teneritudo, ardenſque deſiderium procurandæ pacis & tranquillitatis Eccleſiæ. Tantum bonum, nedum toti Belgio, ſed & Galliæ Regno univerſo obtigiſſet, ſi Jeſuitis placuiſſet in ſenſus tam pios, quàm rationabiles, introire. Sed illi ipſi qui prætendunt divini amoris actum ne ſemel quidem in vita eliciendum, ſufficere etiam præbere exterioia aliqua ſigna amoris erga proximum; alieniſſimi fuerunt à ſequenda regula tam juſta tamque Charitativa, quamvis à Sua Sanctitate præſcripta. Janſeniſmi prætextus Jeſuitis medium eſt nimis utile ad magnificandam elevandamque Societatem ſuper ruina proborum hominum, ut ad hoc ipſis non ſerviat per Galliam univerſam. Serviet, quandiu in ea probi homines reperientur, ſi Jeſuitis fides, id eſt uſque ad conſummationem ſæculorum, niſi Deus, miſericordiarum Pater, Eccleſiæ ſuæ miſereatur, crudeles perturbatores ipſius humiliando. Iſta (inquam) hæreſis nimis celerem habuiſſet finem, legitimæ iſtæ inquiſitiones, informationes, probationes, difficultatem nimis magnam creaſſent illis Patribus; quorum dux, iſta in occaſione, ſola eſt ambitio, & immoderatum deſiderium reddendi Societatem formidabilem. Terribilis ipſis confuſio fuiſſet ad nihil redactum videre prodigioſum Janſeniſtarum numerum, quos quotidie ſuis inſcribunt regiſtris.

Et iſta eſt cauſa propter quam, nullâ habitâ ratione Brevis Apoſtolici, ſcopo Jeſuitico minime faventis, perſeverant, ut antè, Janſeniſtas qualificare, quotquot ipſis ad ſalivam non ſunt, vel quorum pietas & eruditio idonea eſt ad expugnandam doctrinam ipſorum. Nec Sacerdotes, nec Regulares, nec Congregationes, nec Ordines, nec Epiſcopi, nec Cardinales ſecuri ſunt ab incur-

incurrendo odioſo nomine iſto. Et quamvis & iſtorum & illorum doctrina ordinariè ſit ſanior, religio purior, fides firmior, quàm ipſorummet Jeſuitarum, non ceſſant (contra Pontificium illud Breve) infinitum Sacerdotum, Religioſorum &c. apprime orthodoxorum numerum dehoneſtare odioſo illo nomine Janſeniſtarum, ipſos, nullo ſervato juris ordine, Eccleſiaſticis beneficiis, officiis, muniis ſpoliare, Paſtores fideles gregibus ſuis abripere, Epiſcopos & Cardinales odioſos reddere, Univerſitates & Seminaria uſurpare, doctrinamque ſcandaloſam ac pernicioſam ubique impune ſpargere.

(9) *Quod ſi quis nihilominus è noſtris eſſet..... qui aliter ſentiret, & loqueretur, & locuturus eſſet &c.*

En probatio convincens, quòd Societas, ut antè dixi, prætendat ſe habere jus & privilegium ſuis præſcribendi quod ipſos credere oporteat, ſuper iis quæ Eccleſia & Doctores communiter ſentiunt. De privilegii natura eſt, ſemper ſubſiſtere, niſi expreſſe revocatum ſit, iiſdem terminis quibus fuit conceſſum. Et iſtud eſt principium in quo ſe fundatos putant, ad prætendendum, quod Pontificiis non ſubjiciantur Conſtitutionibus, prout cæteri Regulares, niſi ſpecialis mentio de ipſis fiat. Extraordinarium privilegium quod ſe habere prætendunt, ut adhærere non teneantur Eccleſiæ ſenſibus, abſque Societatis deciſione, ſic eſt conceptum: *ſi quis aliquid ſentiret quod diſcreparet ab eo quod Eccleſia, & ejus communiter Doctores ſentiunt &c.* Ad ipſi ergo renuntiandum, & vim omnem ipſi auferendam, neceſſe eſt quod Societas illud ſpecialiter revocet, iis utendo terminis. Et iſtud eſt quod in ſua illa declaratione facit P. Generalis, harum regularum non ignarus, dum S. D. N. Clementis XI. ſuper Ritibus Sinicis Decretum acceptando, illiuſque executionem promittendo dicit: *Si quis nihilominus è noſtris eſſet.... qui aliter ſentiret....*

(10.) *Nam id omnino prævenire, aut impedire, nulla ſatis poteſt humana prudentia, in tanta Subditorum multitudine &c.*

O Cer-

Certum eſt, & bona fide fatendum, per Superiorem Corporis tam diffuſi & multiplicati, ſicut eſt Societas, prævideri & impediri non poſſe exceſſus omnes particularium Subditorum, ſibi perſuadentium ſui Corporis diffamationem aliqua in occaſione perperam eſſe factam. Videturque id quodammodo difficilius apud iſtos Patres, ſibi ipſis, ſecundum Amici ſui doctrinam, jus tribuentes calumniandi, imo & occidendi eos, qui comminantur ſe criminis objectione Societatem dehoneſtaturos, prout ex Alexandro VII. diſcimus, cujus Decreto damnata eſt crudelis iſta doctrina. Fuitque iſte unus ex prætextibus, quibus uſum fuiſſe ſcimus Claudium Aquaviva Societatis Generalem ad impediendam doctrinæ Molinæ condemnationem, pro qua Decretum deciſivum meditabatur Clemens VIII. & paratum habebat Paulus V. Nam Paulo V. dicere auſus fuit, *ſi fortè Sanctitas ſua eam infamiæ notam Societati inureret, dena Jeſuitarum millia præſtare non poſſe, qui contumelioſa & indecora Apoſtolicæ Sedis Authoritati non ſcriberent.*

Negari ergo non poteſt, verum eſſe, quod attentis præciſe doctrina & caractere Jeſuitarum, tam delicatorum, ut patienter ferre non poſſint aliquid in lucem dari probroſum Societati, Generalis prudentia fortaſſis impedire non poſſet, ne in tanta Jeſuitarum multitudine, per totam terram diffuſa, reperirentur aliqui tantæ audaciæ & temeritatis, ut Sinicos Ritus ſuſtinerent, adhuc poſt deciſivum Papæ Decretum, eos tam apertè & expreſſè ſuperſtitioſos & idololatricos declarans. Nihilominus attento Societatis regimine abſolùtaque & deſpoticâ P. Generalis Authoritate, vel ipſi Jeſuitæ, majore Principum favore ſuffulti, ipſi reſiſtere non poſſunt. Attento etiam quod Superiores omnes Provinciarum ipſi tenentur ſcribere quidquid ſub ipſis agitur, modum etiam agendi Subditorum ſuorum, quod denique ipſi etiam particulares obſervare tenentur mores, ſenſus & occupationes Confratrum ſuorum, eorumque relationem exactam & fidelem facere Rectoribus & Provincialibus ſuis, vel ipſi Generali. Attentis (in-

(inquam) hiſce omnibus, dicine poteſt prudentiam Generalis rebellionibus iſtis omnibus ſatis obviare non poſſe?

Ibi tamen non ſiſtamus. Patiamur, quod velit eos, qui in locis remotis ſub nominibus adſcititiis adverſus Pontificia Decreta, in favorem ſuperſtitioſorum idololatricorumque Rituum ſcribunt, ſubtrahere ſe poſſe oculis tam oculatæ Societatis. Demus non eſſe in poteſtate ipſius, malis iſtis adferre remedium, Refractarios illos puniendo. Quid jam dicet, quando poſt tam Authenticam declarationem, in facie Eccleſiæ Vicario Jeſu Chriſti tam ſolemniter oblatam, ut per Orbem univerſum ſpargeretur, ipſi exprobratio fiet, quod non ſolum paſſus ſit, ſed & permiſerit, probaritque typis mandari, ſub oculis ſuis, coram ipſo etiam Pontifice compoſitam à P. Jouvencio Hiſtoriam, in qua plectenda temeritate (tanta ut ſit abſque exemplo) authorizantur omnes illi Ritus per Eccleſiam toties damnati? Quomodo juſtificabit factum audaciſſimum celebris iſtius Jeſuitæ, per totam Societatem deſtinati ad componendum Opus iſtud, auſi aſſerere quod ſuum Opus approbatum eſſet à Magiſtro ſacri Palatii Apoſtolici, dum per Authenticam iſtius Magiſtri S. Palatii declarationem omnino conſtat, quod Pater Jouvencius ipſum fefellerit ex iſtius voluminis quindecim vel ſexdecim Libris, ipſi ad examen non offerendo niſi tres vel quatuor, in quibus nihil invenit quod corrigeret. Quodque ad decipiendum audacius Publicum, Societas curarit, duas ejuſdem voluminis fieri editiones, in quarum altera Decretum Apoſtolicum impugnatur? Tam reſtrictane eſt P. Michaelis Angeli Tamburini prudentia, tam parva notitia, ut neſciat quod Romæ fit, & in domo propria? Uſque ad quod tempus fraudes tam patentes conſpicientur?

11. *Præpoſitus Generalis, nomine totius Societatis, declarat ſe jam nunc illum reprobare, repudiare, ac merita caſtigandum pœna, neque agnoſcendum pro vero & genuino filio Societatis &c.* Ad nihil reducuntur verbales iſtæ proteſtationes, tanto minus ſinceræ quod hodie

O 2 viſibile

viſibile ſit per eas Eccleſiam ludibrio habitam fuiſſe, ipſius Capiti imponendo. Quali pœna caſtigatus fuit publicus ille & doloſus Papalium Decretorum prævaricator Pater Jouvencius? Ubi & unde conſtat ipſum non agnoſci verum & genuinum Societatis filium, cum ipſa expenſam ſubminiſtrarit editionis Operum ipſius, & ut editionis ſuppreſſionem præveniret, eam per totam Europam fraudulenter diſtraxerit? Ubi ſunt fulgura & fulmina, quæ anno 1711. ad manum eſſe vedebantur Generali, totique Societati, ad temerarios illos compeſcendos, comprimendos, & conterendos, cum ipſos ex adverſo Societas protegat, laudet, & ubique honoret, velut defenſores gloriæ Societatis? Quam ob cauſam ipſos è corpore ſuo non amandavit ipſa, quæ in ſinu ſuo ferre non poteſt eos, qui non ſatis zeloſi ſunt pro promovendis rebus ipſius, vel liberius redarguunt, damnanteque quidquid univerſus Orbis reprobat & rejicit.

12. P. Generalis declarat, *quòd ea mens & praxis, quam ſemper habuit, & modo habet Societas.*

Mendacium ſuper mendacium, falſitas ſuper falſitatem. P. Tamburinus coram Sua Sanctitate proteſtatur, quòd ſua Societas illum nunquam tanquam ſuum agnovit, ſed tanquam degenerem & illegitimum *ſemper habuit, & modo habet, qui obediens non eſt Decretis & Conſtitutionibus S. Sedis, quodque eos ſemper abjecit, velut pœna & caſtigatione dignos.* Eſt tamen notorium publica notorietate, quod Jeſuitæ, ſatis audaces, ut pro intereſſe Societatis contravenire audeant ipſius deciſionibus, majori apud ipſam ſint in honore. Unquamne repudiavit, punivitque Muſſipontanum Profeſſorem, qui ſcandaloſam tradiderat Vaticanoque fulmine toties percuſſam doctrinam, quod divini amoris actum homo elicere non tenetur in vita ſua, nec in ipſa mortis hora? Imo ipſum ex Muſſipontano Collegio Societas non amovit, niſi ut alibi Rectorem conſtitueret. Patremne Lorthioirum habuit pro degenere filio ſuo, dum doctrinis pernicioſis Eccleſiaſticos infecit Semi-

narii

narii Tornacenſis? Econtra ipſum inde amotum Namurci collocavit, ut ibi Miniſter eſſet, Caſuiſtaque Collegii, prout diſco ex litteris, quas P. Carlier Rector Namurcenſis ſcripſit 11. Februarii noviſſimi de de morte iſtius Jeſuitæ. Fuitne contritus P. Philippus, qui tamquam Seminarii Tornacenſis Superior doctrinæ ejuſdem Patris Apologiam concinnavit palam, & in amaritudine cordis ſui conqueſtus, quod propoſitiones ipſius in invidiam traherentur? Sua pœna mulctatus fuit P. Francolinus, poſt Innocentii XI. Decretum, in operibus ſuis Romæ editis auſus indigne loqui de Epiſcopis, Prælatis, & Theologis, laudantibus Confeſſarios, peccatoribus abſolutionem tempore & loco differentibus, vel denegantibus, ut ad ſe redeuntes veri efficerentur pænitentes? auſus etiam Clericis Romanis crudelia & funeſta peccatoribus dogmata inſpirare? Nonne Patrem Matin poſt traditam Lovanii doctrinam ab Innocentio XI. damnatam, Rectorem Antuerpienſem P. Generalis inſtituit? Et an non diſcimus Jeſuitam Rothomagenſem, poſt defenſatam nuperrime publicis in Theſibus doctrinam de peccato philoſophico, ex Collegio illo juſſu Archiepiſcopi non amotum, niſi ut Theologiam doceret Claromontii in Alvernia? Chimeris ergo Publicum paſcere voluit P. Generalis, dum dixit in Societate non tolerari, ſed humiliari, non ſubmiſſos S. Sedi. Contrarium manifeſta docet experientia, Sociis utique perſuaſum eſſe, iſtud eſſe indubitatum medium ad altiora aſcendendi in Societate.

(12) Tales, *quantum poterit, ſemper compeſcet, comprimet & conteret.* En azyli locus, ad quem ſe recipit P. Generalis, poſt teſtificatum tantum zelum ſuum in ſuſtinendis Pontificiis Decretis, adverſus Jeſuitas eorum violatores. Dicit ergo à ſe compeſcendos & conterendos, quicumque de Sinicis Ritibus aliter ſentient quàm in deciſivo ſuo de iis Decreto Sua Sanctitas expreſſit. Sed)inquit) *quantum potero.* Reſtrictio iſta, & præcautio ſat inutilis videtur in Superiore, qui tanto pro gloria Dei Eccleſiæque Authoritate zelo verè animatus, ſupremam & abſolutam in Ordine ſuo

caſtigandi rebelles habet authoritatem. Quia ſi poſt tentatas omnes convenientes vias, ad ipſos revocandos intra ſemetipſos, duritiem ipſorum effringere nequeat, jus habet ipſos è Societate pellendi, ne tanquam membra putrida alios inficiant. Quod ſi faceret, cuique perſuaderet, ſe fautorem non eſſe rebellium Subditorum ſuorum.

De eo ſatis convictus eſt P. Generalis iſte. Sed aliò vertit oculos ſuos, ad Jeſuitas utique apud Sinas exiſtentes, qui juramento ſuo adſtricti ad non redeundum in Europam, non obſtante quacumque Superiorum ſuorum, vel Romani etiam Pontificis ordinatione ſeu præcepto, hodie ſunt velut de domo Sinenſis Imperatoris; abſque formidine proinde Cenſurarum, pœnarumque, prævaricationibus ſuis infligendarum. Ingenioſa profectò fallacia ad falſos Miſſionarios illos in ſua rebellione firmandos, & excuſandos. Proteſtabitur quidem Generalis, ſe paratum ad ipſos puniendos, ſuæque adverſus ipſos indignationis, iratique animi ſigna dabit de eo quod non deferant Decretis S. Sedis: poſt omnia tamen ſe juſtificatum prætendet, ſuper clauſula promiſſionis ſuæ, *quantum poterit*, eo quod in poteſtate ipſius jam non ſit ſuam adverſus ipſos authoritatem exercere, eo quod terribiliter irritaret Idololatram Principem illum, qui iſtam ob cauſam è Curia amandare poſſet Jeſuitas omnes, ipſiſque Mandarinatum, & Mathematicarum præſidentiam auferre, ipſos Curiæ ſuæ muniis omnibus, officiiſque ſpoliare; & quod amplius eſt, ipſos omnes è Statibus ſuis exterminare, vel tot Jeſuitarum ipſi capita mittere. Quod eſſet jactura & ruina plena celebris iſtius Miſſionis. Specioſus profectò prætextus ad ſuſpendendam punitionem.

Sed quid tandem dicent illi Patres, ſi Generalis ipſos, plenaria authoritate, ſub graviſſimis pœnis adſtringat ut venerenter accepteent, & fideliter exequantur quidquid adverſus Sinicos Ritus deciſum eſt per Pontificia Decreta? Quid (inquient) Reverendiſſime Pater, viſne ut hodie abjicere teneamur praxim, quam hactenus licitam exiſtimavimus, quamque

ut

ut talem à tot annis tanto cum ardore ſuſtinuimus? An oportet quod à Patre & Capite noſtro compellamur ad amplectendam doctrinam Dominicanorum, Dominorumque de Seminario Francico Miſſionariorum, qui apud nos hactenus ſemper habiti ſunt velut homines imprudentia ſua Religionem hiſce in partibus perdentes, quoſque apud Imperatorem depinximus velut homines imprudentes, hiſce in Provinciis Sinicis omnia perturbantes? Uſque adeone mortificabimur, ut compellas nos, cum cordolio noſtro, è templis noſtris tabulam auferre *Kim tien*, quâ nos Imperator honoravit, cujus uſum innoxium adverſus Epiſcopum Cononenſem invicta firmitate ſuſtinuimus? Abjicienduſne eſt à nobis dilectus nobis Confucius, pro cujus honore à tot annis uſque adeo decertavimus, quemadmodum & pro cultu à tot ſæculis à Sinicis ipſi exhibito? Prætendiſne tot bonos Chriſtianos, quorum delicatis animis nos hactenus accomodavimus, Progenitoribus ſuis amplius deferre non poſſe ſolitos honores per Patriæ leges præſcriptos, quos Sanctus Fundator noſter Pater Riccius, per magni ingenii ſui ſubtilitatem, ab idololatria & ſuperſtitione tam bene purgavit? An non vides, Romane Pater, quod nos compellendo ad deferendam & exequendam obedientiam Pontificio Decreto, tua nos Paternitas exponat ad tantam infamiam apud Imperatorem, ut nos habiturus ſit velut qui abuſi ſumus confidentia ipſius, ipſi perſuadentes licitum & honeſtum eſſe, quod Pontificio Decreto idololatricum declaratum eſt, ac ſuperſtitioſum, quodque tandem morte nos punire poſſet, ob diſſimulationem noſtram? Ergone deinceps in funeſtâ erimus neceſſitate à Sinicis, & Mandarinis idololatris ſenſibiliſſimas audiendi exprobrationes, quod Religionem noſtram neſciebamus, practicando quod ipſa damnat, vel quod ipſos fefellerimus, ipſis cultum permittendo quem Papa declarat lege divina prohibitum? Tandem, Romane Pater, viſne hodie tantam erga nos duritiem exercere, ut nos adſtringas ad abjiciendam opinionem in Societate ſat bene receptam, quod in quacumque quis Religione

ſalvari poſſit, dummodo ſectarum differentium affectæ probabilem ſequantur opinionem, ſuamque bene dirigant intentionem? Et an neceſſe eſt quod poſt tantum ſollicitudinem nobis conciliandi Principis genium, illam ipſi offenſionem inferamus? Ritus ipſi tam acceptos condemnando, poſteaquam tot nos beneficiis cumulavit, primariis Imperii ſui dignitatibus nos honoravit, nobis in omnibus & per omnia eſt favorabilis, plenam nobis negotiandi licentiam, ad implendos theſauros tuos libentiſſime concedit? Nimis fortes Generali videbuntur rationes iſtæ ad non excuſandum Sinicos illos Miſſionarios. Allegabit haud dubie ſuum illud *quantum poterit*, ſi ipſi exprobretur, quod non puniat rebelles illos.

(14.) *Quod ſi ad exprimendam efficacius in hac proteſtatione mentem inveniri poſſent verba clariora, & magis ſignificantia* &c. Certum eſt, quod ſtando in litterâ iſtius expreſſionis P. Generalis eſſe videatur in diſpoſitione ſincera Pontificium acceptandi Decretum, & ipſius urgendi executionem. Omnes Societatis devoti hoc cum gaudio ſibi perſuadebunt. Turbaque eorum, quorum elevatio & fortuna à Jeſuitis pendet, ipſis altiſone congratulabitur, quod per iſtam declarationem ſiniſtras omnes aboleverint opiniones, inde conceptas, quod Jeſuitæ, cum opprobrio Societatis ſempiterno, nunquam viderentur ſubmiſſi S. Sedis deciſioni.

Et ideo venerationem iſtam ad S. Sedem velut quoddam humilitatis prodigium magnificabunt, extraordinarium Corpori, ne ipſis quidem ſacratioribus legibus obedienti, niſi quantum ipſi placet. Omnibus (inquam) iſtis (qui per humanas conſiderationes canonizant quidquid à Jeſuitis agitur) ſic ſatisfactum erit per declarationem illam, ut dicturi ſint, nihil amplius exigi poſſe. Sed non ſic ab imo ad ſummum de negotio iſto, Jeſuiticoque genio inſtructi, utpote nimium ſibi præcaventes, ne per ſpecioſas apparentias, illum in errorum mittantur. Prorſus aliter ipſi cogitant, expreſſiones utique illas ſinceras non eſſe, ſed fictitias & ſimulatas;

latas; dum enim per eas Summo Pontifici Jeſuitæ proteſtantur ſeſe ſubmiſſos eſſe Decretis ipſius, eodem tempore Eccleſiæ notum faciunt, æquali ſe contumacia continuare in ſuſtinenda (adverſus Decreta illa) praxi damnatâ Patris Ricci. Id modo demonſtrandum.

Dum inter Partes nonnullas conteſtatio eſt, Pars illa ſententiæ Judicis ipſam condemnantis plene ſe ſubmittere non cenſetur, quamlibet declaret ſe ſubmittere, ſi ſe fundatam ſentiens in legitimo aliquo Decreto, ad continuandam poſſeſſionem alicujus boni, quo Pars altera vult ipſam ſpoliare, per actum publicum proteſtationem ante fecerit, ſe ſemper manſuram in jure fruendi bono illo, ſi à Judicibus non caſſetur, nec revocetur Decretum ipſius favens poſſeſſioni. Dici quidem poterit, ſi libuerit, quod ab omni prætenſione ſua exciderit; ſed hoc dicentes non audiet; nec Pars altera contendens ſatis erit imprudens, ut credat quod in pace & ſecuritate vivere poſſit, quodque Pars ſibi adverſa ſuis ſe juribus ſpoliabit. Neceſſe eſt proinde, quod qui poſt ſententiam prætendit, in vim declarationis ipſius, ſibi competere jus, non ſolum fateatur ſe condemnatum, nec ſibi juſtam ullam prætenſionem competere ſuper bonis conteſtatis, ſed inſuper in particulari (non obſtante ſententia) renuntiare debeat, Partique conteſtanti cedere quod ipſi uſque tunc diſputavit.

En idæa juſta eorum, quæ contigerunt in famoſis, quæ tot annis durarunt, conteſtationibus, inter Patres Dominicanos, Eccleſiaſticoſque Miſſionarios, ex una parte, & Jeſuitas ex altera, occaſione Sinenſium Ceremoniarum. Statim atque Dominicani à S. Sede Decretum obtinuerunt, Ceremonias illas damnans velut idololatricas & ſuperſtitioſas, Jeſuitis illud ſignificarunt ut ſcirent ſe victos. Sed non ideo ſe victos exiſtimarunt; quin potius unum de ſuis ad S. Sedem deputarunt, à quo cum quæſtio facti prorſus aliter expoſita fuiſſet, modo utique oppoſito veritati, aliud impetrarunt Decretum, illas juſtificans Ceremonias. Decretum

tum tamen iſtud S. Sedis Dominicanis non inſinuarunt. Verùm ſe victores ubique proclamarunt, cùm licitas Pontifex innocuaſque declaraſſet Ceremonias, quæ idololatricæ habebantur. In antiqua proinde ſua ſe praxi perſeveraturos dixerunt, cum proteſtatione iſta: cum Papa earum praxim, in cujus poſſeſſione pluſquam à centum ſumus annis, opinionem noſtram & praxim nunquam mutabimus, niſi alius Papa expreſſè revocet Decretum Alexandri VII. ſuper quo fundati ſumus. Et iſtud eſt quod in Epiſt. ad quemdam Prælatum palam *declararunt*, *& adhuc declarant*; *quòd ſi Papa damnet praxim quam ſecuti ſunt, alterius Papa authoritate ſuffulti, quodcumque nobis damnum inde proveniat, honoris, libertatis, & ipſiusmet vitæ, protinus obedirent, abſque reſtrictione. Eamdem ſæpius proteſtationem fecerunt Chriſtiani ſub ipſorum cura exiſtentes. Quid amplius exigi poteſt ad probandam ſuam ſuorumque Neophytorum ſubmiſſimem? Potueruntne Jeſuitæ ſecundum regulas Chriſtianæ prudentiæ in conſcientia aliter quàm hactenus ſe gerere? ..... Jeſuitæ in circumſtantia certò obventuri tanti mali, (quantum eſt Chriſtianæ Religionis deſtructio, Sinico in Imperio) renuntiarene poſſunt poſſeſſioni (in qua ſunt) Pontificii Decreti uſquedum per alium Pontificem ſit revocatum?*

Secundùm ſenſum ergo Jeſuitarum neceſſaria eſt Alexandrini Decreti revocatio, ſine qua ſecundùm regulas prudentiæ Chriſtianæ in conſcientia non poſſunt renuntiare poſſeſſioni, in qua ſunt, perſeverandi in obſervantia praxeos P. Ricci. Modo magis authenticoſe ſe explicuerunt poſt Decretum Clementis XI. de 20. Novembris 1704. Ecce enim quomodo loquuntur, publica in proteſtatione, quam ex ipſis unus à duobus vel tribus fecit annis, ut refelleret proteſtationem factam à Dominis Seminarii Miſſionum extranearum (pag. 2. n. 2.) *Secundo loco, quamdiu Sanctiſſimus Pater revocaturus non eſt Decretum Alexandri VII. quamdiu nihil faciet aliud* (prout nihil aliud in noviſſimo ſuo fecit Decreto) *niſi Partibus reſpondere ſecundùm cujuſque Partis factorum expoſitionem, abſque examine vel judicio*

ve-

veritatis vel falſitatis eorum. Quamdiu per abſolutam generalemque Deciſionem non revocabit Alexandri VII. Decretum. Uno verbo quamdiu abſque exceptione ulla non condemnabit, vel non prohibebit Ceremoniam omnem factam in honorem, ſeu Confucii, ſeu progenitorum, uſumque vocabulorum TIEN vel XAMTI, ad ſignificandum Deum verum, uſque tunc perſeverabimus in ſuſtinendo eo quod verum ſemper exiſtimamus, Ceremonias, quales hactenus permiſimus, non eſſe niſi civiles honores. Atqui Clemens XI. per Decreta ſua Alexandri VII. Decretum non revocavit. Adhuc ergo Jeſuitæ perſiſtunt in credendo & ſuſtinendo Sinicas Ceremonias, quales uſque nunc permiſerunt, non eſſe niſi civiles honores; tametſi Papa declaraverit eſſe cultus idololatricos & ſuperſtitioſos. Eapropter Jeſuitæ cenſendi non ſunt S. Sedi obedientes, non obſtante prætenſa ſua declaratione, niſi expreſſè renuntient juri ſibi (uti prætendunt) acquiſito per Decretum Alexandri VII. Si enim Societatis Generalis bona & ſincera fide coram Sua Sanctitate egiſſet, ipſi declarare debuiſſet, & in perſona ipſius Eccleſiæ univerſæ, quod ipſius Decretum amplecteretur & acceptaret, ipſiuſque executionem polliceretur, non obſtante Alexandri VII. ſuper Sinicis Ceremoniis Decreto anni 1656. in quo praxim ſuam Societas fundabat.

Expedit nihilominus aliquam hic facere reflexionem ſuper poſtulatione Jeſuitarum, factâ iſtius Decreti occaſione. Ipſis reflexio nec admodum favorabilis erit, nec grata: quia Publico notam facit tantam ipſorum obſtinationem perſiſtendi in juſtificanda praxi Patris Ricci, ut in ſtupendas incidant variationes, & incidendo neſciant nec quid agant, nec quid poſtulent. Ex quo Clemens XI. ad Pontificatum aſſumptus fuit, vehementer ſollicitatus fuit pro dando deciſivo ſuper Sinicis Ritibus Decreto. Cùm Ritus illi, diuturno, maturo & diligentiſſimo examine, per plures annos continuato, à S. Congregatione diſcuſſi fuiſſent ſub Innocentio XII. Audax & inſolens agendi modus hæreticorum, Pontifici cauſa fuit ultra non differendi, cùm

Eccleſiæ Romanæ palam & per publica Scripta inſultarent, quod per molliores ſuos cum Jeſuitis agendi modos idololatriam foveret. Idem concludebant hæretici Galli. Quo cum graviter commoverentur Epiſcopi Gallicani, Romæ (prout diſcimus ex litteris R. Patris de la Chaiſe de 11. Septembris 1702. ad Epiſcopos iſtos) ſparſus eſt rumor, *quod Eccleſia tota Gallicana ſe adverſus S. Sedem erigeret, ſuper ſua tarditate in condemnandis opinionibus Sinicorum Miſſionariorum*, itant ſi Sanctitas Sua promptè non caſſaret Decretum, per quod Alexander VII. ad facilitandum veræ fidei progreſſum, declaraverat quænam ibi Ceremoniæ poſſent conſervari, ſemper inde creſceret obſtaculum magnum in converſione hæreticorum Gallorum.

Nuntia iſta, Romæ publicata, ad Pontificis aures pervenerunt, Jeſuitasque in grandes anxietates injecerunt, non ſine ratione magna formidantes, ne tot Epiſcoporum querelæ Sanctitatem Suam compellerent ad finiendam controverſiam, quam affectabant per novas & novas cavillationes ac ſubterfugia perennare. Pater de la Chaiſe in partes ſuas ſuſcepit turbinis iſtius diſſipationem, quo Societas in anxietate magna erat. Sibi perſuaſit quod in quantum Regis Confeſſarius, Epiſcopatuum, Abbatiarum, & beneficiorum diſtributor, omnes Epiſcopos illos ad optatum finem ſuum perquam facile reduceret. Eapropter memoratam ipſis epiſtolam ſcripſit, qua poſt repræſentatum ipſis rumorem, Romæ ſparſum, quod ardenter poſtularent caſſationem Alexandrini Decreti, ad facilitandam Calviniſtarum converſionem, ipſis perſuadere conatus eſt hæreticos ex adverſo videntes ex caſſatione illa contradictionem in Pontificiis Decretis, inde occaſionem arrepturos Eccleſiæ majori cum temeritate inſultandi: *haud crediderim* (inquit) *in ea vos eſſe ſententiâ, neque à vobis datam authoritatem iis quibus placuit apud Suam Sanctitatem ſe ſuper hoc puncto, prorſus falſo & malignè adinvento, nomine omnium hujuſce Epiſcoporum fidejuſſores facere. Non te latet contrarium, Illuſtriſſime Domine,*

cum

cùm certum ſit & manifeſtum quod Proteſtantibus nihil jucundius accidere poſſet, nihilque ad ipſos in ſchiſmate fovendos magis idoneum, quam eam in Pontificiis Decretis videre contradictionem (à novatoribus tam ſtudioſe quaſitam) mundoque univerſo perſuadere, quod Eccleſia per annos pluſquam centum idololatrias in Sina permiſerit, de iis bene informata.

Ecce quomodo Jeſuitæ loquebantur ante Decretum anni 1704. Quantum in ipſis erat, impedire conabantur ne Alexandri VII. Decretum revocaretur, perſuaſi quod damnari non poſſent niſi annullato Alexandrino Decreto. Sed quia contrarium hodie conſpiciunt, quodque directè & expreſſè non revocato iſto Decreto praxim ipſorum idololatricam Sanctitas Sua declaraverit, priuſquam ſeſe ſubmittant, damnatamque praxim ſuam abjiciant, directam expreſſamque Alexandrini Decreti à Papa revocationem volunt. Quod quid aliud eſt, niſi parum ipſis curæ eſſe, in eo Proteſtantibus gratificari, in ſuoque ipſos fovere ſchiſmate; dummodo aliquem habeant prætextum ſemetipſos juſtificandi. Quàm varius & irregularis eſt iſte agendi modus! Quis jam non videt à S. Auguſtino in Pſ. 131. veriſſime dictum, quod nihil ſolidi habeat falſa doctrina quod *non in ſe ſtat, mutatur per ætates, mutatur per mutationes temporum & locorum, mutatur per morbos & defectus carnales.*

(15) *Sanctiſſimus Dominus noſter ſupradictos Patres, Præpoſitum Generalem &c. benigne excepit &c.*

Nemini mirum videtur à Sanctiſſimo Domino Clemente XI. tam benigne acceptos omnes Jeſuitas illos, qui ad Congregationem generalem ex omni parte Europæ advenerant. Tenerrimo ipſos ſemper proſecutus eſt affectu; in omnibus ad ipſos ſpectantibus favorabilis eſt omni in occaſione; ipſis aperit cor ſuum; ipſius habent confidentiam, & benevolentiam tantam, ut tunc etiam ſileat, cùm neceſſarium videri poſſet, quod velut alter Propheta quaſi tuba exaltaret vocem ſuam. Et quod magis eſt ſtupendum, adhuc neſcitur

punitio ab ipſo facta de horribili attentato ab ipſis commiſſo in—perſonam ipſius de Latere Legati in China, quem captivum detinuerunt, cumque extrema ſævitia ad mortem uſque perſecuti ſunt. Tantus amor ipſius, & patientia erga Jeſuitas pleriſque videri poſſet exceſſiva. Sed rationibus ordinariis hoc in caſu non eſt inſiſtendum, imò conſiderandum, quod Superiores univerſales, rationes habent univerſales, à cæteris hominibus impenetrabiles. Itaque exiſtimemus potius quod tot ipſos beneficiis non cumulet, niſi ut corda ipſorum emolliat, ſicque intra ſemetipſos redire faciat. Et ſi necdum puniat ingens crimen iſtud, tantam Societati infamiam creans, fortaſſe eſt quia formidat, ne grandius malum cauſent in Eccleſia Dei; interea ſemper confidens quod benevolentiâ ſuâ aliquando perfringet duritiem ipſorum, iſtiſque rebellibus ſpiritum inſpirabit pacis & manſuetudinis. Denique, ſi Pontificia benignitas abſque deſiderato hactenus fuit ſucceſſu, deſperanda non eſt ipſorum ſub alio Pontifice correctio; vel quod Deus, tot ipſorum inſultibus & perſecutionibus (adverſus Eccleſiam ſuam, & fideles apprime probos ſuſcitatis) tandem fatigatus, cauſam ſuam in manus ſuſcipiet, humiliabitque eos qui ſeipſos exaltant ſupra omnes Poteſtates.

CLAN-

CLANGOR XXI.

Reformanda in Jeſuitis nimia opinandi licentia.

SI à ſpiritu Sancti Fundatoris ſui Ignatii non receſſiſſent Jeſuitæ, ab avita in Societate S. Thomæ doctrina ad novitias opiniones non declinaſſent; ſanctus quippe Ignatius novas opiniones nunquam admiſit, ſed quemadmodum Angelici Doctoris ſecutus eſt doctrinam, eam à ſuis ſequendam ſancitâ lege voluit Conſtit. 4. p. c. 14. Verùm ex quo cæteris videri voluerunt ſapientiores, derelictâ lege iſtâ ſui Sanctiſſimi Fundatoris, plerique ex ipſis facti ſunt inſipientes, quia, volentes ſequi ſpiritum ſuum, evanuerunt in cogitationibus ſuis. *Væ* enim, Spiritus ſanctus dicit, *Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum.* Ezech. 13. Volentes etiam loqui hominibus placentia, loquuti ſunt falſa & ſtulta: *Via eorum* (quam utique in praxi ſequuntur quàm plurimi ex ipſis ſequendamque docent) *quaſi lubricum in tenebris* (quam qui ſequitur, evadere non poteſt, quin prolabatur) *viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Vaticinantur mendacium, & prophetant ſeductiones cordis ſui.* Jerem. 23. Et tantas quidem ſeductiones, ut vel ipſe Societatis Generalis Mutius Viteleſchus in epiſt. ad Superiores Societatis de die 4. Januarii 1617. ingenuè faſſus fuerit, *quòd nonnullorum ex Societate ſententiæ* (*in rebus præſertim ad mores ſpectantibus*) *plus nimiò liberæ, non modò periculum eſſet ne ipſam evertant; ſed ne etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia adferant detrimenta.* Quod quàm verum ſit, conſtat, 1. ex tot ipſorum opinionibus, ab Academiis, à tot Illuſtriſſimis & ſapientiſſimis Epiſcopis, à generali Cœtu totius Cleri Gallicani, ab ipſiſmet quoque Summis Pontificibus meritiſſimè condemnatis. 2. Ex pluſquam mille propoſitionibus ipſorum Chriſtianam vitam plus nimiò relaxantibus, quas fideliter refert Chriſtianus Alethophilus in libro, cujus inſcriptio eſt, *Artes Jeſuiticæ* §. 5. edit. 2. De iis Regiæ Urbis Pariſienſis

Cura-

Curati, doctrina & pietate inſignes, in libello ſupplici Vicariis Generalibus Eccleſiæ Pariſienſis porrecto non ſine ingenti dolore cordis ſui conqueſti ſunt, *hujuſmodi Ethicem, à Jeſuitis*, (per ſuos Sancheſios, Baunios, Palaos, Dicaſtillos, Eſcobarios, Tamburinos, Gobatios, Caſuiſtarum Apologiſtas, alioſque paris laxitatis Jeſuiticos ſcriptores) *tanto ſtudio ſparſam per totum Orbem, minimè Chriſtianam eſſe. Utpote per quam Chriſtiani hominis bona mens ſpirituſque extinguitur. Nec Judaicam, Phariſaicamque; cùm procul abjiciat, quam Judæi & Phariſæi ſummè colebant, legis litteram, externique hominis probitatem. Nec Philoſophicam & humanam; cùm infenſa ſit æquitati naturali, fidei humanæ, ſenſuique communi, quibus humana philoſophia velut certis adhæret regulis. Denique nec civilem politicamque cenſeri poſſe; cùm humanæ Societatis adeò convellat fundamenta, ut quæ eam admiſſura ſunt Regna, Reſpublicæ, & Imperia, mutuis civium dolis, fraudibus, deceptionibus, cædibus ac furtis cito ſint interitura, nec aliud futura, niſi Reſpublicæ ſine fide, ſine lege, ſine ordine. Quare nullum ſupereſſe quo vocitetur nomen, niſi quod Jacobus exprimit: non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Cur ita? quia ex germanis Chriſtianæ Ethices non derivata fontibus, ſed iis adverſa. *Quæ* enim alia Religio *doctrinam ſanctorum tanta libertate impugnavit* (ait Illuſtriſſimus Palafoxius in epiſt. ſua proximè ſubjicienda) *& illis veræ fidei Anteſignanis, Eccleſiæ columnis, Theologiæ micantiſſimis & digniſſimis præceptoribus minùs detulit reverentiæ? .... In ſuggeſtis ſacris jam reticet Auguſtinus, Ambroſius; obmuteſcunt Gregorius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyrillus, & cæteri Eccleſiæ, non quomodocumque lumina, ſed luminaria fulgentiſſima. Quidam tantùm neoterici Jeſuitæ à ſuis diſcipulis laudati exaudiuntur, & eorum authoritate, dictis, ſcriptiſque, doctrinam Chriſtianam fulcire nituntur. Quod non ſolùm dignitati verbi Dei maximè indecens, ſed neque animarum ſaluti ſecurum exiſtimo. Si enim cuicumque Doctori eadem quæ ſanctis conceditur authoritas* (prout Jeſuitas

ſuitas concedere laudatus Chriſtianus Alethophilus §. 8. artiſ. 48. oſtendit, & nos etiam ex parte ſuprà) *maximè vexare poteſt Eccleſiam opinionum diverſitas, & labefactari fidei puritas, & morum integritas, quæ ex authoritate Patrum & Sanctorum veneratione dependet.* Quos quàm parum Jeſuitæ venerentur ibid. artiſ. 44. Alethophilus demonſtrat. Demonſtrat & ſummâ vir innocentiâ, & ſingulari divinarum humanarumque litterarum ſcientiâ prǽditus Magiſter Franciſcus Roales in ſua *Epiphaneia, & Plerophoria*, hoc eſt, *manifeſtatione & ſatisfactione in luce totius Eccleſiæ ſanctæ Dei*, & univerſæ Reipublicæ, pro aſſerta juſtitia Edictorum & ſententiæ S. Congreg. Eminentiſſimorum Cardinalium in Cenſura librorum, quâ Joannis Baptiſtæ Pozæ *è Soc. Jeſu opera omnia, & quælibet in favorem ejus ſcripta damnantur*, per decretum die 28. Septemb. 1632. promulgatum.

Iſtius Epiphaneiæ verba hic ſubjicere non erit inutile. Sic ſe habent:

„ Sanctiſſime Pater, Imperator, Reges, Princi-
„ pes, &c.

„ Si quando hæreſes, ut probati manifeſti fiant, opor-
„ tuit eſſe: maximè eas eſſe nunc temporis oportuit,
„ multorum caritate refrigeſcente, qui nempe ad ſua
„ deſideria coacervant ſibi Magiſtros, perfectionis
„ ſtudium, Sanctorum Patrum doctrinas evertunt, à
„ veritate avertunt animos, ad fabulas & ſæculi ſapien-
„ tiam convertuntur: & quo voti compotes fiant, Ec-
„ cleſiam Romanam, veritatis magiſtram, parum cu-
„ rant, ſanam doctrinam non ſuſtinent, omnia inte-
„ rius exteriuſque interturbare, ſacra prophanis com-
„ miſcere non deſinunt. Exivit jam diu ex his, imò
„ inter hos divina providentia permittente adhuc eſt,
„ omnium ſanctæ Eccleſiæ Dei adverſantium peſſimus
„ quidam Poza: qui cùm pietatis conſtitutus ſit publi-
„ cus in Chriſti republica anteceſſor, factus eſt om-
„ nium errorum prævius, condus promuſque, noto-
„ rius hæreticorum ſectator dogmatiſta: dum oppo-
„ nit Sanctiſſimo Pontifici Romano, ſcripta ſua, me-

„ rito

by Google

„ rito jureque damnata, uno Deo niti: dum jactat,
„ doctrinas ab Eccleſia ſanctiſſimè prohibitas, impiè ad-
„ verſus Spiritum Sanctum defenſans, ſe in petra ſtare,
„ petramque in qua ſtat, licèt inſaniat mare, non poſ-
„ ſe commoveri: denegat Eccleſiæ & ejus Capiti po-
„ teſtatem ipſum in jus vocandi aut cohibendi: affir-
„ mat Sedis Apoſtolicæ & ſacrorum Conciliorum ge-
„ neralium judicia, in doctrinis & perſonis damnandis,
„ poſt omnem diſquiſitionem juxta formam juris fa-
„ ctam (quod ultimi judicii eſt in Eccleſia, cui Spiri-
„ tus Sanctus aſſiſtit) nulla & prava quandoque de fa-
„ cto: docet liberum ſibi futurum præter Doctorum
„ & Sanctorum Patrum ſententiam, imò & contra,
„ in Religionis & pietatis doctrina innovare, & alia
„ plura enormia horrendaque dictu, in quibus illumi-
„ natos, Tertullianiſtas, Libertinos, Proteſtantes a-
„ lios, omnes Hæreſiarchas, imitari aut ſuperare vi-
„ detur. Nec proprio contentus lapſu, errores ſuos
„ in dies dilatare ex animi deliberatione, ſummo ſtu-
„ dio & ſollicitudine curat improbâ, non ſolùm munus
„ Magiſtri publici obiens laicos nobiles, & promiſcuæ
„ plebis viros ſimplices, aliosque teneræ ætatis au-
„ ditores, peſtiferas ſuas doctrinas lingua vulgari pu-
„ blicè edocens, verùm etiam contra civiles & Eccle-
„ ſiaſticas ſanctiones, in perniciem totius Reipublicæ
„ Catholicæ in lucem editas typis doloſis & fortuitis,
„ Auctore, Typographo & Officina ſuppreſſis, vel fi-
„ ctitiis evulgans, ſacræ paginæ, Conciliorum, San-
„ ctorum Patrum & doctorum Scholaſticorum depra-
„ vationibus, ſophiſmatis, paralogiſmis, mendaciiſ-
„ que impudentiſſimis refertas, compoſitas arte Dia-
„ bolica ad fallendum. Nec feſellit mendaciorum &
„ hæreſeon Patrem ſucceſſus. Plures ſunt proh do-
„ lor! in Hiſpania (ut de feminis aliiſque ſimplicio-
„ ribus taceam) viri Principes, Epiſcopi, Prælati,
„ Doctores, morum probitate, doctrina ac religione
„ præſtantes, quibus pſeudo-catholicus hic dogmati-
„ ſtes, voce, ſcripto, concionibus, prælectionibus,
„ libris, occaſionem præbuit ruinæ; dum favore, plau-
„ ſu

„ ſu & auctoritate ſuæ Societatis laudatur, commen-
„ datur; foro conſcientiæ, ſacris pulpitis & publicis
„ cathedris præficitur, plures, qui falſis ejus ſcriptis &
„ ſacræ doctrinæ corruptelis, pietati fictæ & ſubdolæ
„ fidem adhibentes, incautè approbarunt, temerè ſub-
„ ſcripſerunt. Et quoniam animus à malitia liber
„ non percipit malitiam, Magnates etiam Aulæ ſu-
„ premi patrocinati ſunt candore & innocentia.

„ Propterea ego Franciſcus Roales Presbyter Theo-
„ logus Hiſpanus, Magiſter Salmaticenſis, parentibus
„ Petro Roales & Maria Munnoz, è vetuſta Caſtellano-
„ rum gente in oppido Valdemoro Toletanæ Diœceſis,
„ quadraginta quatuor annos abhinc natus, olim in
„ Regio S. Laurentii prope Eſcorialem Collegio à ſan-
„ ctiſſimis Hieronymianæ familiæ Eremitis pietatis,
„ artium liberalium & Theologiæ ſtudiis, auſpiciis juſ-
„ ſuque Philippi tertii Regis Catholici educatus, apud
„ Salmaticenſes deinceps in S. Mariæ Magdalenæ
„ Collegio Theologus Academiæ deputatus, & publi-
„ cus Mathematum Profeſſor, adaucto ob linguarum
„ & aliarum rerum qualem qualem peritiam honora-
„ rio à Rege & ſupremo Senatu ſtipendio, tandem
„ Principi Emanueli, Filiberto & Regi Catholico Phi-
„ lippo IV. inter ſacerdotes honorarios à ſacris, Sere-
„ niſſimo Hiſpaniarum Infanti Ferdinando à ſtudiis li-
„ terariis: cùm matura inſpectione facta, certò ſci-
„ rem omnia ſcripta & doctrinas dicti Pozæ, ſuorum-
„ que defenſiones, approbationes, commendationes &
„ plauſus, in deſtructionem potiùs quàm in ædifica-
„ tionem fidelium, & fidei catholicæ tendere, viam-
„ que ad omnem hæreſim, imò ad Atheiſmum in
„ Hiſpaniam aperire: memor officii mei erga Regem
„ Catholicum, cui debeo quidquid ſum, erga amicum
„ Regis, cui ob maxima in me collata beneficia ob-
„ ſtrictus ſum, erga Patriam, erga Religionem &
„ Rempubl. pro quibus natus ſum mortem oppetere,
„ nec oblitus debitæ correctionis & caritatis erga Pa-
„ tres (ſic enim audire volunt) admonui primùm Præ-
„ latos, Præpoſitos, & amicos dicti Pozæ privatim,

ip-

„ ipſumque Pozam poſtea coram aliis ſelectis ſeptem „ viris domeſticis & collegis ſuis, ad colloquium & „ diſputationem inter me & illum ab ipſorum Socie„ tate ſpecialiter deputatis, in conſpectu Magnatum „ Hiſpaniæ, Ducis de Ixar, Comitis Salinarum, Co„ mitis Saldaniæ, & multorum aliorum Nobilium vi„ rorum, qui vocati præſentes adfuere, ipſum (in„ quam) perſonaliter conſtitutum, ſuosque, coargui „ palam de multiplici crimine falſi & ſcandalo com„ miſſo ſcienter & cum dolo, in ſcriptis ab ipſomet li„ bellis, à ſuis approbatis atque editis nomineque to„ tius Societatis evulgatis, pravo exemplo læſæ Ma„ jeſtatis & fidei publicæ, quæ læſa in Societatem cla„ mat adhuc. Id cùm ob Pozæ & ſuorum ſuperbiam, „ fraudes, modoſque agendi diabolicos, non ſatis „ eſſet: principibus miniſtris Aulæ & Curiæ regiæ ſug„ geſſi, ut maturè Pozæ & Sociis ejus obviam irent, „ ne Regi Catholico, amicis Regis, & toti Reipublicæ „ imponerent, primates candidiores & optimos quos„ que occultè quàm clandeſtiſſimè ſeducentes, ſub „ doctrinæ & Religionis prætectu Religionem & do„ ctrinam peſſum dantes. Et in hac ſuggeſtione, ut in „ aliis, & eos quibus facta eſt, ſatis graves & honeſtos „ teſtes habeo.

„ Tandem per viam denunciationis clam, & per „ publicam demum accuſationem ad Tribunal ſanctiſ„ ſimæ Inquiſitionis Hiſpaniarum, palam inſtiti, Legatis „ Apoſtolicæ Sedis apud Regem Catholicum, Præſidi „ ſupremi Senatus Caſtillæ, Academiis, Eminentiſſi„ mis Cardinalibus in Hiſpania, Epiſcopis, Religio„ ſorum Ordinum Præpoſitis, Doctoribus & Magi„ ſtris, ubicunque & quoſcumque alioqui datum eſt, „ innoteſcere faciens, quale & quantum periculum ac „ pernicies ex Pozæ ſuorumque doctrina, audacia, no„ vitate, falſitate, Eccleſiæ Catholicæ imminebat. „ Nec interim ſubterfugi privatim ſemper & ubique, „ quonimus omnibus nunciarem in Aula, in plateis, „ in compitis (ut ſæpe de hoc me petit Poza in Apo„ logiis, ſuique gratiſſimo mihi crimine accuſant) ca-

verent

„ verent à fermento Hæreticorum, attenderent à falſis
„ Doctoribus: idque oportunè, importunè, in omni
„ patientia feci, in ſpe fore ut ſanctiſſimi Tribunalis
„ Judices Hiſpani in tempore medicinam adhiberent.
„ Et ſanè illud obtinui, propter quod accuſationem
„ præcipuè inſtitueram, ſcilicet ne Poza deſignatus ſan-
„ ctiſſimæ Inquiſitionis Qualificator, aut Cenſor, in
„ dehoneſtamentum illius ſacro-ſancti Tribunalis, &
„ Sedis Apoſtolicæ irreverentiam, hoc munus exer-
„ ceret. Quoad reliquum, ab actione non deſtiti,
„ proſequi ad tempus diſtuli, expectans ſi fortè Poza
„ & ſui reſipiſcerent, ſcirentve confuſi erubeſcere, ſa-
„ tiſque fore exiſtimans, ſemel atque iterum pro
„ cauſa totius Orbis ſcripta ſua ſuorumque fautorum
„ defenſoris, prava, & impia, Romæ fuiſſe damnata per
„ ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardina-
„ lium Edicta, ut in Hiſpania ad regulam illam pri-
„ mam & ſupremam Curiæ & Sedis Apoſtolicæ rata
„ haberetur, aut fieret eorundum ſcriptorum prohibi-
„ tio. Sed cùm videam in dies, non ſine gravi ſcanda-
„ lo & periculo, protrahi Edictorum executionem in
„ Hiſpania, & Pozam ſuoſque inſolentiores in pejus
„ quotidie ruere, tum ingeminatis vulgatiſque magno
„ numero publicis Apologiis, & libellis famoſis, lati-
„ na & vulgari lingua clam editis, cenſores & accuſa-
„ tores Romanos & Hiſpanos ad fidei & librorum
„ expurgandorum Tribunalia ab his in jus vocari,
„ calumniatores, mendaces, manifeſtos falſarios, imò
„ Hæreticos & proditores fidei, quæ Sedi Apoſtolicæ
„ debetur, compellari: inſuper negligentiæ, ſupinæ
„ ignorantiæ, conniventiæ, venalitatis, malignitatis
„ diabolicæ & læſæ Majeſtatis, crimine viros doctos
„ Hiſpanos & Italos reos fieri, nec ſanctæ Inquiſitio-
„ nis Miniſtris, Eminentiſſimis Cardinalibus, vel ſan-
„ ctiſſimis Summis Pontificibus, omni humano divi-
„ noque jure ſuſque deque habito parcere: ideo ego
„ dictus Magiſter, non quòd magis idoneus, ſed quòd
„ alii gravioribus occupenter, aut illis reſpondere tan-
„ ti non faciant: neque ex eo quòd ad Pozæ & fauto-
„ rum

„ rum ejus damnationem aſſerta juſtitia Sacræ Congre-
„ gationis judices, cenſores doctrinæ his opus habeant;
„ quod eſſet ſolem facibus juvare; ſed (quoniam non
„ omnium eſt ſcientia) ne ſimpliciores minuſve cauti
„ per inanem Philoſophiam decipiantur: tum etiam
„ quod neceſſitas mihi incumbit, ut proſequar inju-
„ riam publicam propriamque. Is enim ſum quem
„ potiſſimùm ſui & ſuorum adverſarium, & initiò ac-
„ cuſatorem agnoſcit, & quem in primis læſum vult,
„ & in jus per fas & nefas tacitè & ſimulatè vocat Po-
„ za, ſuique (quod mihi glorioſum eſt ab his, de his,
„ ad hos & inter hos) ideò, inquam, ex plena animi de-
„ liberatione, propria electione, & conſcientia non
„ errante ad id cogente, in obſequium ſanctæ Sedis
„ Apoſtolicæ, atque in obſequium Regis Catholici, ad
„ majorem gloriam Dei & ſanctiſſimæ immaculatæ
„ Virginis Deiparæ, pro aſſerta juſtitia Eccleſiæ Ro-
„ manæ in cenſura librorum, pro doctrina fidei, &
„ ejus Sacro-ſanctis Tribunalibus, pro Patria, pro
„ Academiis Hiſpanis & præcipuè pro principatu
„ Cantabriæ, quorum omnium publicam læſionem ſi-
„ mul, & injuriam meam vindico, coram veſtra San-
„ ctitate & coram Eminentiſſimis Cardinalibus Sedis
„ Apoſtolicæ Romanæ judicibus delegatis, in luce to-
„ tius Eccleſiæ Catholicæ & Reipublicæ Chriſtianæ, a-
„ nimo, & hoc publico ad omnes fideles ſcripto com-
„ pareo, paratus & corpore comparere quotescum-
„ que legitimè jubebor, & Pozam ejuſque fautores de
„ prava, falſa & hæretica doctrina, coram, palam &
„ incontinenti convincere, atque omnia quæcumque à
„ me ſcripta ſeu dicta ſunt, vera probare præſto ſum.
„ Nec recuſo aut unquam recuſavi, imò ſtare volo
„ (profiteor) ad Tribunal, quo me Poza & ſui advo-
„ cant, coram ipſiſmet judicibus, qui in cognitionem
„ hujus cauſæ de Poza & ſcriptis ſuis prævenerunt,
„ rationem mei redditurus, pro fide reſponſurus, ve-
„ ritatem defenſurus.

„ Item coram Deo & hominibus notum facio, te-
„ ſtorque omnibus & ſingulis, hanc publicam manife-

„ ſtatio-

„ ſtationem & ſatisfactionem ad publicas itidem Pozæ,
„ & ſuorum damnatas Apologias inſpecturis, per me
„ non ſtare, quo minus fiat in judicio, aut extra co-
„ ram judicibus, aut aliis viris doctis, reorum & acto-
„ ris ſecretus aut publicus congreſſus, & confrontatio:
„ quam ſæpe ob victam & hæreticam Pozæ & ſuorum
„ expoſtulationem, & provocationem, ad ſui majorem
„ confuſionem poſtulavi, quando cùm quoad ſcripta
„ detuli ad hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſupremos
„ in Hiſpania, & iterum illam denuò, ſi expediat li-
„ ceatve mihi per eos quorum intereſt, poſtulo, ac-
„ cuſans Pozam in præſentia quoad ſcripta & quoad
„ perſonam, tamquam novatorem, falſarium, hære-
„ ticum notorium, dogmatiſantemque Hæreſiarcham:
„ qui hæreticorum allegata ſcripta ſenſaque formaliter
„ hæretica pro doctrina à Spiritu Sancto Sacris Conci-
„ liis dictatâ ſuppoſuerit, docuerit & ſcripſerit, ſcien-
„ ter & ſtudio, & ex animi propoſito ante & poſt ac-
„ cuſationem, cùm eadem etiam poſt legitimam dam-
„ nationem & inexcuſabilem notitiam, ſæpe iterum re-
„ petens & ingeminans, longè deteriùs defenſaverit: &
„ è contrario ſanctorum Conciliorum doctrinam, tam-
„ quam hæreticorum errorem, turpiſſimè damnave-
„ rit: innumera Conciliorum, Sanctorum Patrum,
„ Doctorum Scholaſticorum, imò & ſacræ paginæ
„ loca & ſenſa impudentiſſimè corruperit, falſaverit,
„ intorſerit hæreticè, ut nova principia præter & ad-
„ verſus totius Eccleſiæ Catholicæ mentem introduce-
„ ret, & contra expreſſam communem ab omnibuſ-
„ que receptam Doctorum & Patrum ſententiam no-
„ vas doctrinas, & quarum ſingularitate gloriatur, in-
„ veheret. Qui ut aliter ſcientiarum inſtrumenta diſ-
„ ponere, ordinem univerſæ ſcholæ confundere, to-
„ tius Theologiæ locos demoliri, omnem in ea aucto-
„ ritatem elevare conatus, Apoſtolicam Sedem con-
„ tempſerit, Chriſtum Dominum ejuſque ab omni
„ labe puriſſimam & immaculatam Matrem virginem
„ inhonoraverit, apparatum ad cunctas hæreſes in-
„ ſtruxerit, viam ad Atheiſmum aperuerit, Regem &

„ Prin-

„ Principes ſeducere tentaverit, viros doctos, ut jactat,
„ in reprobum ſenſum traxerit, faſcinaverit, decepe-
„ rit, ut pravæ ſubſcripſerint doctrinæ, exemplo peſ-
„ ſimo: quæ omnia licèt per ſe ex ſcriptis & geſtis
„ Pozæ & fautorum ſint notiſſima, judicialiter tamen
„ per probationes luce meridiana clariores facti evi-
„ dentiâ nota faciam, in lucem Eccleſiæ exponens,
„ reorum voto & inſtantia, qui cogendos ad id eſſe
„ accuſatores ingeminant: ut qui noluerunt corrigi
„ ſecretò, corripiantur cum opprobriis.

„ Nec diſputationem renuo, quamvis ſuperflua vi-
„ deatur, in re judicata, & in iis quæ expoſitione aut
„ propoſitione tantùm indigent, qualia ſunt quæ hìc
„ deferuntur: tamen poſtulat & hanc Hæreticorum
„ more Poza; in uſuque aliquando Eccleſiæ fuiſſe ex
„ abundanti contra pervicaces, ut in ſimili nunc, non
„ eo inficias. Ergo ut iſtorum infringatur audacia, &
„ ora obſtruantur impiorum, diſputationi præſto ſum.
„ Sed quia Poza, dum ſuos accuſatores & cenſores
„ Hiſpanos ac Romanos crimine falſi & proditionis fi-
„ dei, quæ Sedi Apoſtolicæ debetur, reos facit, in
„ primis me accuſat & advocat Romam, conviciatus
„ de more ſcriptis publicis, libellis famoſis typis edi-
„ tis: prævaricatur tamen & renuit vel ſub ſalvo con-
„ ductu & impunitate oblata (ut fatetur) vocatus com-
„ parere & ſtare provocationi per ipſum, & qui ab
„ ipſo ſunt, evulgatæ: licebit ei per me ex ſupererogа-
„ tione & indulgentia (quod eſt contra omne jus &
„ fas) per procuratorem audiri, nec enim abſentiam
„ curo, ubi culpa præſens eſt: atque ut Procuratori
„ locus ſit, & quilibet ex Pozæ fautoribus ſociiſve ex-
„ periri mecum poſſint, quoniam illius membri putri-
„ da contagia, damnatio & accuſatio & reorum alle-
„ gatione & ipſa rei veritate univerſam tangunt Socie-
„ tatem; defero & advoco in jus ex quovis Ordine &
„ ſtatu quoſlibet hujus cauſæ fautores, defenſores &
„ patronos, præcipue Præpoſitos, Doctores, & Cen-
„ ſores ex ipſius Societate, omnes illos, qui ſcripta,
„ & prava manifeſtè Pozæ dogmata approbarunt ſub-
ſcrip-

„ ſcriptione directè, indirectè, commendatione, ſi-
„ lentio, conniventia: cùm de crimine falſi, læſæ Ma-
„ jeſtatis & fidei teneantur: maximè quatenus poſt
„ ſcriptorum legitimam ſanctiſſimamque in Curia Ro-
„ mana damnationem, poſt publicam famam & rumo-
„ res de Pozæ hæreſi, inſolentia, novitate, ſingulari-
„ tate & falſitate doctrinæ de Conciliorum, Sancto-
„ rum Patrum, Scholaſticorum & totius Eccleſiæ con-
„ temptu: poſt tot clamores publicos Academiarum
„ Salmaticenſis & Complutenſis, Religioſorum Ordi-
„ num, Concionatorum ex ſacris pulpitis, Magiſtro-
„ rum ex Cathedris publicis, accuſatorum & docto-
„ rum virorum in Hiſpania & Italia voce ac ſcripto:
„ poſt multa etiam typis edita Catholicorum volumina
„ in Pozam, tanquam in puteum abyſſi Hæreticum,
„ Hæreticorum diſcipulum, Miniſtrum Diaboli, ſuc-
„ ceſſorem Lutheri (his enim coloribus per pios &
„ Catholicos viros deſcribitur) qui contra articulos fi-
„ dem doceat, ſacræ doctrinæ ſenſa depravet, corrum-
„ pat; poſt hæc, inquam, omnibus his non obſtanti-
„ bus, & penitus à Pozæ Societate ita contemptis, ut
„ excuſationem non habeant, magno ſcandalo & in
„ totius Chriſtianæ Reipublicæ damnum, Regi Catho-
„ lico & ejus Miniſtro primati, Virum adeò ſuſpectæ
„ & omnino depravatæ doctrinæ, ad publicas perle-
„ ctiones in Collegii Imperialis Scholis Regiis, tum in
„ Cathedra novatoria palam & ſuſpecta, de placitis
„ Philoſophorum anteceſſorum, tum in ſacra pagina
„ primarium Doctorem propoſuerunt, vel probarunt,
„ veluti Hiſpaniarum juventuti erudiendæ maximè ido-
„ neum, Principibus, Senatui, & univerſæ Regiæ
„ Curiæ frequenter, privatim & publicè certatim com-
„ mendarunt, foverunt, applauſerunt: cùm ex con-
„ ſueta ſuorum (quam jactant) circumſpectione &
„ probatione continua, ex fama publica, rumore, cla-
„ more & omnibus non ſine dolore memoratis ſuprà
„ dictis perſpectum habere debuiſſent hunc hominem,
„ eaque, in quibus peccat, manifeſtè publica facta ſint
„ & notiſſima notorietate juris factique.

„ Nec ſolùm approbata & laudata ſunt à Societate,
„ & ejus Theologis, damnanda damnataque hujus
„ Pſeudo-Catholici Doctoris ſui ſcripta & opera: ve-
„ rùm, quod majus eſt, quædam per ipſos Doctores &
„ Patres Societatis,ad pravæ & novæ doctrinæ ſemina
„ longiùs propaganda, aliis & aliis Typographis in di-
„ verſa loca mandata, ſtudio, ſolicitudine, correctio-
„ ne & expenſa Patrum ipſorum typis edita,contra ſui
„ Ordinis ſtatuta, contra expreſſa ſanctorum Concilio-
„ rum & Summorum Pontificum decreta: & quod
„ maximè notatu dignum eſt, exemplaria vulgari ſer-
„ mone Hiſpano conſcripta, vulgo Doctorum & ſtu-
„ dentium fuere diſtributa gratis & amore oſtiatim per
„ Societatis ipſius Patres & Doctores, Danaos dona
„ ferentes, igneſque ſuppoſitos crineri doloſo, equo
„ Palladio. Quædam itidem nomine totius Societa-
„ tis, & in cauſa & pro cauſa Societatis, in lucem
„ publicam data ab ipſamet, per ipſam inter Magi-
„ ſtros Regios, Primates, & viros Nobiles ex Aula,
„ ex Senatu, ex Curia, ſunt diſperſa per libellos in
„ Regem & Rempub. falſarios & proditorios. Alia
„ item habita primùm pro Roſtris coram pleno Socie-
„ tatis Conventu & Curia Regia, deincepſque publici
„ juris facta, publice Madriti à Societate habentur ve-
„ nalia. Alia inter Nobiles privataſque perſonas, ſcien-
„ te & probante Societate, per diribitores, & amanuen-
„ ſes manuſcripta diſpertiuntur. Plura denique ano-
„ nyma, plura ſuppoſitis & fictitiis nominibus ſimili-
„ ter edita diſtrahuntur, vulgataque diſſeminantur.

„ Quæ omnia cum multiplici crimine falſi redar-
„ guantur impietatemque contineant manifeſtam, ut
„ ex ejus actionis proſecutione patefiet, auctores, fau-
„ tores, laudatores, Doctores vulgatoreſque ejuſmo-
„ di ſcriptorum & libellorum ſaltem ſuſpecti habendi
„ ſunt de vehementi, incurreruntque crimen falſi &
„ læſæ Majeſtatis in re doctrinæ & fidei graviſſima,
„ ſilentio, conniventia, ſimulatione, fautoria de qui-
„ bus meritò veniunt accuſandi. Et ego dictus Ma-
„ giſter in eos ſimul & in Pozam, tamquam iu Rei-
pub.

„ pub. & veræ pietatis hoſtes publicos, actionem hanc,
„ prout meliùs & efficaciùs poſſum & debeo, publi-
„ cam inſtituo, tum ad partis inſtantiam provocatus,
„ tum neceſſitate ſalutis boni publici & famæ propriæ
„ coactus, non ex odio, aut ex alio pravo cordis af-
„ fectu, quod in verbo ſacerdotis per Deum juro
„ teſtorque, & ad hæc & ſingula ſuprà dictorum pro-
„ banda & demonſtranda teneri & cogi volo ſub pœna
„ talionis, & qualibet alia extraordinaria pro arbitrio
„ Superiorum, ſub quorum correctione ſemper ſto.
„ Et poſtulo ex ſuprà relatis hujus accuſationis capiti-
„ bus, cùm de eorum conſtet veritate, ut Poza ho-
„ mineſque Societatis hujuſmodi ad normam juſtitiæ
„ & æquitatis debito rigore coërceantur, ſuſpecti &
„ periculoſi in negotio fidei Eccleſiæ & Reipublicæ
„ deinceps habeantur, dignique qui publicè abjurent
„ aut purgentur, & qui à munere docendi in colle-
„ giis, ut ſanæ doctrinæ & rebus publicis noxio, pe-
„ nitùs amoveantur; ne ad Pozæ & ſimilium exem-
„ plum totius Orbis ſcholas, quibus per fas & nefas in-
„ hiant, avertant, indeque juventutem & reliquas æ-
„ tates ac ſtatus inficiant: quod olim de hac Societate
„ graviſſimi viri prædixere, & hodie illuſtriores in
„ Eccleſia virorum doctorum cœtus & Academiæ ex
„ Societate ipſa, & rei veritate confirmant: & ſubſcri-
„ bo ut infra.

Magiſter Franciscus Roales.

Paradigma ſive Exemplum in ſpeciem doctrinæ Pozæ & ſuorum.

„ In diſſertationis ſeu declarationis hujus exemplum
„ ex plurimis hæc ſint Themata.

„ Primum. Tot Apologias ſtare pro ſe, quot exi-
„ ſtant Concilia, ait Poza. Oſtendam tot eſſe accuſa-
„ tionum Capita, & hæreſis judicia contra Pozam,
„ ejuſque fautores, quot clauſulas Conciliorum pro
„ ſe adducunt, imò in pluribus tot eſſe delicta, quot
„ verba, & hæc aſſertio omnium, quæ à me expo-

„ nenda ſunt, eſt fundamentum, baſiſque unde dicen-
„ dorum ſpecimen & initium eſt capiendum.

„ Secundum. Reum ſe eſſe damnationis æternæ,
„ niſi veritatem manifeſtet: item ſe ſcribere, ne Ec-
„ cleſia veritate privetur, ait Poza. Oſtendam, Po-
„ zam in hoc uno ſibi conſtare, quòd ſemper & ubi-
„ que, etiam cùm veriſſima dicit, falsò loquitur &
„ mendax eſt: in hoc item uno eſſe veracem, quòd
„ ipſe mendacem ſe prodit, ipſe hæreticum ſe oſten-
„ tat.

„ Tertium. Se de Eccleſiæ cultu in Curia Romana
„ judicari: neſcire item an ullus ſit doctor, qui ma-
„ gis Eccleſiam exornaverit illuſtraveritque, de ſemet-
„ ipſo ait Poza. Oſtendam omnium adverſantium Ec-
„ cleſiæ Sanctæ Dei Hæreticorum nunc temporis, &
„ retro, peſſimum impudentiſſimumque Pozam exi-
„ ſtere: quod exemplis Hæreſiarcharum Lutheri &
„ Eutychetis, cum quibus ipſe Poza ſe componit, at-
„ que etiam ex aliorum parallelo palam fit.

„ Quartum. Se, quæ Sanctiſſimam Deiparam ma-
„ ximè commendant, docere: de puritate Virginis ju-
„ dicari à Sacra Congregatione Eminentiſſimorum
„ Cardinalium, ait Poza. Oſtendam nullum umquam
„ exſtitiſſe pietatis puriſſimæ Conceptionis adverſa-
„ rium æque noxium, ac Poza impius: cui ſi fides ad-
„ hibenda eſt, Sanctiſſima Virgo Deipara cauſam
„ (quod abſit) perdidit: Poza & ejus fautores ſocii-
„ que juſtitiam cauſæ pietatis ſpecie prodidere: in quo
„ crimen læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ commit-
„ tunt manifeſtè.

„ Quintum. Adverſari antiquæ Eccleſiæ Dei, Chriſto
„ & Matri Sanctiſſimæ, eos, qui ſcripta ſua damnant,
„ ait Poza. Oſtendam omnes & ſingulos qui prava
„ damnataque ſcripta Pozæ, aut ipſum per apologias
„ ſe defenſantem, defenderunt, foverunt, approba-
„ runt, commendarunt (niſi eos excuſet innocentia
„ ex deceptione aut ignorantia) ſuſpectos fore de
„ fide: correctione aut monitione maximè indi-
„ gere.

„ De-

„ Deſcendam & propiùs ad hæc Themata: exem-
„ pli gratia, ad allegationem Conciliorum: per deca-
„ des & hecatondadas delicta Pozæ & fautorum enu-
„ mero; nec enim minoribus numeris capiuntur. In
„ uno Concilio ſexto generali, centies, bis centies &
„ amplius delinquitur. In eodem unico Concilio qua-
„ drageſies verba Hæreticorum pro verbis, doctrina
„ & ſententia Concilii falsò allegat & repetit Poza ſui-
„ que. In uno Concilii unius Hiſpani XV. Toletani
„ exemplo referendo (quod incredibile dictu eſt) bis
„ centies peccant, correctione & damnatione digni
„ ſunt. Item in unico Tractatu primo lib. 3. Eluci-
„ darii ſupra vigeſies falsò aut pravè allegat Poza Con-
„ cilia. Dicam aliquid majus, in uno folio Elucidarii
„ lib. 4. tract. 3. cap. 1. pag. 909. & 910. in Complut.
„ editione quod incipit, *pertinent*, uſque ad finem §.
„ *ubique*, quadrageſies & ampliùs Conciliorum loca &
„ ſenſa falsò citat & refert in favorem Hæreticorum,
„ ab Hæreticis palam, & ex eorum ſententia contra
„ Eccleſiam Catholicam: ita ut in eodem folio unico
„ ferè bis centies redarguatur falſum docere & innue-
„ re pro hæreticis, contra veritatem rei, mentem
„ Conciliorum & S. Romanæ Eccleſiæ authoritatem:
„ quod ex collatione ipſa textuum Conciliorum cum
„ Poza palam facio. Neque hyperbolice hæc ſcribo,
„ ſed Chriſtiana fideli veritate, quod teſtor Deum,
„ juroque. Loquor enim coram Deo, coram ſum-
„ mo Pontifice, coram Principibus totius Eccleſiæ &
„ Univerſæ Reipublicæ, quos omnes iterum atque
„ iterum per venerandam Sanctiſſimam Trinitatem de
„ more olim Eccleſiæ conjuro, hæc humilitatis meæ
„ non deſpicere, nec me unum ex puſillis expoſitum
„ offenſioni contemnere. Judicio ſto, lege & jure ago,
„ in luce Sanctæ Eccleſiæ me iniquè compellantibus
„ pro cauſa fidei ſatisfacio, atque ut inimici veritatis
„ confundantur; minimus inter Salmaticenſes Magi-
„ ſtros, quo ſanæ doctrinæ Romanæ Eccleſiæ faciem
„ hac diſputatione adverſariis præluceam, illis adſum.
„ In ea ſic me geram, ut nonniſi manifeſta illis obji-

„ ciam, brevibus enthymematis, brevioribus interro-
„ gatiuncilis experior: eiſdem autoribus, eiſdem co-
„ dicibus utar, quos Poza, & ſui, commendant lau-
„ dantque. Quin potius ipſis teſtimoniis & locis fide-
„ liter allegatis ibidem, quibus illi errores adſtruunt,
„ ipſos vincam, nec Pozam ſine ipſo umquam con-
„ veniam. Inſuper omnes conditiones ab ipſo acci-
„ piam, quæ poſſint cum ipſius doctrina ſubſiſtere,
„ etiam ſi communes cum Lutheranis & Proteſtanti-
„ bus comminiſcitur. Nullum Tribunal in Eccleſia,
„ nullos judices recuſo: nullius in me injuriam me-
„ tuo, nec timeo ubi non eſt timor. Humanum fa-
„ vorem non ambio: puniri ſi merear, non deprecor.
„ Adſint vel ſub impunitate (quæ jam diu in Curia
„ Romana illis offertur, ſed criminis conſcientia dif-
„ fidunt) quorum intereſt, interim me arbitrio ſupe-
„ riorum, diſſertationem hanc, & quæ illam conſe-
„ quuntur, ſubmitto, publici juris facio & ſubſcribo.
„ Mediolani tertio nonas Octob. 1633.

CLANGOR XXII.

Reformandæ doloſæ artes, occultæ technæ, malignarum ſuggeſtionum cuniculi, calumnioſæ impoſitiones, iniquæ molitiones, & turbulenta media, quibus Moliniſmum defendere ac propagare Socii à ſæculo annituntur.

AB eo tempore quo Molinæ defenſionem univerſa ſuſcepit Societas, meditatæque in Molinianæ doctrinæ condemnationem Bullæ ſolemniter promiſſam à ſe promulgationem in aliud tempus differre viſum eſt Paulo V. vix enarrare quis ſufficiat natas exinde turbas & mala magna in Eccleſia; nec enim Socii deſtiterunt doloſis artibus, fraudulentis ſuggeſtionibus, calumnioſis adverſùs innocentes declamationibus, malignis informationibus Eccleſiaſticarum & Civilium Poteſtatum, aliiſque turbulentis mediis Moliniſmum ſuum defendere ac propagare. Judicet æquus rerum arbiter talibuſne mediis defendi amet cauſa bona? Et

an

an doloſæ artes, fraudes, calumniæ & turbulenta media hominibus conveniant ſinceris, veritatiſque, æquitatis, & pacis Amatoribus?

Nec mirum quod iisdem artibus Moliniſmum defendere pergant, quibus inceperunt. Nam uti demonſtrat Celeberrimus Author Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis, tametſi ſapientiſſimis Viris Molinæ dogmata viderentur admodum periculoſa, eorumque defenſio Societati parum honorifica; nulla non arte, nullis non ſtrophis uſi ſunt Societatis Theologi, in eorum defenſionem, nec ullis amicorum conſiliis inde abduci potuerunt.

Nullis quippe juſſionibus in Congregationibus adduci potuerunt ad mentem ſuam de gratiæ efficacia perſpicue exponendam; ad eam clare dicendam ab Eminentiſſimo Cardinale Madrutio, Congregationum Præſide, ſæpiùs ac vehementius admoniti, moras ac diverticula quæſierunt. Ut Pelagianiſmi notam evaderent, Calviniſmum Prædicatoribus perperam objecerunt. Clementi VIII. ad definiendum accincto turbarum magnarum timorem injecerunt, ſi Molinam damnaret, Romanamque Curiam clamoribus ſuis impleverunt. Thomiſtarum doctrinam invidioſe, aliter quàm ſe habet, expoſuerunt. Ipſamque de Auxiliis Congregationem calumniati ſunt; ipſi quoque ſummo Pontifici calumniis ac querimoniis ſuis adeo moleſti, ut intimo dolore affectus conquereretur Jeſuitas omnia audere. De generali Concilio à Regibus ad cauſam iſtam decidendam poſtulando rumorem ſparſerunt per Urbem & Orbem. Totam pene Europam in ſui patrocinium fraudulenter commoverunt. Romanum Pontificem in decidendis factorum non revelatorum controverſiis fallibilem eſſe palam ipſi objecerunt &c. ut jam vidimus Clangore XVII. Nec à ſimilibus ſtrophis & artibus ab eo tempore deſtiterunt. Siquidem gratiæ per ſe efficacis, Moraliſque Evangelicæ defenſores, velut Janſeniſtas, Bajaniſtas, hæreticos, S. Sedis contemptores, & Novatores, apud Principes, Magiſtratus, & populum de-

pingunt, omni calumniarum genere famam ipſorum proſcindunt, ſuiſque illis doloſis & calumnioſis artibus ipſos à dignitatibus,officiis & muniis Eccleſiaſticis arcent.

Et quibus non dolis, technis, falſis criminationibus veriſſimæ Catholiciſſimæque S. Auguſtini de gratia doctrinæ Defenſores apud ſummos Pontifices perſecuti ſunt? Primo namque videntes actum eſſe de Moliniſmo ſuo, ſi Janſenii *Auguſtinus* adjuncto Parallelo inter Moliniſmum & Semipelagianiſmum curreret, propoſitiones quinque ambiguas, æquivocas, pravum ſenſum primo aſpectu præferentes, per devotum ſibi Doctorem Cornetum Exjeſuitam fabricarunt, eaſque totidem verbis in Janſenii Auguſtino contineri Annatus & alii contra veritatem ſparſerunt. Deinde Chriſtianiſſimi Regis Aulam, Galliarumque Epiſcopos ſibi devotos quàm multos, per ipſoſque Romanam Curiam, Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. orbem deniquo univerſum circumvenientes, propoſitiones à Janſenio (in libro illo) & ab iis qui ſe Auguſtini Defenſores dicebant, Calviniano ſenſu defendi; ipſos proinde Calviniſtas eſſe, hæreticoſque pernicioſiſſimos, qui Chriſtianæ Religionis fundamenta ſubvertebant. Quod tam frequenter, & tanta calliditate quaquaverſum Regibus, Principibus, Epiſcopis, Romanæ Curiæ Aulicis, Eminentiſſimis Cardinalibus, ac per ipſos laudatis Romanis Pontificibus, ipſi etiam moderno Pontifici inculcarunt, ut perſuaſerint. Et inde factum quod Innocentius X. illis fidem adhibens eas ex Janſenii Auguſtino decerptas, narrativè, non definitivè dixerit in proœmio & clauſula Conſtitutionis ſuæ, nullâ ipſius mentione factâ in ipſarum propoſitionum definitiva condemnatione. Nec enim libri Janſenii examen Cenſoribus, ſeu Conſultoribus injunxerat, ſed propoſitionum duntaxat in abſtracto, id eſt, à quocumque proferente abſtrahendo; prout ex ipſiſmet Cenſoribus nonnulli teſtificati ſunt; nec ex ullo actu authentico oſtendi poteſt, juridicum libri illius examen ab Innocentio X. cuiquam injunctum fuiſſe.

Dum

Dum autem propoſitiones à Conſultoribus & Cardinalibus examinarentur, ipſis contra veritatem Jeſuitæ perſuaſerunt, eos qui dicebantur Auguſtini Defenſores Romæ quidem defendere Auguſtinum, aſt in Gallia Calvinum; dumque Romæ ſimulabant ſe ſe pro ſola gratiæ per ſe efficacis neceſſitate laborare, ipſorum aſſeclæ plenis in Gallia buccis gratiam conclamabant neceſſitantem, abſolutam mandatorum impoſſibilitatem, Chriſti pro ſola electorum ſalute mortem: ad quos errores damnandos neceſſaria foret Innocentiana Conſtitutio. Hujuſce narrationis veritatem ab Eminentiſſimo Cardinale Rapaccioli ſe ſe accepiſſe, tres undecim Gallicanorum Epiſcoporum ad S. Sedem deputati, in ſua in Epiſcopos illos Relatione fidem fecerunt 16. Junii 1653.

Cùm nihilominus Innocentiana Conſtitutio ab omnibus, etiam ab ipſis Janſeniani libri defenſoribus, promptiſſima ſubmiſſione eſſet recepta, ab omnibus proinde quinque illæ propoſitiones damnarentur, Jeſuitæ, quos oportebat de tam prompta obedientia ipſis gratulari, deque ſopitis fidei controverſiis congaudere, cum Auguſtinianæ gratiæ defenſoribus pacem habere neſcientes, novam adverſùs ipſos adorſi ſunt litem, de Janſenii facto, nihil ad fidem pertinente, quamque ideo rem *ſuperfluam* nulliuſque momenti Pelagius I. & II. cumque ipſis Gregorius Magnus de quæſtione ſimillima loquentes dixerunt. Atque utinam intra limites ejuſmodi quæſtionum ſe continuiſſent! (inquit artium Jeſuiticarum Autor pag. 460. edit. 2.)
„ Verùm moleſtè ferentes quod Molinæ Adverſarios
„ ſe ſe (ſua illa prompta obedientia) ipſorum manibus
„ ſubduxiſſent, inani illa controverſia avidè arrepta,
„ tota primùm Gallia, deinde Romæ conclamare cœ-
„ perunt, ab ipſis decipi Pontificem, inutilem reddi
„ Conſtitutionem. Certiſſimè id erat à veritate alie-
„ num.... quomodo enim inutilem, cum turbas com-
„ poſuiſſet, pacem reſtituiſſet, fidei depoſitum in tu-
„ to poſuiſſet, fidelibus omnibus in fidei unitate, ſeu
„ Eccleſiæ communione permanentibus, damnatum-

„ que quinque propoſitionum ſenſum velut hæreticum
„ ſe ſe damnare, corde & ore profitentibus? Hoc
„ manifeſtè ſatis erat ad cuſtodiendum fidei depoſitum.
„ Sed ſatis non fuit Jeſuitis, quorum intererat, ut
„ ſuis è manibus Moliniſmo adverſantes non elaberen-
„ tur. Pacem ergo ut ſuprà reſtitutam turbarunt,
„ ſuper inutili quæſtione illa litem ipſis denuò ſuſci-
„ tantes & clamoribus magnis ubique ſpargentes, ab
„ Innocentio X. definitum eſſe, quod quinque pro-
„ poſitiones totidem verbis in Janſenii Auguſtino ex-
„ tarent, nec id ab iſtius libri defenſoribus bona fide
„ negari, ſed intentione perverſa damnatas propoſi-
„ tiones opportuno tempore ſuſcitandi.

Erat calumnia manifeſta, judiciumque omninò temerarium & malignum; cùm ex una parte, nulla perveriæ iſtius intentionis indicia apparerent; nec in definitiva parte Innocentianæ Conſtitutionis, qua ſingulæ propoſitiones damnatæ fuerant, Janſenii mentio facta fuiſſet, ſed in proœmio duntaxat & clauſula, quæ juxta Canoniſtas ad narrationem potiùs quàm ad definitionem pertinent: Ex alia verò parte in Eccleſia novum ſit, ac prorſus inſolitum, hæreticas propoſitiones Authori in Eccleſiæ Communione defuncto definitivè tribuere, tanquam ex libro ipſius extractas, niſi totidem verbis in eo exſtent; cuivis verò legenti manifeſtum eſſet, quatuor ſaltem propoſitionum verba in Janſenii *Auguſtino* non exſtare. Denique veriſimile non eſſet, ſed ab Eccleſiæ more prorſus alienum, ab ipſa definitivè damnari ſenſum & librum alicujus authoris, in materia difficili & controverſa, abſque juridico libri examine, nec auditis (ſaltem dum audiri poſtulant) libri defenſoribus, qui tunc Romæ aderant & in judicio contradictorio audiri poſtulabant; cùm hoc ſit contra juris ordinem, & æquitatem naturalem, quæ non permittit, ut quiſquam in libris ſuis de hæreſi condemnetur (vita proinde civili ſpolietur) inauditus, dum per ſe vel per ſui Defenſores audiri poſtulat. Unde ne à Romanis quidem, adhuc Gentilibus, id factum eſt, cùm Act. 15. ſcriptum ſit:

Non eſt Romani conſuetudo, damnare aliquem hominem, priuſquam is qui condemnatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi ad abluenda crimina. Quapropter in Congregatione de Auxiliis uſque ſepties, etiam in judicio contradictorio, per decem prope annos, auditi fuerunt libri Molinæ Defenſores, antequam contra eum quidquam definiretur. Et ante trium Capitulorum damnationem, utriuſque partis Epiſcopos Conſtantinopoli congregavit Vigilius Papa, ſuaſque rationes utrimque ſcripto proferre juſſit, ut utrâque parte auditâ, conſideratis omnibus ad judicium definitivum procederetur. Idque ipſa ratio & juſtitia dictare videtur, dum fieri poteſt, & partes poſtulant, ad vitandum periculum damnandi librum innocentem, & conſequenter authorem in libro ſuo, velut hæreſes diſſeminantem. Quod profectò periculum, in re intellectu difficili, obſcura, & controverſa, abſque contradictorio examine, ſive utriuſque partis auditione (dum fieri poteſt) vix aut ne vix quidem vitari poteſt, idquè maximè in caſu præſenti abſque dicto periculo fieri non potuit; cùm Janſenii liber intellectu admodum difficilis ſit, nec hæreticæ propoſitiones de quibus (exceptâ ſaltem primâ à ſuo contextu avulſâ) in eo contineantur quoad verba, nec clare & abſque controverſia quoad ſenſum damnatum. Quod libri defenſores ex libri ſcopo & contextu parati erant demonſtrare, à ſe utique, & aliis non paucis acutiſſimi ingenii Doctoribus magno ſtudio quæſitas quinque damnatas propoſitiones, in eo à ſe non inventas, ſed ſolam de gratia per ſe efficaci doctrinam. Quod & hodie vel ipſi Jeſuitæ, Liberius utique Gratianus, & alii palam atteſtantur, iſtamque Auguſtini de gratia per ſe efficaci doctrinam in illis propoſitionibus damnatam contendunt. Sed quàm temerè & quanta cum Eccleſiæ & pluſquam viginti Romanorum Pontificum & SS. Patrum, ipſiuſque Apoſtoli Pauli, & totius Auguſtinianæ ac Thomiſticæ ſcholæ injuriâ, ſæpius demonſtratum eſt.

Jeſuitæ ergo videntes parum veriſimile eſſe argu-

mentum ex Innocentiana Conſtitutione pro ſtabiliendo Moliniſmo petitum, Auguſtini defenſoribus palam profitentibus ſe abſque reſtrictione damnare quinque propoſitiones, in omni ſenſu quo eas Innocentius damnaverat; per pulpita, per domos privatorum, per palatia Epiſcoporum ac Principum, per Aulas Regum ipſiusque Romani Pontificis, primò inſuſurrare, deinde palam clamare cœperunt, ſinceram non eſſe illam fidei profeſſionem, nec quinque propoſitiones ab ipſis corde damnari, ſed voce & ore duntaxat, ut hoc veluti pallio ſuam tegerent hæreſim, ore & ſcriptis manifeſtandam tempore opportuno; idque tanta calliditate divulgarunt, ut pluribus Epiſcopis Gallicanis, ipſique Regi Chriſtianiſſimo, ac per ipſos Alexandro VII. & Clementi XI. perſuaſerint, atque ita ab Alexandro VII. per ſub & obreptionem obtinuerint Conſtitutionem *ad ſacram* (in qua S. Auguſtini defenſores propterea vocat *filios iniquitatis*) & à S. D. N. Clemente XI. Conſtitutionem *vineam Domini Sabaoth*, in qua propterea etiam declarat quod per illam fidei profeſſionem *non deponitur error, ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur; Eccleſia illuditur, non paretur; & lata demùm filiis inobedientia via ſternitur, ad fovendam ſilentio hæreſim.* Poſtremum iſtud *ad fovendam ſilentio hæreſim*, Sua Sanctitas dicit, quia Jeſuitica obreptione perſuaſus fuit, quod Auguſtini, & facti Janſeniani defenſores, nec bona ſed peſſima fide profitebantur ſe quinque propoſitiones damnare in ſenſu naturali, quem ſecundùm ſe ferunt; nec bona ſed peſſima fide proteſtabantur ſe Alexandrinam Conſtitutionem (propoſitiones illas Janſenii libro attribuentem) revereri, atque in reverentiam & obedientiam ei debitam contra iſtam attributionem (quam factum vocant Janſenianum) non obloquuturos, ſed religioſum ſervaturos ſilentium. Iſtam verò proteſtationem malignam eſſe, nec bonæ ſed peſſimæ fidei, Sanctiſſimo D. N. Clementi XI. per ſurreptionum cuniculos, callide perſuaſerunt Jeſuitæ, ne è manibus ſuis ipſi elaberentur. Cauſæ namque ip-
ſo-

ſorum intererat, ut prætextum ſemper haberent, velut Janſeniſtas perſequendi eos, qui Moliniſmo ſuo adverſabantur. Perſuaſerunt, inquam, Janſeniani facti defenſores prætendere, quòd religioſo illo ſilentio ſatisfieret Conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. tam quoad jus, quàm quoad factum; ab ipſis proinde quinque propoſitionum hæreſes ore quidem abjurari, non mente. Quod ſi verum eſſet, ſilentium iſtud impium profecto foret & malignum, fideique & Eccleſiæ Authoritati exitioſum. A Sanctiſſimo proinde D.N. Clemente XI. meritò condemnatum, velut *quo non depellitur error, ſed abſconditur* &c. Verùm ejuſmodi ſilentium Janſeniani facti defenſoribus per ſummam malignitatem & calumniam impoſuerunt Jeſuitæ, nec umquam probarunt, vel probare potuerunt, nec etiamnùm probare poſſunt, ipſos de tali ſilentio locutos, dùm in reverentiam & obedientiam Alexandrinæ Conſtitutionis ſilentium polliciti ſunt; cùm certo certius ſit, quoad ſolam attributionem ſupradictam, non quoad jus, ſeu hæreſim quinque propoſitionum illud pollicitos eſſe. Nam quod eas cum omni ſinceritate, non ore duntaxat, ſed toto corde deteſtentur, à ſexaginta annis palam ſemper proteſtati ſunt, proteſtationemque iſtam ſimulatam fuiſſe, & adhuc eſſe, ſine manifeſta probatione ſoli Calumniatores dicere poſſunt. Et de iſta Jeſuitarum calumnia manifeſte conſtitit tempore Clementis IX. cùm enim de illa ipſâ calumniarentur quatuor ſanctiſſimos & Catholiciſſimos Epiſcopos, Alectenſem, Appamienſem, Andegavenſem, Bellovacenſem, ipſorum patrocinium ſuſcipientes Archiepiſcopus Senonenſis & Epiſcopi Catalaunenſis, & Laudunenſis; cùm per ſuum in Gallia Nuntium Clemens IX. ſpecialiùs informari voluiſſet de iis quæ continebantur in proceſſibus verbalibus quatuor Epiſcoporum illorum, ſuper Formularii ſubſcriptione, per inſtrumentum à Nuntio miſſum ad Pontificem, teſtificati ſunt, quod *Epiſcopi quatuor*, ajunt ipſi in inſtrumento illo, *aliique Eccleſiaſtici fide egerunt quàm optima; certòque eis propoſitum non eſt, niſi zelo maxi-*

mo fidem Eccleſiæ, altamque erga S. Sedem ſubmiſſionem conſervare. Condemnarunt, & condemnari juſſerunt propoſitiones quinque, ſinceritate omni, absque explicatione vel reſtrictione qualicumque, in omnibus ſenſibus, quas Eccleſia condemnavit. Abeſt ab illis quàm longiſſimè, ut corde ſuo tegant conſilium quodcumque errores illos quovis prætextu renovandi, ferendique ut quis illos renovet, vel in minimo factam ab Eccleſia illorum condemnationem labefactet; cum alii Eccleſiaſtici non ſint, qui inviolatæ magis, in hoc argumento, aliiſque omnibus, doctrinæ ipſius adhæreant.

Quod verò ad attributionem ſpectat, quâ propoſitiones illæ adſcribuntur libro Janſenii, Epiſcopi Iprenſis, iterum præſtiterunt, juſſeruntque præſtari S. Sedi omnem reverentiam & obedientiam, qualis ipſi, dum libros proſcribit, exhiberi debet juxta Theologorum omnium conſenſum, juxta doctrinam omnium retrò ſæculorum Catholicam; imò & noviſſimis temporibus aſſertam ab acerrimis Authoritatis S. Sedis defenſoribus, quales fuere Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus, & Patres Petavius & Sirmondus, idque conformiter ad mentem Conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ in eo poſita eſt, nihil ut dicatur, ſcribatur, vel doceatur Pontificum deciſionibus contrarium. Quibus addiderunt, proceſſuros ſe in ſuis Diœceſibus per vias canonicas, adverſus eos qui horum officiorum alterutri deeſſent.

Declaramus ac teſtificamur (habita communicatione & cognitione ſpeciali eorum quæ ſentiunt quatuor Epiſcopi, quæque in Proceſſibus eorum verbalibus continentur) doctrinam, hoc ſcripto comprehenſam, prorſus conformem eſſe doctrinæ dictorum Proceſſuum verbalium, nihilque in eis contineri doctrinæ huic contrarium. Atque hæc etiam mea doctrina eſt, & novemdecim Epiſcoporum qui ad Sanctitatem ſuam ſcripſerunt ſententia. Et inſtrumentum ſignarunt Felix Epiſcopus & Comes Catalaunenſis. Antonius Arnaldus, Presbiter, & Doctor Sorbonicus.

Quo inſtrumento accepto, frequentiſſimam Eminentiſſ. DD. Cardinalium, Prælatorum, Conſultorum Con-

Congregationem Clemens IX. inſtituit, eoque per tres hebdomadas diligenter & maturè diſcuſſo, inſtrumentum probavit, pacemque Eccleſiæ Gallicanæ conceſſit, & ſpecialiter quatuor Epiſcopis, probata eorum innocentia, & falſitate calumniarum, adverſus ipſos ad ſe delatarum: Non enim potuit perſuaſum non habere, à quatuor illis Epiſcopis plenam & integram obedientiam exhibitam fuiſſe, ac omnimoda ſinceritate formulario ſubſcriptum. Inde ſibi plene & integre ab iiſdem ſatisfactum eſſe judicans, ſtatuit apud ſe, ſuam illis benevolentiam denuò impertire, gratificarique per Apoſtolicum Breve, illud ipſum declarans, prout habetur in Regeſto Eminentiſſimi Cardinalis Patroni Roſpiglioſi.

Ad pacem iſtam conciliandam, non parum etiam profuerunt litteræ, tum quatuor Epiſcoporum illorum, tum novemdecim aliorum è primariis, ad eundem Sanctiſſimum Dominum Clementem IX. & litterarum quidem quatuor Epiſcoporum tenor fuit iſte: „ Beatiſſime Pater, quàmprimum accepimus Sanctitatem „ veſtram Epiſcopali Collegio, & univerſæ Eccleſiæ „ præpoſitam, neutiquam nobis ſatis eſſe duximus vel „ debitas Deo ob tantum munus Eccleſiæ conceſſum „ gratias perſolvere, vel ſolemni modo cum cæteris „ gratulatione defungi; ſed graviſſimam ſtatim de fi„ dei formula cauſam, iniquis nonnullorum ſuſpicio„ nibus exulceratam, ad Beatitudinem veſtram defe„ rendam putavimus. Nam & incommodis illis opi„ nionibus occurrere monebat prudentia, & ſupremo „ Eccleſiæ Paſtori inſtitutorum noſtrorum rationem „ reddere religio pietaſque ſuadebat, & gliſcentes diſ„ ſidiorum flammas pro viribus extinguere charitas „ perurgebat; eo magis quod hæc omnia apud Bea„ titudinem veſtram procliviora fore conſiderabamus, „ & ſumma in omnibus æquitate & ſapientia pollen„ tem, & nullis in hac cauſa præjudiciis occupatam. „ Talem utique Medicum poſcebant Eccleſiæ vulne„ ra, quæ, per ſe levia & ſanabilia, remediorum aſ„ peritas hactenùs acerbavit.

„ Nam

„ Nam ſi, Beatiſſime Pater, poſt Innocentii X.
„ Conſtitutionem idem noſtris inſtitutum tenere
„ placuiſſet, quod feliciter Belgium, Italia & Hiſpa-
„ nia tenuerunt, iſtarum certè contentionum vix me-
„ moria ſuperſtes eſſet. Nunc dum, ſive zelo, ſive
„ affectibus pluſculum indulgetur, defervеſcere con-
„ tentiones, reſidere animorum æſtus, diſſenſiones
„ coaleſcere nequiverunt; aliæ ex aliis lites exortæ,
„ à jure ad facta diſputatio redacta eſt; nec minus
„ acriter de levibus quæſtiunculis, quàm de rei ſum-
„ ma certatum.

„ Neminem hìc nobis aut culpare, aut purgare
„ propoſitum: illud tamen uſu & reipſa repererunt,
„ felicius ſemper has concertationes diſſimulatione
„ compreſſas, vel ſilentio ſepultas, quàm aperta vi
„ repulſas eſſe. Judicio eſſe poteſt famoſa illa fidei
„ formula, à quibuſdam Collegis noſtris in Cleri Gal-
„ licani Conventu ſancita, à permultis aliis graves ob
„ cauſas neglecta, & repudiata. Nam quibus in lo-
„ cis nulla formulæ mentio, ibi pax alta, certa tran-
„ quillitas, firma conſenſio viguit: ubi verò ſubſcrip-
„ tionum exigendarum invecta diſciplina, ibi inter-
„ minatæ lites, ingens ſcandalorum ſeges, quæ vel
„ attingere noſtra refugit oratio.

„ Hæc dum, Beatiſſime Pater, in Gallia gereren-
„ tur, & per aliquot annorum ſpatia traherentur, ex
„ eorum nos numero fuimus, qui Eccleſiarum ſua-
„ rum tranquillitati, ablegatis illis contentionibus,
„ conſuluerunt. At cum Deceſſori veſtro Beatæ me-
„ moriæ Alexandro VII. perſuaſum fuiſſet, concilian-
„ dæ pacis & ſopiendarum contentionum hanc eſſe
„ viam, ſi authoritate ſua unam & eandem omnibus
„ fidei formulam ſubſcribendam ſubſcriberet, hoc il-
„ le quidem conſilio id adeptus eſt, ut ſubſcribentium
„ diſcrimen tolleretur, omniumque in Apoſtolica fide
„ retinenda conſenſio magis clareſceret; omnibus
„ Apoſtolicæ Sedi id tribuentibus, tum ut propoſitio-
„ nes ipſas ex ipſius præſcripto damnarent, tum ut
„ ſuam in illius Conſtitutionis reverentiam ſolemni
ſpon-

G. K.

„ ſponſione teſtarentur. Cæterùm dum ultra recti ve-
„ rique limites quidam propoſitum ſuum urgent, in
„ novas contentiones Eccleſia conjecta eſt, & pax, in
„ manu poſita, ſponte repudiata. Id verò quo pacto
„ commiſſum ſit, quoniam hoc conſiliorum noſtro-
„ rum ſumma continetur, Sanctitati veſtræ breviter
„ per nos exponi neceſſe eſt. Nemini, Beatiſſime Pa-
„ ter, ignotum eſt, duplicem in hac cauſa verti quæ-
„ ſtionem: alteram, utrum propoſitiones ipſæ, ea-
„ rumque ſenſus ab Eccleſia damnatus, verè hæreti-
„ cus ſit; alteram, utrum prædictus ſenſus reipſa
„ apud Janſenium extet, ſive utrùm ita explicandus
„ ſit Janſenius, ut cum damnatarum propoſitionum
„ ſenſu congruat; an benigniori interpretatione cum
„ vulgari ac recepta in Eccleſia Catholica doctrina
„ conciliari & conjungi poſſit. Nec minus certum
„ eſt, harum quæſtionum tantum alteram ab altera
„ diſtare, quantum cœlum à terra, divina fides ab hu-
„ manis experimentis, antiqua veritas à recentioribus
„ factis.

„ Atque hinc conſectarium illud peræque omnes
„ eliciunt, nupera illa facta, nec divinitus revelata,
„ infallibili prorſus judicio ab Eccleſia minimè defini-
„ ri, ideoque ab iis qui bona fide in iis hærent, nihil
„ præter ſilentium exigi poſſe. Quod tum concordi
„ omnium quotquot unquam fuere Theologorum ſen-
„ tentia, tum variis exemplis graviſſimorum Virorum,
„ qui de factis ejuſmodi, tametſi definitis, ſine invi-
„ dia & cujusquam reprehenſione dubitarunt; tum ex
„ ipſis fidei fundamentis, quæ tota divina revelatione
„ niti debet, facile adſtrui poteſt.

„ Perplexior & cæca magis de ſubſcriptionum ſenſu
„ quæſtio exorta eſt, dum alii nullum in facta con-
„ ſenſum ſubſcriptione demonſtrari, ejuſque vim
„ omnem ad ſola demum dogmata reſtringi præten-
„ derent; alii non minus in facta quàm in dogmata
„ ſubſcriptionem cadere graviſſimis rationum momen-
„ tis affirmarent.

„ Harum ſententiarum utra ſit verior, nihil nunc
ex-

„ exquirere neceſſe eſt. Sed ex illa opinionum diſcre-
„ pantia facile exiſtimabit Sanctitas veſtra, quis rerum
„ ſtatus, quis animorum habitus in diœceſibus noſtris
„ extiterit, ex quibus conſilia noſtra, verba, actio-
„ neſque moderari, & Chriſtiana prudentia, & Paſto-
„ ralis charitas jubet. Ac de ipſa quidem fide, &
„ damnatis erroribus, idem erat omnium ſenſus, om-
„ nibuſque illud teſtimonium in commune debemus,
„ neminem nos inveniſſe, quem in ſuſpicionem erro-
„ ris ſine temeritate vocari poſſe putaremus.

„ Cæterùm de nuda facti quæſtione, utrum ſcilicet
„ ipſæ propoſitiones eſſent in Janſenio, erant multi
„ qui ambigerent, ſive illos ipſius Janſenii lectio, ſive
„ externæ demùm circumſtantiæ in hanc dubitatio-
„ nem conjeciſſent. Porro hæſitantes illos in Janſe-
„ nii facto, tum variæ deinde de ſubſcriptione ſenten-
„ tiæ, tum varii affectus in diverſas claſſes diſpertie-
„ bant.

„ Qui ſuâpte naturâ facta ſubſcriptione contineri
„ minime ſentiebant, ad omnem ſubſcriptionem
„ prompti & parati erant. Ex iis, quibus ea ſen-
„ tentia minus placebat, quidam ſalutis ſuæ negli-
„ gentes, quietis ſuæ fortunarumque diſcrimen
„ fraudulata ſubſcriptione redimere non dubitaſſent,
„ à quibus proinde ſubſcriptionem exigere, nihil aliud
„ erat quàm eos in apertum perjurium inducere. Id-
„ ipſum alii præſtitiſſent infirmitate mentis, quos
„ deinde violatæ conſcientiæ morſus diris tormentis
„ excruciaſſet. Pauci fuiſſent ab illis ſuperioribus,
„ non ſenſu & opinione, ſed fidei conſtantia, & men-
„ tis firmitate diſtantes, qui vel in totum ſubſcriptio-
„ nem detrectaſſent, vel oppoſitis exceptionibus fa-
„ ctum Janſenii à fide, cui teſtimonium perhibebant,
„ in ſubſcriptione ſegregaſſent.

„ In his, Beatiſſime Pater, quid culpare poſſemus,
„ omnino non inveniebamus. Quod enim tandem in
„ illos crimen jure conferri poſſit? An quod de facto
„ Janſenii dubitarent? Qui mentis habitus & ipſis
„ cum magna ſubſcribentium turba communis, &
„ ſum-

„ ſummorum, ipſorumque adeo Romanæ Curiæ Pro-
„ cerum, Bellarmini, Baronii, Pallavicini, exemplo
„ & authoritate licitus & innoxius, cum de ſimilibus
„ facti quæſtionibus, ab Eccleſia deciſis, vel ambigant
„ ipſi, vel ambigere licere pronuntient. An quod
„ ſic affecti non niſi cum exceptione ſubſcribere, ſibi
„ fas eſſe arbitrarentur? At ſi interna dubitatio cul-
„ pa caret, quid vitii habere poſſit, externa profeſſio-
„ ne ejurare nolle, quod licitè ſentias, hoc eſt nolle
„ Deum & homines fallaci ſubſcriptione ludificari?

„ Sentis profectò, Beatiſſime Pater, propriæ cha-
„ ritatis inſtinctu, quid nobis, in hoc articulo poſitis,
„ charitas ipſa præſcriberet, cujuſque conſilii neceſſi-
„ tatem afferret. Ecquid enim? An nobis, quorum eſt
„ animarum onera relevare, afflictos erigere, nutan-
„ tes firmare, vel irreligioſis ad quidvis ſubſcribendum
„ contra conſcientiam paratis, licebat novum ex per-
„ jurio onus imponere, vel infirmioribus laqueum
„ injicere, vel ſpectatæ virtutis doctrinæque Clericos
„ ſine cauſa vexare? Ergo illud iter neceſſario arri-
„ piendum fuit, quo & illos ſcopulos declinaremus,
„ & plenum tamen & integrum de fide teſtimonium
„ ex ſummi Pontificis mandato ab omnibus exigere-
„ mus. Quamobrem nihil conſultius viſum, quàm
„ difficultates illas præcidere; expoſito ſubſcriptionum
„ ſenſu ex conſtantiſſima receptiſſimaque apud omnes
„ doctrina, nimirum Eccleſiæ judiciis in ſolis demum
„ dogmatibus infallibilem illam conſtare veritatem, in
„ aliis hoc unum à fidelibus exigi, ut Paſtorum ſuo-
„ rum authoritatem revereantur, nec eis contumaci-
„ ter obluctentur. Ita, Beatiſſime Pater, hujus ex-
„ poſitione doctrinæ irreligioſos à perjurio, infirmos
„ à lapſu, firmos à periculo, moleſtiiſque defendimus;
„ neque tamen ideo minus ſincerum, aut minus ple-
„ num de fide teſtimonium exegimus, cum omnibus
„ apertè denuntiaverimus, eum ſubſcriptionis ſenſum
„ eſſe, quæcumque dogmata ab Apoſtolica Sede, &
„ ab Eccleſia in quinque propoſitionibus damnata ſint,
„ atque damnentur, ea pariter à ſubſcribentibus ple-

„ nè

„ nè & integrè, ſine dolo & fallacia damnari, ac pro-
„ poſitiones ipſas, ubicumque ſint, ex animo rejici
„ atque proſcribi.

„ Talem omnes profeſſionem, ſubſcriptione Apoſto-
„ licæ formulæ, libentiſſime præſtiterunt. Talem
„ nos ipſi præſtitimus. Talem verò qui præſtat, om-
„ ninò, Beatiſſime Pater, nec hæreticus eſſe poteſt,
„ nec ullius erroris jure ſuſpectus. Omnes enim re-
„ movet, qui idem planè cum Romana & Catholi-
„ lica Eccleſia, ut de cæteris, ita & de quinque
„ propoſitionibus ſentit, & ſentire ſe profitetur.

„ Quod ſi quis pertinaciter ad facti Janſeniani con-
„ feſſionem compellendos homines putet, tamen il-
„ lud concedat neceſſe eſt, non prius id fieri poſſe,
„ quàm Janſenii ſenſus flagitantibus Theologis ex-
„ plicetur. Quod cum ſingulis Epiſpopis, inconſul-
„ ta Romana Sede, periculoſiſſimum ſit, ne, quæ
„ inter Theologos hac de re contentiones vigent, ad
„ Epiſcopos perveniant, eoſque in varias diſtrahant
„ partes; hinc nova graviſque neceſſitas extitit, ſub-
„ ſcriptionis ad ſolam demum fidem, de qua inter
„ omnes convenit, reſtringendæ.

„ Habet Beatitudo veſtra quid in hoc difficillimo
„ ſubſcriptionum negotio ſecuti ſimus. In quo no-
„ bis ingenti ſolatio fuit, quod conſilium noſtrum,
„ ſola charitate ſuſceptum, licèt nonnullorum obſcu-
„ ris voculis exagitatum, non dubio noſtratium Epiſco-
„ porum aſſenſu probatum eſt, idque non verbis mo-
„ dò, ſed factis: quod ipſi enim fecimus, id permulti
„ vel publicis Mandatis, vel Actis coram Eccleſiæ
„ Synodo compoſiti atque perſcriptis ſe ſe feciſſe pa-
„ lam ferunt. Et illi ipſi, qui facta à ſubſcriptione
„ ſejungere non curarunt, id ſe propterea feciſſe pro-
„ fitentur, quod notiorem eam doctrinam putaverint,
„ quàm ut expreſſa declaratione opus haberet. Ita-
„ que exceptiones, quas nonnulli tranquillandæ con-
„ ſcientiæ cauſa ſubſcriptionibus ſuis apponunt, pau-
„ ciſſimis demptis, probant omnes, ut hæc conſtans
„ & concors Cleri Gallicani ſententia dici poſſit,

„ quem-

„ quemadmodum omnium hactenus Theologorum
„ fuit.

„ Hæc latius, Beatiſſime Pater, Sanctitati veſtræ
„ ideo exponenda putavimus, quod cum noſtra Man-
„ data apud Romanam Curiam in invidiam addu-
„ cta, fama percrebuerit, hinc nobis conjicere li-
„ ceat, conſilia ibi noſtra ſiniſtris interpretationibus
„ alíorſum rapi, & iniquis ſuſpicionibus appeti. Ne-
„ que enim fieri poſſe putamus, ut id nobis crimini
„ detur, quod neceſſariis cauſis adducti, eam fideli-
„ bus doctrinam propoſuerimus, de qua nullus un-
„ quam Catholicus ante hoc diſſidium dubitavit. Has
„ igitur ſuſpiciones, & à charitate alieniſſimas, &
„ divinis legibus adverſas, & iis qui illas vel admitte-
„ rent vel ſpargerent exitioſas, ut Sanctitas veſtra au-
„ thoritate coërceat, ſuppliciter expoſcimus & obte-
„ ſtamur. Quo uno Apoſtolicæ æquitatis judicio &
„ certam Eccleſiæ pacem conciliabit (quæ his demum
„ malignis criminationibus impeditur) & ſolidam
„ apud omnes gloriam, ingens apud Deum meritum
„ comparabit. Quibus cum nihil majus aut felicius
„ Eccleſiæ, Sanctitati veſtræ poſſit contingere, hæc
„ nos, Beatiſſime Pater, continuis votis ac precibus
„ à Dei opt. max. benignitate flagitare non deſiſte-
„ mus. Beatiſſime Pater, Humillimi &c. die 28.
„ Auguſti 1667.

Haſce litteras ſecutæ ſunt 1. Decembris ejuſdem an-
ni, ad eundem Clementem IX. aliæ novemdecim Epi-
ſcoporum, prædictorum quatuor Epiſcoporum cauſam
ſuſcipientium, ſub hoc tenore: „ Cum exordia veſtri
„ Pontificatus quibuſcumque poſſunt lætitiæ ſignis, &
„ fauſtis in futurum votis, proſequi certatim omnes
„ allaborent; Nos, quibus ſatis perſpectum eſt, Bea-
„ titudinem veſtram faſtigii ſui amplitudinem non
„ fluxis honoribus, ſed ſalutaribus, pro commiſſæ ſi-
„ bi Eccleſiæ utilitate, curis laboribuſque metiri, fa-
„ ciendum duximus, ut præter ſolemnia gratulatio-
„ nis officia, & ſinceram venerationis noſtræ ſignifi-
„ cationem, Sanctitati veſtræ uberem ſtatim laudum

„ &

„ & meritorum materiam oſtenderemus. Notiſſimæ „ illæ Deceſſorum veſtrorum de quinque propoſitio- „ nibus Conſtitutiones, perinde ab omnibus Epiſco- „ pis acceptæ, pari ab ipſis reverentia promulgatæ „ ſunt, nec ullis unquam Gallicani Præſules concedent, „ ut in Apoſtolicam Sedem religioſiores quàm ipſi „ ſint. Quod ſi qui ex ordine noſtro in invidiam vo- „ cati ſunt, quod eas minime reverenter habuerint, „ id facile Sanctitas veſtra, poſtquam totam hanc cau- „ ſam penitus cognoverit, præter verum & æquum „ in illos conferri perſpiciet. Impetrabit vel ab inimi- „ cis excellens horum quatuor Epiſcoporum virtus „ hoc teſtimonium, non alios eſſe qui ordinem no- „ ſtrum magis exornent, & Eccleſiam magis ædifi- „ cent, qui populorum ſaluti, & commiſſi ſibi gre- „ gis curæ vigilantius incumbunt, & qui omnes de- „ nique Epiſcoporum partes cumulatiùs expleant. At „ nos illud præterea & ſpondere & confirmare poſſu- „ mus, non minimam ab eis pietatis ſuæ partem in „ eo poni, ut Apoſtolicæ Sedi ea qua par eſt demiſ- „ ſione ſubſint, ejuſque dignitatem debita veneratio- „ ne proſequantur. Quod ergo ab ea quidam ipſos, „ in ſuis de ſubſcriptione Mandatis, diſceſſiſſe crimi- „ nantur, aliena ab ipſis, Beatiſſime Pater, & inanis „ ſuſpicio eſt.

„ Quid enim in illis Mandatis, quod vel à Catholi- „ cæ doctrinæ norma, vel à Romanæ Sedis reveren- „ tia tantillum deflectat? Novum & inauditum apud „ nos nonnulli dogma protulerunt, Eccleſiæ nempe „ Decretis, quibus quotidiana, nec divinitus revelata „ facta deciduntur, certam & infallibilem conſtare „ veritatem; adeoque ipſa, non minus quàm revelata „ in Scripturis & Traditione dogmata, fide eſſe te- „ nenda. Hoc vero dogma, Beatiſſime Pater, quod „ ab omnibus antiquis recentibuſque Theologis per- „ æque damnatum eſt, ex Deceſſoris veſtri Conſtitu- „ tionibus, iidem qui illud invexerunt, temere ſtabi- „ lire nitebantur. Huic malo ut occurrerent præ- „ dicti Epiſcopi, ſimul & quorumdam ſcrupulis me-

„ de-

„ derentur, oppoſitam huic manifeſtiſſimo errori doctrinam, communiſſimam ſimul ac certiſſimam, in Mandatis ſuis expoſuerunt; humana nimirum, nec divinitus revelata facta, non omnimoda & infallibili certitudine ab Eccleſia definiri; adeòque in ejuſmodi rebus nihil aliud ipſam à fidelibus exigere, quàm ut ſua decreta reverenter, ut par eſt, habeant. Quid in hac doctrina, Beatiſſime Pater, in Romanam Sedem irreligioſum & injurium? Cum non modo à ſummis Apoſtolicæ Ssdis veneratoribus, ejuſdemque acerrimis vindicibus, Baronio, Bellarmino, Pallavicino, aſſerta & tradita ſit; ſed eo nomine potiſſimum conſtabilita, quod eam ad vindicandam Eccleſiæ authoritatem in ſanciendis fidei dogmatibus, & ad hæreticorum criminationes repellendas, pernecesſariam judicarint. Ita ſentire ſi criminoſum exiſtimetur, non hoc proprium ipſorum, ſed omnium noſtrûm, imo totius Eccleſiæ crimen fuerit. Quinimo non defuerunt, nec pauci, nec poſtremi nominis Epiſcopi, qui idem prorſus quod illi præſtiterunt, vel publicis Mandatis, tametſi non prælo excuſis, vel, quod non minus ponderis habet, in publicis actis, ſive tabulis, in quibus eandem doctrinam explicarunt. Plerique alii ſe faciles Clericis præbuerunt, ſi quibus fortaſſe aliquid addere in ſubſcriptione libuit, dummodo rectum & orthodoxum.

„ Abſit igitur, Beatiſſime Pater, ut credamus Beatitudinem veſtram ab Epiſcopis tanta morum integritate, & tam illabata fide conſpicuis, alienam eſſe. Abſit ut eis fides adhibeatur, qui minus cautè diſſeminant, Sanctitatem veſtram novo & inuſitato modo in eos acturam. Remota eſt hæc ſuſpicio ab Epiſcopis Gallicanis, quibus ſolemne eſt nonniſi canonicè judicari, & à ſummis Pontificibus ſemper benignius excipi. Nec dubium nobis eſt quin cæteri Fratres noſtri idem nobiſcum à Sanctitate veſtra cum omni reverentia & fiducia poſtulaſſent, niſi idipſum ab illa ſapienti, quam omnes in te mi-

„ ran-

„ rantur, providentia expectarent. Hoc illud eſt, „ Beatiſſime Pater, quod Eccleſia Gallicana tanquam „ Apoſtolatui veſtro ſervatum ſperat; hanc perfectam „ concordiam à veſtra ſapientia omnes deprecantur. „ Ipſa ſua ſponnte coaleſcere poteſt; ſine labore, ſi- „ ne cujuſquam offenſione rixæ conticeſcent: Conſti- „ tutionum honos apud omnes vigebit, & ſub ſum- „ mo Paſtore omnia Eccleſiæ membra idem ſapere, „ idem prædicare conſpicies.

„ Hoc verò, cùm nec utilius quidquam Eccleſiæ, „ nec Sanctitati veſtræ glorioſius eſſe poſſit, non de- „ ſiſtemus, & id ab ejus prudentia ſperare, & ſup- „ plicibus à Deo votis expoſcere, ut ad tantum opus „ perficiendum longam Sanctitati veſtræ ſupremi Pon- „ tificatus uſuram largiatur, ipſamque diutiſſime ad „ Eccleſiæ commoda ſervet incolumem. Sanctitatis „ veſtræ, Beatiſſime Pater, Humillimi & obſequen- „ tiſſimi Filii &c.

Verùm pacem tanta cum vigilantia & conſideratione, abſque Jeſuitarum interventu, ab Epiſcopis Gallicanis, ipſoque Chriſtianiſſimo Rege procuratam, & à Clemente IX. ſtabilitam, Jeſuitæ, bellum perpetuum, non pacem, amantes, (ipſorum namque intereſt, ut ſemper in Eccleſia ſint Janſeniſtæ) ſolitis artibus ſuis, impoſturiſque & calumniis perturbarunt, per Galliam univerſam, & Romanam Curiam à Janſeniſtis circumventum eſſe Clementem IX. plenum eſſe Janſeniſtis Catholicum Orbem, Galliam præſertim ac Belgium, nec ab ipſis bona, ſed peſſima fide Pontificias recipi Conſtitutiones.

Hoc eſt quod buccis concrepantibus per pulpita, per domos, per palatia Principum, per Aulas Regum ac Romanorum Principum, per Orbem univerſum viginti Jeſuitarum millia partim vociferati ſunt, partim inſuſurrarunt, vociferandoque & inſuſurrando pacem perturbarunt, clamantes ac dicentes, numeroſiſſimam eſſe (in Gallia præſertim & Belgio) ſectam Janſenianarum quinque propoſitionum hæreſim defendentium, nec bona ſed peſſima fide contrarium profitentium. Et

hoc

hoc quidem à ſemi ſæculo ſpargunt. Verùm quinam? ubi? quando? quo in ſcripto vel ſermone hæreſim illam & malam fidem expreſſerunt? A quo unquam judice de ea juridicè ſeu legitimè convicti fuerunt? Hoc eſt quod Jeſuitæ nunquam oſtendere, nec probare potuerunt, nec etiamnum poſſunt.

Manifeſte ergo calumniatores ſunt, & tanto magis impudentes calumniatores,quanto minus oſtendere & probare poſſunt, eſſe in Eccleſia, non dico numeroſam, ſed aliquam talium hominum ſectam, ſeu factionem hominum, ſimul conſpirantium ad hæreſim illam defendendam, propagandamque. Si factioſis iſtis hæreticis plenum fuiſſet Belgium Catholicum, quando id Romæ ſpargere conabatur Deſirantius, Jeſuitarum & Epiſcoporum Belgii, Archiepiſcopi præſertim Mechlinienſis, ad Innocentium XII. ad id perſuadendum, & remedium poſtulandum deputatis; quid eſt quod à ſapientiſſimo Doctore Hennebello, à Lovanienſi Academia ad eundem Innocentium XII. ſeu S. Sedem deputato, coràm Sanctiſſimo Domino, & Eminentiſſimis Cardinalibus, S. R. E. contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, non ſemel, ſed ſæpius provocatus, ut vel unum deſignaret, legitime convictum vel ſuſpectum,qui vel unam ex quinque damnatis propoſitionibus, vel ſuſtineret, vel ſuſtinuiſſet; poſt plures menſes ſibi ab Eminentiſſimis eum in finem datos, ne unum quidem deſignare potuit, ſed velut piſcis obmutuit, manuſque victas dedit. Ab eo tempore Innocentius XII. in Brevi ad Belgii Epiſcopos, Belgii Theologos, Archiepiſcopo Mechlinienſi, Jeſuitis, & Deſirantio inviſos, non jam amplius Janſeniſtas, ſed *prætenſos Janſeniſtas* appellavit, diſtrictè præcipiens, ne Epiſcopi paterentur, quemquam invidioſo Janſeniſmi nomine, vel ſuſpicione traduci, niſi legitime convictum, quòd ex quinque damnatis propoſitionibus ſaltem aliquas vel aliquam ſuſtinuiſſet vel docuiſſet.

In Gallia quoque, pace per Clementem IX. reſtitutâ, Rex Chriſtianiſſimus, quemquam Janſeniſmi nomi-

mine inſimulari, ſimiliter prohibuit, Epiſcoporumque Gallicanorum non unus palam proteſtatus eſt, nullum ſe Theologorum Janſeniſtam noſſe, nullum qui damnatis quinque propoſitionibus anathema non diceret. Hoc eſt quod Illuſtriſſimus D. Henricus, Epiſcopus Andegavenſis (ſanctæ memoriæ) in ſua ad Innocentium XI. epiſtola, cum mortem propinquantem crederet (erát namque tunc octoginta trium annorum) *coram Deo*, inquit, *& coram ſummo Judice Chriſto, ante cujus tribunal me manifeſtari opertet, rationem redditurum, teſtor, nullum me in Eccleſia Dei noſſe Theologum, qui quinque propoſitionibus damnatis anathema non pronuntiet, & qui Conſtitutiones ſummorum Pontificum ea obſervantia non revereatur, quam exigere ſolet Eccleſia*, quâque eas reveriti fuerunt quatuor ſuprà nominati Epiſcopi, de quorum plena perfectaque erga Deceſſorum ſuorum Conſtitutiones ſubmiſſione & obedientia ſibi ſatisfactum laudatus Clemens IX. in Brevi ad ipſos, & altero ad Chriſtianiſſimum Regem declaravit.

Saltem quod in Gallia, nulla ſit Janſeniſtarum ſecta numeroſa, ſed ſi qui ſint, pauci ſint Janſeniſtæ, cum vicinis Coëpiſcopis ſuis ſe pro certo ſcire, & ne unum quidem in ſuâ & vicinis Diœceſibus eſſe damnatarum propoſitionum defenſorem, teſtis omni exceptione major eſt modernus Epiſcopus Aginnenſis Franciſcus Hebertus in ſua ad Excellentiſſimum D. Comitem de Ponte-carnutenſi (de Pont-Chartrain) Secretarium Status epiſtola, in qua ſic loquitur: *Optabile foret*, Excellentiſſime Domine, *quòd Epiſcopi omnes ſatagerent pro pace, duas inter Scholas, Thomiſticam & Moliniſticam, manutenenda. Verùm hoc fieri numquam poterit, quamdiu è Cathedris, atque ex Univerſitatibus, ſub Janſeniſmi prætextu, excludentur Thomiſtæ, à Janſeniſmo aleniſſimi, atque hoc pacto, per injuſtitiam alte clamantem Thomiſtica deprimetur ſchola: cùm Romæ, nemine contradicente, communi cum plauſu, ſua pacifice dogmata Thomiſtæ doceant. Ut quid ergo non ſimiliter in Eccleſia univerſa? Poſtulat ergo rectus ordo, poſtulat amor*

mor pacis, poſtulat chriſtiana charitas, poſtulat Epiſcoporum prudentia, ut pars utraque, in ea, in qua eſt, poſſeſſione permaneat; ſicut eſt de indiſpenſabili paſtoralis officii debito impedire, ne quid, vel minimum, Eccleſiæ ſenſibus ac deciſionibus contrarium doceatur.

Ut ad gravioris momenti negotium veniam, Domine Excellentiſſime.... dicere auſim, admodum deſiderabile eſſe, quòd à perſonis à partium ſtudio prorſus alienis, ſolam Dei gloriam, communeque ſtatus bonum & pacem, Regiſque ſervitium, nullo verò modo ſuum intereſſe quærentibus, Rex (utinam & Romanus Pontifex) *certior fieret de pura ſimpliciqne rerum contingentium veritate. De Janſeniſmo loquor, ſuper quo tanto majori dignus ſum fide, quanto magis à novis opinionibus, ab Eccleſia, & in Gallicana Eccleſia noſtra, tanta cum ſapientia anathematizatis, ſum & ſemper fui alienus... Magnæ Regis pietati, Gallicanorumque Epiſcoporum zelo debitores ſumus, de extirpata illa hæreſi .... Interim fama eſt, Regias aures à nonnullis* (Jeſuitis utique) *inceſſanter obtundi, quòd infinitus Janſeniſtarum numerus ſuperſtes ſit in Regno; quòd hæreſis iſta ſit ignis ſub cinere latens, tempuſque opportunum expectans ad cauſandum majus incendium; quod ei adhærentes revera non audeant palam ſe producere, licèt ignoti non ſint; quòd ſecretas machinentur molitiones ad perturbandam ſtatus tranquillitatem; quòd neceſſe ſit ipſos prævenire, humiliare, perdere.*

Fierine poteſt, Excellentiſſime Domine, quòd novis hiſce ſollicitudinibus moleſti eſſe non ceſſent Regi, quaſi hactenus inutilis fuerit ipſius labor, ſollicitudo, religionis & Catholicæ doctrinæ zelus, & applicatio ipſius pro ea protegenda; inutilis, inquam, ad impediendum, ne ingens in Regno foret numerus hominum, piis & laudabilibus intentionibus ipſius ſeſe opponentium, qui quidem catholici ſint, & Eccleſiæ obedientes quoad exteriorem apparentiam, ſed in corde Janſeniani.

Næ calumniatores *iſti tanto minus apti ſunt ad frequentandam Aulam; quanto magis alienum à veritate quod effutiunt. An non ſatius foret, pro Suæ Ma-*

jeſtatis conſolatione, ipſam certiorem facere, quòd hæreſim iſtam è ſuo Regno feliciter proſcripſiſſet, quodque ſui ſubditi de reſtituta per ipſius extinctionem Statuum ſuorum tranquillitate gratias ipſi reddere nequeant condignas, quodque ſummè ipſi debitores ſint pro terminatis ſua firmitate conteſtationibus, quarum aliàs nunquam futurus erat finis? Quam etiam ob cauſam gratias Deo reddunt immortales, quòd ſua benedictione proſperum dederit ſucceſſum piis laboribus Regis.

Unum eſt de quo maxime obſtupeſco, Domine Excellentiſſime, quod utique frequenter audiamus Jeſuitas iisdem iſtis ſermonibus, è ſuggeſtu coram Rege concionando, Regem collaudare, quibus Suam Majeſtatem alloquuntur Epiſcopi, dum ad ipſam, cum totius Regni Clero orationem habent; dum interim quaquaverſum, Pariſiis, in Provinciis, in privatorum domibus, clam & palam, clamare & inſuſurrare non ceſſant, plenam eſſe Janſeniſtis Galliam. *Quod & modo inſuſurrare non ceſſant Regi, prout haud dubia compertum eſt ſcientia.*

Eſtque illud majori ſtupore dignum, quod ut in Sectariorum illorum catalogo quiſpiam inſeratur, ſatis ſit quòd ea in re cum ipſis non ſentiat.

Ad iſtud propoſitum memoria mea caſus occurrit, qui nuper accidit in Aula.... Jeſuita quidam, in ea munus habens non modica conſiderationis, in colloquio cum perſonis non vulgaris ingenii, nec parvi meriti, facta de Janſeniſtis mentione, tono aſſeverante dixit, certò ſe ſcire, quod in Regno *eſſent Janſeniſtarum ducenta quinquaginta duo millia.Uno de præſentibus interrogante, num de iis teneret Regeſtum, & certuſnè eſſet Regeſtum eſſe planè juſtum, exactumque? Vultu ad ſerium compoſito Pater reſpondit, ſe ſcire quod diceret. Parumque abfuit quin in ipſius Regeſto ille adſcriberetur, ipſum ſaltem ſibi ſuſpectum eſſe dixit.*

Quamquam funeſto iſti Regeſto inſcribendus forem, Excellentiſſime Domine, *dicam equidem, ſcribam, clamabo, propugnabo, impoſturam id eſſe, alieniſſimam à veritate; cùm certiſſimum ſit, tam exiguum eſſe eorum numerum, ut perquam difficile ſit ipſos diſcernere.* Nam *licèt ingenti cum ſtudio, infatigataque, & numquam*

inter

intermiſſa ſollicitudine Epiſcopus quiſque (ad quem de jure ſpectat Diœceſanorum ſuorum doctrinam cognoſcere, de eaque judicium ferre) opiniones examinet ſuæ Diœceſeos Eccleſiaſticorum & Litteratorum, de iiſque quàm exactiſſimas faciat inquiſitiones, nec ullum ad id omittat medium, ab humana prudentia, paſtoralique vigilantia adhiberi poſſibile, ad detegendos damnatarum propoſitionum reos; quamvis etiam ſibi adjungat viros fidei non ſuſpectæ, ſapientes, zeloſos, induſtrios, à quibus juvetur in re tam difficili; ſi poſt hæc omnia Regi tranſmittere non negligat eorum catalogum, quos de opinionibus illis legitime ſuſpectos repererit, certo certior ſum, quòd Sua Majeſtas, cum ingenti gaudio, numerum eorum tantum non eſſe conſpiciet, quantum eſſe à Jeſuitis proclamatur, vel proclamari poteſt.

Diœceſi meæ vicini Coëpiſcopi eorum numerum brevi compendio unà mecum abſolviſſent, Quia, CUM GAUDIO NOSTRO MAGNO NOBIS OMNINO COMPERTUM EST, QUOD NE UNUS SIT QUI PERICULOSAS OPINIONES ILLAS SUSTINEAT. *Si quem cognoſceremus id auſum, in ipſum protinus irrueremus, factoque juridico proceſſu damnaremus pœnaque condigna plecteremus.*

Atque utinam quam ſibi à Sua Majeſtate gratiam fieri exoptant, & pro qua Regi humillime ſupplicant Gallicani Epiſcopi, ut occurrente caſu, quo perſona aliqua de Janſeniſmo coram Sua Majeſtate accuſatur, ad ipſos, tamquam naturales doctrinæ Judices, remitteretur, ad proceſſum ipſi faciendum, ſi de perſona iſta probabilis eſſet ſuſpicio. Suæ inſuper Majeſtati pari humilitate ſupplicare audent, quatenus vel ipſa punire dignaretur, vel permittere ut à nobis punirentur iſta in accuſatione de calumnia convicti. De Regiæ namque Majeſtatis pietate eſt, per ſe vel per Epiſcopos Janſeniſtas punire, audeo & dicere de ipſius juſtitia eſſe, exemplari punitione calumniatorum cohibere licentiam, qua Sacerdotes, Religioſoſque probatæ virtutis de Janſeniſmo leviter accuſant. Si vel unum ſtatueretur iſtius punitionis exemplum, manifeſtè videret Excellentiſſima Dominatio Veſtra Jeſuiticum catalogum ad modicum quid reductum, iſtoque reme-

dio pax reſtitueretur, Regiæ Majeſtati accederet conſolatio magna; de tam felici laborum ſuorum remuneratione, etiam in hac vita.

Fateor, Excellentiſſime Domine, perſonas omnes doctrinæ Eccleſiæ firmiter adhærentes zelo ardentiſſimo peroptare, ut tandem aliquando remedium fatali adhibeatur libertati, quam ſibi non pauci tribuunt, in erroris ſuſpicionem adducendi accuſandique perſonas integerrimas, quarum fides eſt maxime orthodoxa & à damnatis erroribus prorſus aliena: Nec grave mihi erit tibi dicere (non eſt enim, cur Epiſcopus timeat palam edicere veritatem) Regem in conſcientia teneri ea in re oppreſſis ſubditis ſuis juſtitiam facere, ſicut & reos punire. Ad manum habeo ea de re exemplum plenè convincens. Charitas quam proximo, & veritas quam cuique debeo, me urgent, ut illud Tibi fideliſſimè referam.

Nimis prolixus eſſem, ſi illud verbis ipſius longiuſculis exhiberem, propterea compendioſe dico, exemplum eſſe de ſanctiſſimo, & religioſiſſimo Sacerdote, Regi propoſito, tamquam maxime idoneo ad regimen cujuſdam Eccleſiæ, de quo Rex (Eminentiſſimo Noallio ſuadente) voluit, ut Aginnenſis Epiſcopus inquireret. Inquiſivit omni poſſibili cum exactitudine, certiſſimeque comperit Eccleſiaſticum illum eſſe vitæ tam ſanctæ, ut ſanctiorem, & Eccleſiaſticis deciſionibus ac legibus ſubmiſſiorem nunquam invenerit. De ipſo ergo Regem certiorem fecit, eſſe virum rectum, ſapientem, moderatum, ſanæ doctrinæ inviolabiliter adhærentem, infinitè alienum ab amore cujuſcumque novitatis, ſolidæ pietatis, unicè occupatum in iis quæ officii ſui erant, in laboribus indefeſſum, uno verbo Eccleſiaſticum tantæ perfectionis, ut in toto Regno perfectiorem non cognoverit. Cum ſtupore nihilominus Regiam Majeſtatem præventam invenit, Eccleſiaſticumque illum de Janſeniſmo accuſatum, tametſi tota vita ipſius, & converſatio, ſæpiuſque repetita exactiſſima inquiſitio contrarium authenticè probaret, & invictè demonſtraret.

„ Quid ergo cogitari, credique poteſt de tot aliis in-

„ innocentiſſimis, qui de Janſeniſmo ſimiliter accu-
„ ſantur? De eo ingemiſcere poſſumus, poſſumus &
„ conqueri. *Si enim nos Epiſcopi, veritatis & ſanæ doc-*
„ *trinæ depoſitarii ſumus* (proſequitur Epiſcopus Agin-
„ nenſis) *ſumus & defenſores; ex officii proinde noſtri*
„ *Paſtoralis debito veritatem tueri nos oportet, oportet &*
„ *corripere & confundere injuſtos veritatis & innocentiæ*
„ *aggreſſores, Epiſcopalique vigore nos opponere calumnian-*
„ *tibus innocentes, nullatenus reos errorum de quibus*
„ *accuſantur: Perſonarum iſtarum injuſte oppreſſarum*
„ *gemitus & clamores deferre nos oportet ad thronum &*
„ *audientiam Suæ Majeſtatis, pro iiſque protectionem ip-*
„ *ſius & juſtitiam implorare.*

„ Et utinam gemitus quoque illos & clamores de-
„ ferre liceret ad thronum & audientiam Suæ San-
„ ctitatis, ibique modo ſoli non audirentur innocen-
„ tium oppreſſores & calumniatores, per quos Ponti-
„ ficia Majeſtas clancularii informationibus & men-
„ daciis calumniatorum, & quæ ſua ſunt quærentium,
„ à tanto tempore circumvenitur, Breviaque & deci-
„ ſiones ad fidem non pertinentes extorquentur, ab
„ ea ſciente Petro, & ſecundùm veritatem informato
„ nunquam emanaturæ. Cùm enim Romani Ponti-
„ fices (teſte Gregorio Magno) Prophetæ non ſint,
„ curarumque & negotiorum mole obruantur, mala
„ intimè adſtantium, adulantium, mentientium, &
„ ſua quærentium, informatione frequenter circum-
„ veniuntur. Nam uti D. Gregorius proſequitur,
„ dum ejus mentem *curarum denſitas vaſtat,*
„ *& animus ad multa diviſus, fit minor ad ſingula,*
„ *facile ei in una qualibet re ſurripitur,* Ipſique *lumen il-*
„ *lud Spiritus Sancti, quod Summo Pontifici ſemper adeſt,*
„ *cum explicanda ſunt fidei myſteria, & tradenda mo-*
„ *rum* (ad divinam legem pertinentium) *præcepta, non*
„ *perpetuò illi hypocritarum fraudes, Aulicorum adula-*
„ *tiones, improborum mendacia, calumniatorum impoſ-*
turas detegit (verba ſunt doctiſſimi Authoris libri *de li-*
bertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, Romanæ Aulæ probatiſ-
ſimi l. 2. c. 3.) *non adverſus ambitioſorum importuni-*

tates, *Magnatum preces*, *ſuſpecta Officialium conſilia*, *immotum ſervat*: uti nec ab omni præventione, paſſione, pravo affectu (*quem tamen ſine gravi fundamento ſuſpicari nefas eſt.*) *Nec enim altitudo & ſanctitas Solii ſanctum facit*; *& à peccato ſecurum. Et quamvis Eccleſia*, *in his quæ fidei ſunt*, *ſapientiæ dono*, *& authoritate divina fulciatur*, *in aliis tamen*, *in quantum eſt hominum Congregatio*, *aliquid ex defectu humano in actibus ejus provenit*, *quod non eſt divinum*, *nec proficiſcitur ex authoritate divina*, *ſed ex errore humano*, ait S. Thomas in 4. diſt. 41. 4. 1. a 5. Et rurſus D. Gregorius dial. l. j. c. 4. *quid miraris*, quia *fallimur*, *qui homines ſumus?* .... *David*, *qui Prophetiæ ſpiritum habebat*, *contra innocentem filium Jonathæ ſententiam dedit.* Hinc S. Bernardus l. 2. de conſiderat. c. ult. Eugenium III. alloquens dicit, Romanos Pontifices adeo frequenter circumveniri, ex facilitate credulitatis, ut ipſorum vix ullus, ſi ullus, à vitio iſto ſit immunis: *Eſt vitium*, *cujus ſi te immunem ſentis*, *inter omnes quos novi*, *ex his qui Cathedras aſcenderunt*, *ſedebis*, *me judice*, *ſolitarius* .... *Facilitas credulitatis hæc eſt*, *cujus calidiſſimæ vulpeculæ Magnorum neminem comperi ſatis caviſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ*, *inde innocentium frequens addictio*, *inde præjudicia in abſentes*, *dum vel ipſis petentibus audientia denegatur vel inauditi condemnantur.*

Et inde eſt quòd vel ipſe Baſilius Magnus, apud Damaſum Papam ſanctiſſimum, accuſatorum mendaciis circumventum, in tam gravem hæreſis ſuſpicionem innocens venerit, ut delegati ipſius quatuor Romam miſſi, ab ipſo repulſam toties paſſi fuerint. Et S. Paulinus (à tot Sanctis mirificè commendatus) valde male habitus fuerit à Siricio Papa, Miniſtriſque Aulæ ipſius, quibus aures nimis faciles Siricius præbuit. Et S. Hilarius Arelatenſis à S. Leone Magno, delatorum calumniis circumvento, perſecutionem paſſus fuerit, velut adverſus S. Sedem rebellis. Et S. Thomas Cantuarienſis de Romana Curia epiſt. 20. ſeviter conqueratur, dicens: *neſcio quo pacto pars Domi-*

ne

ne ſemper mactetur in Curia, ut Barrabas evadat, & Chriſtus mactetur Authoritate Curiæ.

Ergone ſemper pars Domini inaudita, & Chriſtus in illa condemnabitur, & mactabitur Authoritate Curiæ, Barrabas verò cum parte malignantium, & S. Sedem mendaciis & calumniis ſuis circumvenientium pœnam evadet, exaltabitque cornu ſuum, ſeu potentiam? Utinam hoc uſque adeo diebus noſtris non experiremur, ut innocentiſſimarum Sanctimonialium Portus Regii campeſtre Monaſterium, non ſolùm uſque ad fundamenta ſubverſum, ſed & ſepulta ibi corpora, authoritate Curiæ, nuperrime fuerint exhumata ★; Deo tamen Opt Max. Virginum & Sacerdotum iſtius Monaſterii innocentiam, Jeſuitarumque (qui Monaſterium iſtud *hæreſeos eſſe nidum* Curiæ mendaciter perſuaſerant) calumniam manifeſtam faciente, per inventa ibi corpora poſt plurimos inhumationis annos integra, optimi ſcilicet Sacerdotis, crucem ligneam in pectore geſtantis, Abbatiſſæ noviſſimæ, & Operarii cujuſdam ejuſdem Monaſterii. Et quas non alias innocentium perſecutiones, iiſdem mendaciis & calumniis ſuis Jeſuitæ ſuſcitarunt, præter alias multas, quarum mentionem facit Alectenſis Epiſcopus in epiſtola ad Innocentium XI. Nonnullas etiam deſcribit Illuſtriſſimus D. Henricus Arnaud Andegavenſis Epiſcopus in epiſt. ad eundem tenoris ſequentis.

Beatiſſime Pater.

„ Etſi à decem annis plures nobis cauſæ fuerint non
„ tacendi, qua ratione diſputationes illæ de gratia &
„ libro Janſenii Iprenſis Epiſcopi, pia ſollicitudine fe-
„ licis memoriæ Prædeceſſoris Sanctitatis Veſtræ Cle-
„ mentis IX. tandem ſedatæ fuiſſent; noluimus ta-
„ men nec ipſe, nec alii qui mecum in eadem cauſa
„ verſabantur Epiſcopi, id palam proferre; ne qui o-
„ derunt pacem, hac de cauſa ad turbandum impelle-

★ Vide ſcriptum cui titulus, *Troiſieme Gemiſſement d'une Ame vivement touchée de la deſtruction du Monaſtere de Port Royal, 2 de edit.*

„ rentur. Tantum enim apud nos valuit amor pacis, „ ut illam privatis injuriis anteponeremus, quæ tam „ graves & tam multæ fuerunt ab iis qui ſe omnis „ concordiæ inimicos profiteri non timuerunt, ut „ verear interdum, ne patientia hæc Epiſcopalis, quâ „ mitigandos exiſtimabamus homines tranquillitatis „ Eccleſiæ impatientiſſimos, nimia forſan videri poſ- „ ſit: cum Epiſcopum, qui nullo privato dolore valde „ affici debet, ob Chriſti & Eccleſiæ injurias multum „ affici neceſſe ſit. Quod vero ad meipſum pertinet, „ B. P. in hoc pacis ſervandæ ſtudio tantam adhibui „ diligentiam, ut cum Diœceſeos noſtræ Synodi in „ lucem ederentur, illam tantum exceperim, quæ „ omnium certe majoris momenti fuiſſe negari non „ poteſt, & omni luce dignior, quæ pacis utiliſſimæ „ ſummam & inſtrumenta complectebatur.

„ Tantæ hujus moderationis & temperantiæ non me „ pœnitet B. P. nam præterquam quod pace nihil op- „ tabilius eſt, itaut facilè excuſet, ſi quid forte mol- „ lius & minus ſeverè ab Epiſcopo geſtum ſit, non „ moleſte tuli Collectioni Synodorum, quam in om- „ nium manibus eſſe oporteret, hoc defuiſſe, ne cu- „ rioſitatem hominum excitaret, qui omnium illarum „ diſputationum ignari eſſent; cum præſertim aliàs di- „ ci poſſet, quod tunc rectè taceri poſſe videbatur. Et re- „ vera B. P. quod privatis hominibus tacere potui, non „ ideo omnibus Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopis, & Eccleſiæ „ univerſæ taceri debet. Idque eo magis neceſſarium „ viſum, quod plerique temeritate opinandi de re in- „ cognita, in ſententias abierint multum à veritate „ diſcrepantes, quorum errori medendum eſt.

„ Neque vero diu deliberandum erat Sanctæ Sedis „ gloriam & Epiſcopalis Ordinis dignitatem amanti- „ bus; cùm ferendum non ſit, quod à Summo Pon- „ tifice & Epiſcopis in hoc negotio geſtum ſit, ea cu- „ ra occultari, qua opera tenebrarum occultarentur. „ Hactenus inauditum, rem tanti momenti, quæ ad „ fidem & diſciplinam Eccleſiæ pertineret, à Mini- „ ſtris Sanctæ Sedis, & Epiſcopis agitatam, conſcio

„ Re-

„ Rege maximo, præcipuiſque ejus Miniſtris etiam
„ conſciis, in ea obſcuritate per decem annos delituiſ-
„ ſe, ut plerique Epiſcopi, aliique multi non aliter
„ de illa vel ſenſerint, vel locuti ſint, quàm de frau-
„ dulenta & ſubdola inimicorum Eccleſiæ adverſus
„ Eccleſiam molitione. Mirabitur certè Beatitudo
„ Veſtra hoc tacitum, tanquam myſterium quoddam
„ iniquitatis, teneri potuiſſe, itaut non ſecus ac inau-
„ ditum crimen, magni nominis Epiſcopis objectum ſit,
„ quod rem, cujus conſcii erant, divulgare voluiſſent,
„ ideoque interpellatam Majeſtatem Regiam adverſus ſu-
„ ſpiciones & conjecturas, quæ nulla veritate fulciebantur
„ Sed non dubito, quin Sanctitati Veſtræ grave id
„ videatur, hoc ſumma cura Epiſcopis occulatatum
„ fuiſſe, ad quod tanquam ad normam Officiorum
„ conſilia ſua dirigere debuiſſent, in gubernatione Diœ-
„ ceſeon, & pace conſcientiarum procuranda. Fatebor
„ ultro coram Sanctitate Veſtra, mihi morte jam im-
„ minente (quæ ab octogenario multum abeſſe non
„ poteſt) vicinum Chriſti Tribunal cogitanti, ratio-
„ nem exigentis villicationis diuturnæ, hoc quoque
„ non parum timendum videri, ne tot conciones tu-
„ multuoſas, & pene in ſeditionem incumbentes, tot
„ rixas lethalibus odiis infames, tot vexationes con-
„ tumeliis variiſque injuriis non minus acerbas, quàm
„ impunitas, æquiſſimus Judex aliqua ex parte in me
„ arguat, & ſilentium accuſet quo foveri quodammo-
„ do potuerunt. Cùm hæc quæ à me commemorata
„ ſunt, Epiſcoporum ignoratione ferè contigerint,
„ ſeu vera, ſeu quæſito colore ſimulata, plures eſſe
„ potuerunt qui *ſimplici corde*, ut ait Scriptura, cre-
„ diderint hoc Sanctæ Sedi videri, quod tam audacter
„ jactabatur, nullam obſcuræ hujus pacis habendam eſ-
„ ſe rationem, quam Summus Pontifex non approbaſſet.
„ Non enim ignorat Sanctitas Veſtra, eos qui pa-
„ ce ſtabilita conſilia ſua & ſpem ſuam everti non i-
„ gnorant, à decem annis nullam non adhibuiſſe ma-
„ chinam, ut bello nefario ſeditionique in Eccleſia lo-
„ cus eſſe poſſet illius occaſionem quærentibus. Va-

„ riis rumoribus ſparſerunt in vulgus, falſo pacis no-
„ mine decipi Eccleſiam: Quatuor Epiſcopos, & qui
„ illorum cauſam tuerentur, mentiri, aut cùm aſſerunt
„ ſubſcriptiones à ſe cum quadam explicatione editas,
„ aut cum Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionibus ſe ſin-
„ cere obſecutos eſſe profitentur. Hanc eorum ca-
„ lumniandi audaciam manſuetudine noſtra confirma-
„ vimus, & ſilentium charitatis & pacis ſiniſtra inter-
„ pretatione ad pacis ipſius ac veritatis impugnatio-
„ nem tranſtulerunt. Qui enim jactant nulla nos ad-
„ hibita explicatione ſubſcripſiſſe, non tantum nos
„ impudenter mendacii arguunt, ſed, quod atrocius
„ eſt, improbiſſimè calumniantur nefario ſuo errori
„ ſubſcriptionem noſtram adverſus omnem antiquita-
„ tis fidem ſuffragari. Quippe auſi ſunt ſcriptis ad
„ hoc libris palam profiteri, hanc eſſe Eccleſiæ men-
„ tem, privata facta, quæ nec in Scriptura revela-
„ rentur & nulla Eccleſiæ Traditione niterentur, aſ-
„ ſumi poſſe in objectum fidei divinæ, & populis cre-
„ denda imperari; omnes ſcilicet Orbis Chriſtiani E-
„ piſcopos, exceptis Gallicanis, pridem ita ſenſiſſe,
„ & ad eorum ſententiam ipſos Galliarum Antiſtites
„ nuper acceſſiſſe, exceptis quatuor, qui tandem &
„ ipſi agnito errore ſuo Coepiſcoporum ſuorum ſen-
„ tentiæ ſubſcripſiſſent.

„ Qui vero contrariam mentiendi rationem inierunt,
„ Summum Pontificem Clementem IX. à nobis de-
„ ceptum aſſerentes, & ſimulata obedientia illuſum,
„ eo quod neceſſariam explicationem ſubſcriptioni
„ noſtræ ſubjunxiſſemus, dici non poteſt, qua linguæ
„ intemperantia & quo declamandi furore, contemto
„ Epiſcopali Ordine, palam in nos invecti ſunt. Non
„ intellexerunt iſti, aut potius *intelligere noluerunt*,
„ quantum interſit inter has formulas, *ſine exceptione
„ & reſtrictione ſubſcribere*, &, *Cum legitima explica-
„ tione aut diſtinctione ſubſcribere*. Etſi ergo quatuor
„ Epiſcopi adhibita explicatione & diſtinctione cum
„ tot aliis Epiſcopis ſubſcripſerint, non ideo cenſeri
„ poſſunt cum exceptione & reſtrictione ſubſcripſiſſe,

„ quod

„ quod Alexander VII. vetuerat. Aliud eſt enim ex-
„ cipere, aliud explicare. Vim legis infringere vide-
„ tur qui aliquid excipit adverſus legem: ſed nihil illi
„ adimit qui explicat. Hoc certe Prædeceſſor Veſtræ
„ Sanctitatis Clemens IX. non modo non prohibitum
„ eſſe cenſuit; ſed etiam approbavit, cum cognitis
„ quatuor Epiſcoporum Actis Synodalibus, Epiſcopa-
„ lem hanc obſervantiam gratiſſimam habuit.

„ Ignorare non potuerunt Epiſcopi; quod omnes
„ ſciunt, in Conſtitutionibus Summorum Pontificum,
„ quemadmodum & in Decretis Conciliorum Genera-
„ lium, multa reperiri naturæ multum diverſæ, quibus
„ diverſo quoque obedientiæ genere ſubjici debere-
„ mus. Indubitatum eſt, & extra omnem controver-
„ ſiam, non æquo & pari jure Fidelibus amplectenda
„ proponi dogmata fidei, quæ vel Canone Scriptura-
„ rum vel Traditione Eccleſiæ continentur, & ea quæ à
„ neutro duorum iſtorum Eccleſiæ fontium manaverint.

„ Qua ratione igitur credi poteſt, non placuiſſe
„ Sanctæ Sedi, ut Epiſcopi, qui ignorare non pote-
„ rant res inter ſe tam diverſas malitioſe confundi,
„ ad turbandam Eccleſiam & vexandos homines fidei
„ & vitæ integritate commendabiles, diſtinguenda iſta
„ eſſe monuerint, ſive in Synodis, ſive in Mandatis
„ Epiſcopalibus? Nonne æquum erat & neceſſarium, ut
„ quæ confundebantur odio, charitate diſtinguerentur?

„ Hoc ipſum eſt, B. P. quod pacis Eccleſiæ ini-
„ mici tanquam ſcelus inauditum adverſus Sanctam
„ Sedem furioſis declamationibus interpretati ſunt.
„ Quis feret, quæ laudantur à Summo Pontifice & Lit-
„ teris Apoſtolicis, ipſaque Petri authoritate multum
„ probantur, ab iſtis eodem tempore, ut nimirum ſa-
„ pientioribus & Sanctam Sedem magis amantibus,
„ tam acriter diſplicere?

„ Nihil certe Sanctæ Sedi, & Eccleſiæ ipſi, aut ho-
„ norificentius aut filiali obſervantia plenius eſſe poteſt
„ ejuſmodi Litteris Epiſcopalibus, quas ad ſuæ Diœ-
„ ceſeos Eccleſias tranſmittunt, cum illis Decreta
„ Conciliorum & Summorum Pontificum amplecten-

„ da proponunt. Illæ enim Decretorum explicatio-
„ nes, quæ adduntur ab Epiſcopis, cum nihil à veri-
„ tate alienum continent, hoc tantum eos optare ſi-
„ gnificant, ut ejuſmodi Decretis vera omnes & ple-
„ na obedientia ſubmittantur, cum mentem Eccleſiæ
„ Summorumque Pontificum aperiendo, omnia obe-
„ dientiæ impedimenta removere ſatagunt, ut per-
„ fecta ſit. Sic id ipſum, quod pacis inimici in Epi-
„ ſcopis reprehendunt, certum ſingularis eorum ob-
„ ſervantiæ argumentum eſt, malis interpretationibus
„ omnique Decretorum abuſui occurrentium, ne for-
„ tè verbum obſcurius aut minus diſtinctum *filii Belial*
„ rapiant in occaſionem inobedientiæ. Nec minus id
„ probat, quàm vero & ſincero pacis amore tenean-
„ tur, cum inimicis pacis ea omnia eripiunt, quibus
„ illi forſan adverſus pacem uterentur, ut privatis &
„ miſerrimis utilitatibus inſervirent. Numquam mi-
„ hi in mentem veniſſet, B. P. ut lucem quandam
„ tanto rerum evidentiæ afferrem ſupervacanea de-
„ monſtratione, niſi gravis & præſens neceſſitas coë-
„ giſſet. Etiam nunc multi, non tam ignorantia,
„ quàm odio pacis & hominum, res tam diverſas ad-
„ huc confundere & in unum miſcere nituntur, cu-
„ piditate calumniandi, ut nos Sanctam Sedem decepiſſe
„ mentiantur. Hoc pretextu & colore quæſito, plu-
„ res Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopi hanc ſubſcriptionem
„ tanquam Conſtitutionum & Summorum Pontificum
„ conſilio contrariam repudiant, quam tamen ipſi
„ Summi Pontifices, ut jam diximus, approbarunt.
„ Ab hoc velut fonte, B. P. in Eccleſiam Dei om-
„ nia omnis generis ſcandala profluxerunt, cum ge-
„ nerali quadam vexatione bonorum omnium, quos
„ magis in Diœceſibus noſtris pietate & ſcientia com-
„ mendari videmus. Ad hunc velut ſcopulum bona
„ opera & ſanctiora quæque conſilia alliduntur. Si
„ religioſæ Virgines aut ſimpliciores Clerici, qui num-
„ quam in hodiernis controverſiis verſati ſunt, eadem
„ qua ſubſcripſimus ratione ſubſcribant, quam proba-
„ verunt Summi Pontifices, & quæ nullum infirmis
„ con-

„ conſcientiis ſcrupulum relinquit, ſtatim ad arma
„ jam multis Religioſis familiaria, hoc eſt ad calum-
„ nias concurritur, ſtatem Janſeniſmi inſimulantur,
„ & omnibus telis & incurſionibus patent inimicorum.
„ Hac infelici arte Eccleſias noſtras vidimus pluribus
„ Presbyteris, fidei zelo, ſcientia & omni virtute con-
„ ſpicuis viduatas, qui ea ſubſcriptione uſi fuerant,
„ quæ Sanctitati Veſtræ & Prædeceſſoribus tuis pla-
„ cuit, & iſtis non placet. Eadem de cauſa viri doc-
„ trina & pietate illuſtres, vel ab altaribus ſeparati, vel
„ ad Sacros Ordines non admiſſi, vel ab omni benefi-
„ ciorum Eccleſiaſticorum aditu excluſi, à quibus, ge-
„ mens dico, tot nullius ſcientiæ & triſtis famæ non
„ excluduntur. In ipſa luce Urbis Regiæ palam pars
„ maxima Religioſarum Monaſterii ex Ordine Sancti
„ Benedicti à participatione Sanctorum Myſteriorum
„ multos per menſes remotæ ſunt: Ejuſdem calumniæ
„ afflatu integra Seminaria everſa ſunt, in quibus mul-
„ ti ad virtutem non minus quàm ad ſcientiam eru-
„ diebantur: Potentes verbo & opere Concionatores
„ prohibiti, ne ſuggeſta Eccleſiarum aſcenderent:
„ Clauſæ Cathedræ Theologicæ Profeſſoribus Theo-
„ logiæ præſtantiſſimis, Univerſitates ipſæ & Facul-
„ tates Theologiæ Doctoribus & Bacchalaureis magni
„ nominis viduatæ. Spiritus ille Schiſmatis peſſimus
„ eouſque invaluit, ut ipſis Defunctorum ſuffragiis &
„ precibus privati Epiſcopi, non ſolum in Sanctæ Se-
„ dis; aliorumque totius Orbis Epiſcoporum commu-
„ nione mortui, ſed etiam eximia doctrina & vitæ
„ ſanctitate ſpectabiles. Nec ab iſta inhumanitate
„ pluſquam barbara exceptus Cardinalis Eminentiſſi-
„ mus commendationis præcipuæ; quem Sanctitas
„ Veſtra ſingulari benenevolentia complectebatur; id-
„ que non aliam ob cauſam, quàm quod Decreto do-
„ ctrinali, ut non ſine cauſa arbitrabantur, injuſto, ſub-
„ ſcribere noluiſſent; cum præſertim ſapienter judica-
„ rent, iſtam ſubſcribendi neceſſitatem ab hominibus
„ nullius in Eccleſia authoritatis, abſque metuendæ no-
„ vitatis periculo, imperari non poſſe. Cum meliores
„ qui-

„ quique, quibus major cura ſalutis, & diſplicendi
„ Deo timor magis ſollicitus, iſtas Epiſcoporum ex-
„ plicationes libentius amplectantur, quibus ſecurita-
„ ti conſcientiæ conſulitur, ii potiſſimum perpetuis
„ iſtis vexationibus obnoxii, & certius illis impedi-
„ mentum ad omnia ſive beneficia, ſive officia, ad
„ quæ magis idonei & ultro eligendi videbantur. In-
„ telligit certe Sanctitas Veſtra, quàm latum & acer-
„ bum vulnus Eccleſiæ inflixerint, qui, cùm ſint o-
„ perarii pauci, majorem fere eorum partem Matri
„ gementi crudeliter adimunt, omnibus illam, quan-
„ tum conari poſſunt, ornamentis ſpoliantes. Hoc
„ Sanctitati Veſtræ conſtanter aſſerere poſſum, & *flens*
„ *dico*, lacrymis ob calamitatis magnitudinem ſponte
„ fluentibus, nullam aliam aptiorem machinam inve-
„ niri potuiſſe ab homine inimico ad exſcindenda &
„ velut vi amputanda tot membra Eccleſiæ, non di-
„ cam mortua, ſed Chriſti amorem perfectius ſpi-
„ rantia, quàm ejuſmodi contumaciam, per quam
„ illa ſubſcribendi formula reſpuitur, quæ Apoſtolicæ
„ Sedi accepta & probata eſt. Liceat quod jure licet,
„ & quod nobis per Summos Pontifices licuit, nulli
„ jam in fide ſuſpecti reperientur, & *obſtruetur os lo-*
„ *quentium iniqua.* Nunc vero quid non moliti ſunt,
„ quid non moliuntur inimici? Conculcata pedibus
„ authoritas Epiſcopalis. Jure illo privati Epiſcopi,
„ quod ipſis à Chriſto conceſſum eſt, idoneos opera-
„ rios eligendi: & temeritate quadam inaudita jus Ec-
„ cleſiæ, quo ſpoliari non poteſt, ad Magiſtratus ſæcu-
„ lares devolutum. Cum Epiſcopos, etiam ſibi ami-
„ cos, & certe non ſibi ſuſpectos, ob naturalem quan-
„ dam lenitatem minus forte incitatos aut ſapientio-
„ res invenerunt, quàm ut cupiditatem tam manifeſ-
„ tam, & cœcum illum furorem non tantum præ-
„ euntium, ſed fere præcipientium ſubjecti ſequeren-
„ tur, diligentes illi perturbatores & omnis moræ im-
„ patientes, quod ab Epiſcopis non ſatis feſtinantibus
„ extorquere non potuerunt, à Judicibus ſæculi ex-
„ torſerunt. In maxima fere Urbe Galliarum, & in
„ mediis

„ mediis ejus compitis, tuba etiam ad tam turpe ſpe-
„ ctaculum inſonante, Sententia Præſidialis proclama-
„ ta eſt, qua Notariis omnibus ſive Regiis, ſive A-
„ poſtolicis prohibebatur, ne actum poſſeſſionis pro
„ quocumque beneficio largirentur, antequam teſti-
„ monio evidenti primi Magiſtratus conſtaret, nomi-
„ natum non eadem ratione ſubſcripſiſſe, qua Epi-
„ ſcopi quatuor ſubſcripſiſſent. Sed, ut de me tantum
„ dicam, his ipſe oculis vidi, B. P. in hac noſtra
„ Urbe Epiſcopali partem Univerſitatis Andegaven-
„ ſis ad Poteſtatem ſæcularem confugiſſe, & ab ea im-
„ petraſſe, ut iis liceret ſubſcriptiones exigere quales
„ ſibi placerent, nulla habita ratione authoritatis meæ,
„ aut potius Chriſti, quam tam evidenter contemne-
„ bant. Quæſitus color hic fuit, quod ſubſcriptio à
„ nobis edita, falſo à S. Sede probata jactaretur; ve-
„ rior cauſa, quia ſi valeret illa ſubſcriptio, faciendus
„ erat finis perſequendi bonos omnes, quod bonis iſtis
„ viris intolerandum videbatur. Jam vero ſi dignio-
„ ribus pateret aditus ad dignitates & varia Eccleſiæ
„ officia, id certe conſequebantur, ut indigni, & ii
„ omnes quibus favebant, vacui & otioſi relinqueren-
„ tur. Quicunque ad manum meam erant, & in
„ quos pars quædam paſtoralis ſollicitudinis tam im-
„ menſæ refundi poterat, in ultimas Regni Provincias
„ amandati ſunt, omni prorſus præterquam amicorum
„ ſubſidio deſtituti. Tantum vero valuerunt pacis Ec-
„ cleſiæ inimici, ut vetitum ſit authoritate regia, ne
„ ulla ad beneficiorum adeptionem, quæ eſſent no-
„ minationis regiæ, ne exceptis quidem Epiſcopali-
„ bus, diplomata concederentur, niſi actus ſubſcrip-
„ tionis plerumque à Notariis regiis exceptæ, Scripto-
„ ribus diplomatum antea oſtenderentur, cum nomi-
„ natim ſubſcriptio, quam S. Sedes in nobis approba-
„ verat, & laudaverat, manifeſto contemtu rejicere-
„ tur.

„ Ecce B. P. quo in loco habent authoritatem S.
„ Sedis pacis Eccleſiæ inimici, cum cupiditate & odio
„ præcipites rapiuntur. Ecce in quam miſeram ſer-
„ vi-

„ vitutem incidimus, dum nimium fortè ſilentio & „ patientiæ indulgemus. Et hæ quidem neceſſariæ E„ piſcopo virtutes, ſed quæ ſolæ non ſufficiant. En „ aliquam partem malorum, quæ locum non habuiſ„ ſent, ſi pacis Apoſtolicæ ſollicitudine & ſapientia ſta„ bilitæ radios ſalutares velut denſa nubes ſilentii & „ ignorantiæ nimium non occultaſſet. Partem dixi „ malorum, nam ut omnia commemorarentur, id „ vero hiſtoria quàm Epiſtolæ anguſtiis dignius judi„ carem: præterquam quod dolori Sanctitatis Veſtræ „ parcendum eſt, quæ omnibus Eccleſiæ morbis ob „ acerrimum illum charitatis Apoſtolicæ ſenſum affici„ tur: ut cum ſuo Paulo dicere poſſit, *quis infirma„ tur, & ego non infirmor*? Nonne vero tam diuturno „ ſilentio finem jam afferre debet tam manifeſta Ec„ cleſiæ calamitas? Et ut hactenus prudentiæ & cha„ ritati Chriſtianæ inſervierit (quod mihi ipſi dico ad „ leniendam objurgantis conſcientiæ vocem) nunc „ certe vereor ne diutius protractum prævaricationis „ non ferendæ arguatur, cum ſtare nos oportebit an„ te Tribunal Chriſti. Quod ad me ſpectat, ita *me „ reprehendit cor meum*, ut ſtatuerim nihil omittere „ quod paci conſervandæ idoneum eſſe poſſit, ut tot „ innocentes & benevolentia Sanctitatis Veſtræ digniſ„ ſimi à poteſtate inimicorum & vexatione tam publi„ ca liberentur. Neque vero aliud remedium con„ venientiùs reperiri poſſe arbitror, quàm ut morbo, „ qui à tenebris ſilentii ortus videtur, luce veritatis „ medeamur: ut cum omnes aperte intellexerint quid „ S. Sedi placuerit, ut pax Eccleſiæ ſtabiliretur, cer„ tam regulam habeant Epiſcopi, quam ſequantur in „ ſimilibus controverſiis & Conſtitutionum Pontificia„ rum obſervantia. Non exiſtimo B. P. ab æquis Ju„ dicibus hoc meum conſilium improbari poſſe, cum „ nihil in lucem proferamus, quod non omnibus, quo„ rum ratio haberi debet, gratiſſimum fuerit. Sciunt „ omnes quàm publicò gaudio ad nuntium tam opta„ tæ pacis Eccleſia exultaverit univerſa. Litteræ A„ poſtolicæ Clementis IX. & Veſtræ Sanctitatis ad qua-

„ tuor

„ tuor Epiſcopos, & ad eos qui in procuranda pace la-
„ boraverant ſatis indicant quid S. Sedes probaverit.
„ Archiepiſcopus Pariſienſis, tunc Rothomagenſis, cu-
„ jus teſtimonium dubium eſſe non poteſt, in ea epi-
„ ſtola quam ſcripſit ad Eminentiſſimum Cardinalem
„ Roſpiglioſi, gratulatur exitum rei, quæ tam diffi-
„ cilis videbatur, tam felicem contigiſſe. Cumque
„ unus ex Regni Miniſtris illius de omni ea re ſenten-
„ tiam quæſiiſſet, teſtatus eſt, nihil aliud à quatuor E-
„ piſcopis, aliiſque Theologis qui in eadem cauſa ver-
„ ſabantur, requirendum, in ea ſubſcriptione quam
„ offerebant, fidem Eccleſiæ ſalvam, & obſervantiam
„ quæ S. Sedi debebatur, integram videri, & pror-
„ ſus religioſam: addebatque eos qui hujus conſilii
„ authores fuerant, utiliſſimam Eccleſiæ & Regno o-
„ peram navaſſe. Et quod Miniſtro aſſerit, idem fuit
„ argumentum Litterarum, ut jam dixi, ad Cardi-
„ nalem Roſpiglioſi. Nec alia fuit mens Eminentiſſi-
„ morum Cardinalium, Prælatorum, Theologorum,
„ & Canoniſtarum, quos Clemens IX. congregari
„ præceperat, ut de omni illo negotio accurate deli-
„ berarent. Adhuc multi nunc ſuperſunt, qui S. V.
„ teſtari poſſunt rem à me compertam narrari, nec
„ dubito quin id aliunde Sanctitas V. reſcierit. Ju-
„ bere poteſt ſibi originales tabulas exhiberi, quorum
„ exemplaria ſumma cura collecta huic Epiſtolæ ſub-
„ jungimus. Cum vero apud me ſtatuiſſem, ad hunc
„ fidei, & pacis theſaurum omnes Gallicanæ Eccleſiæ
„ Epiſcopos convocare, æquum eſſe duxi, ut à S. V.
„ initium ſumerem in ea tam Sanctum Caput omnium
„ Epiſcoporum veneraturus.

„ Obnixe vero Eam rogo, ut omne hoc conſilium
„ noſtrum Deo, cui tam amica eſt, commendet, fu-
„ turum ſperans, ut Benedictionis Apoſtolicæ tutiſſimo
„ præſidio muniatur, quo ſit Eccleſiæ univerſæ uti-
„ lius. Obſecro etiam B. P. ut rationem habeas ne-
„ ceſſitatis meæ & juſtiſſimi timoris, cui certe con-
„ ſulendum fuit, ne me *dies Domini*, quæ à Sene oc-
„ toginta trium annorum non poteſt eſſe valde remo-

„ ta

„ ta, imparatum inveniat. Ideo cogitanti in ætate
„ tam vergente ad mortem, hanc fortè ultimam eſ-
„ ſe Epiſtolam quam ſcribo ad S. V. venit mihi in
„ mentem apud Succeſſorem Petri, Fidem hic meam
„ profiteri: ut ſi qui viventem calumniati ſunt, ca-
„ lumniaturi ſunt & mortuum, tam manifeſtis fidei
„ meæ indiciis arguantur. Profiteor ergo, in hoc ve-
„ lut theatro Orbis Chriſtiani, *coram Domino & Chri-*
„ *ſto* ejus, me *credere quod Roma credit*, & meam fi-
„ dem eſſe fidem Innocentii: *In ſinceritate Dei* am-
„ plector quidquid à Sancto Concilio Tridentino de-
„ finitum eſt, & profeſſioni fidei, quam edendam eſſe vo-
„ luit, toto corde ſubſcribo. Quod vero ad quinque
„ propoſitiones pertinet, ab Innocentio X. & Alexandro
„ VII. damnatas, à me damnantur, & ſemper damna-
„ tæ ſunt, & omnes ſenſus, quos in eis Eccleſia damna-
„ vit, non minus damno. Sed cum id in Declaratione,
„ quæ ab Epiſcopis Mediatoribus ad Prædeceſſorem S. V.
„ Clementem IX. miſſa eſt, & quam his quoque Litte-
„ ris adjunximus, cumulatius habeatur, nihil addam
„ amplius. Item coram Deo & coram Summo Judice
„ Chriſto, *ante cujus Tribunal mox me manifeſtari opor-*
„ *tet*, rationem redditurum, teſtor nullum me in Ec-
„ cleſia Dei noſſe Theologum qui quinque propoſitioni-
„ bus damnatis anathema non pronuntiet, & qui Con-
„ ſtitutiones Summorum Pontificum ea obſervantia
„ non revereatur, quam exigere ſolet Eccleſia.

„ Sed ut non minus charitatis quàm fidei meæ teſti-
„ monium in S. V. ſinu depoſitum relinquam, B. P.
„ profiteor, eos omnes qui me oderunt, aut dignitatem
„ noſtram hoc omni tempore contemſerunt, ex animo
„ diligere & amplecti in viſceribus Chriſti, & in corde
„ meo pro iis qui *cogitabant mala mihi* Deo favente ni-
„ hil me inveniri præter *cogitationes pacis*. Hæc me ſen-
„ tientem ab infelici hac vita diſcedere ardentibus votis
„ exopto, cum in Die Domini nullum præſidium præſi-
„ dio fidei & charitatis potentius eſſe poſſit. Sanctita-
„ tem Veſtram, ad cujus pedes humiliter poſternor,
„ multum obſecro, ut hanc mihi à Chriſto gratiam im-
pe-

„ petrare dignetur precibus ſuis, & Benedictione Apo-
„ ſtolica, quam ſupplex efflagito, Primatus Veſtri fide-
„ liſſimus & perpetuus, tam in morte quam in vita, Ve-
„ nerator, & ex animo, Beatiſſime Pater, S. V.

Addictiſſimus & obſequentiſſimus Filius
HENRICUS Epiſcopus Andegavenſis.

Et quos adverſus Eminentiſſimum, pariterque laudatiſſimum Dominum Cardinalem Noallium, Archiepiſcopum Pariſienſem, tumultus hodie non excitant Jeſuitæ? ex quo receptiſſimam in Eccleſiá S. Auguſtini de gratia, ipſiuſque & divini amoris neceſſitate doctrinam, in Paſtorali inſtructione ſua 1696. prædicavit, in ipſum tot furias egerunt, ut non contenti ipſum traducere velut *Janſeniſtam declaratiſſimum, Janſeniſtarumque Caput* (in Problemate Eccleſiaſtico, tortoris manu, ſupremo Parlamento jubente, igni tradito) adverſus ipſum nonnullos etiam ſuæ Moliniſticæ factionis Epiſcopos quoſdam, ſibi mancipatos, ſuſcitarunt, qui in ipſum Mandatis Paſtoralibus, Moliniano furfure, multiplicique errore fœdatis inſurgerent; Gallicanos proinde Epiſcopos (quos inter antea unitas & pax magna erat) deplorando ſchiſmate inter ſe diviſerunt: & partim per iſtam diviſionem, partim per mala ſuprà enarrata, aliaque quæ enarrari poſſunt infinita, Moliniſmum ſuum propagare, Sanctique Auguſtini doctrinam ſupprimere conantur: per hoc ipſum manifeſtam facientes neceſſitatem longè maximam reformandi Societatem, Bullamque adverſus Moliniſmum, ab annis pluſquam centum à Paulo V. ſolemniter promiſſam promulgandi. Nec enim malorum & turbarum erit finis, quamdiu non promulgabitur.

Malis iſtis in Diœceſi ſua occurrere anniſus eſt ſanctæ recordationis Alanus de Solminihac Epiſcopus Cadurcenſis; ſed dum vidit ſe operam perdere, non ſine gemitu penè moriens dixit: *Sibi Jeſuitarum doctrinam ac diſciplinam diligentiſſime perſpectam: nec quidquam à ſe prætermiſſum, quo ipſos in viam reduceret;*

ſed

ſed irrito labore. Quamobrem illos à ſe judicari magnos Eccleſiæ hoſtes, dignoſque quos omnes filii Eccleſiæ averſentur & fugiant. Quod ſuum de illis judicium, ut multis, ac præſertim Epiſcopis, per Abbatem Ferrerium Epiſcopi Albienſis Vicarium Generalem (prout ipſe teſtatus eſt) *innoteſceret, à ſe vehementer optari.*

Nec certe ulla alia Religio tot in Eccleſia mala, tot turbas, tot horrendas innocentium perſecutiones, mendaciis ſuis & fraudulentis ſuggeſtionibus excitavit, nulla proinde magis indiga reformationis, ſine qua nunquam utilis erit, ſed valde noxia, ut pote in quam quadrat illud Eſter 14. *multi bonitate Principum* (addere liceat & Romanorum Pontificum)..... *abuſi ſunt in ſuperbiam, & non ſolùm ſubditos Regis nituntur opprimere, ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantes ſe fugere poſſe ſententiam, in tantum veſaniæ proruperunt, ut eos, qui credita ſibi officia diligenter obſervant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubvertere, dum aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.*

CLANGOR XXIII.

Adverſus ea quæ Jeſuitæ objiciunt ut Societatem nullius reformationis indigere perſuadeant.

OBjiciunt 1. ignominioſum Societati futurum, ſi reformetur, multoſque à nomine ei dando abſterritum iri, ac propterea Societatem non futuram poſt hoc Eccleſiæ utilem.

Ludicra objectio, perinde ac ſi diceretur, ignominioſum ægro futurum, ſi ei medicina propinetur, quia ægrotare exiſtimabitur, cumque ſanitatem recuperaverit, non poterit poſthac opus facere. Quid inſipientius? è contra quid ſapientius, quid glorioſius Religioſis Ordinibus, quàm ad primigenam regulam eos revocari, qui inde exciderunt? Et quid hoc Eccleſiæ utilius? An non S. Benedictus Ordinem inſtituit Jeſuitarum Ordine mille partibus excellentiorem? Ille tamen om-

omnibus ferè ſæculis à variis variè fuit inſtauratus, non ſolùm ſine ulla ignominia, ſed & cum maxima ſua gloria, publicaque Eccleſiæ utilitate. Gloria enim juſti eſt reſurgere; jacere autem nec erigi, ignominia eſt impii. Unde Job...... *Gloria mea ſemper innovabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.*

Objiciunt 2. Si Societas reformetur, turbæ inde maximæ exorientur, multique è Societate egredientur. Et ipſa Societas in interitum ibit. Iſta objectio præcedente non eſt ſapientior. Cùr enim rerum Societatis potiùs quàm cæterorum Ordinum in meliùs mutatio ſeu reditus in ſtatum primigenium, & S. Patris ſui Ignatii Nomotheſiam, Societatis interitum potiùs cauſare poteſt quàm cæterorum Ordinum? cùm mutationem illam ſuſpirare debeant, quicumque Societatem amant, cumque Propheta exclamare: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur: Innova dies noſtros, ſicut à principio.* Thren. 5.

Objiciunt 3, Periculoſæ plenum aleæ eſſe, Societatem reformare; ſi enim Pontifex id conetur, metus eſt ingens, ne ſe Principes, à Jeſuitis toti pendentes, opponant, juſque & authoritatem Pontificis minuant. Hæc ratio quoſdam quidem Pontificios Miniſtros hactenus induxit, ut opus iſtud Pontifici diſſuaderent; verùm tanta eſt Catholicorum omnium Principum erga Sedem Apoſtolicam pietas ac reverentia, ut nihil Pontifici magis optandum ſit, quàm ut ipſi Jeſuitæ officii ſui erga Sanctam Sedem exemplum à Principibus expetant, aut certè caveant ipſos pravo exemplo ſuo, vel Magiſterio, minus obſequentes efficere, quàm hactenus fuerunt. Quod tamen verendum non eſſe videbit, quiſquis meminerit ejus quod non ita pridem accidit, novo Jeſuitiſſarum Virginum Ordini. Cùm enim Jeſuitæ novum iſtum Ordinem maximis Principibus, ac feminis præpotentibus ſummopere ſic commendaſſent, ut ipſis nullum dubium reliquiſſent, quin puellæ linguam Latinam, Rethoricam, Dialecticam, & Religionis controverſias Virginum Jeſuitiſſarum magiſterio edoctæ, ingens in hæreticis mulieribus ad Eccleſiæ

cleſiæ ſinum reducendis emolumentum facturæ eſſent. Iſte tamen novi generis Apoſtolatus Urbano VIII. Summo Pontifici meritò viſus eſt contrarius Apoſtolico Oraculo 1. Cor. 14. *Non permittitur mulieribus loqui in publico: ſed ſubditas eſſe; ſi quid volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Nec Oraculo Prophetico Iſa. 27. *Mulieres venientes, & docentes eas: Non eſt enim populus ſapiens.* Ideòque Pontifex Virgines illas ad docendum publicè ſic prurientes, muneréque Magiſtrorum ſuorum Jeſuitarum (ad quorum ſimilitudinem creatæ videbantur) fungi geſtientes, tanquam vepres in agro Eccleſiæ excreſcentes, maturè evellere ſatagens, Epiſcopis ac Nuntiis diverſis mandavit, ut Jeſuitiſſas ſeriò monitas à temerario incepto ad ſaniora conſilia revocarent. Illæ tamen (re cum Jeſuitis Magiſtris ſuis, & conſcientiarum Directoribus communicata, fretæque Principum & Principiſſarum Jeſuitis addictarum favore) *poſthabito Dei timore & Sedis Apoſtolicæ reſpectu, in grave animarum ſuarum præjudicium, & bonorum omnium offenſionem, arroganti contumacia, non modò Pontificiis monitis non paruerunt, ſed etiam ſimilia in dies attentare, ac multa ſanæ doctrinæ adverſantia proferre non erubuerunt*, propterea quòd Magiſtrorum & Directorum ſuorum authoritas ipſis perſuaſerat, quòd nunquam Pontifex, in Theologicis minùs verſatus, plus ipſis in rebus ad Religionis incrementum ſpectantibus ſapere exiſtimaretur, tantorumque Principum ſuffragationi adverſaretur. Verum Pontificis fortitudo magna zeluſque verè Apoſtolicus ultra non ferendam tantam, ſive Jeſuitarum, ſive Jeſuitiſſarum impudentiam judicans, Bullam promulgavit *prætenſæ Congregationis Jeſuitiſſarum ſuppreſſio* inſcriptam: *In qua habita*, inquit, *cum Cardinalibus Inquiſitoribus matura conſultatione, de illorum unanimi conſilio & conſenſu prætenſam Congregationem Mulierum, ſeu Virginum, Jeſuitiſſarum nuncupatarum, illarumque ſectam & ſtatum, ab ortus ſui primordio nullos & invalidos, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, Apoſtolica authoritate decernimus & declaramus. Et quia de facto proceſſerunt, eadem au-*

tho-

theritate penitùs ſupprimimus & omnino extinguimus &c. Neque ulla contra hoc fuit Principum nec Principiſſarum oppoſitio. Nec enim Catholicorum Principum tanta eſt perverſitas, ut cùm propter Apoſtolicam Sedem Jeſuitas ament, ſui facti diſſimiles, eandem Sanctam Sedem propter Jeſuitas contemnere velint & offendere. Nulla proinde eſt ratio dubitandi, quin vel ipſi Principes manum daturi ſint Jeſuitarum reformationi, ſi per Pontificem & Cardinales per litteras rogentur, ut Societati de Eccleſia benè meritæ ſuppetias ferant, & imminens ipſis exitium non ſolùm antevertant, ſed & gratum habeant, ut ad eum reducatur ſtatum, in quo de ipſis deque Eccleſia deinceps bene, ſicut ab initio, meritura ſit.

CLANGOR XXIV.
SIVE

Natalibus, doctrina, virtute verè Chriſtiana Clariſſimi & Illuſtriſſimi Viri, Domini Joannis de Palafox *& Mendoza, Hiſpani, & in America Epiſcopi Angelorum Populi, ac Conſilii Indiarum Decani, Epiſtola, ſanctiſſima, graviſſima.*

Ad Summum Pontificem Innocentium X. *de Jeſuitarum Societate extinguenda, vel ſtrictè reformanda, ob venerabilis Eccleſiæ bonum.*

Beatissime Pater.

1. SAcris tuæ Sanctitatis pedibus provolutus, Pater Beatiſſime, infinitas Deo & Apoſtolicæ Sedi gratias ago, quòd tanta benignitate & humanitate Doctorem Silverium de Pineda Procuratorem meum foveris, ut quàm breviſſimo tempore ad te miſſum ad me remiſſum utroque mari Oceano & Mediterraneo, Italia, Hiſpania, Americaque peragratis conſpexerim, & ab eo Litteras Apoſtolicas ſuper dubia oraculo ſapientiæ tuæ propoſita, noſtros intellectus illuminantes, er-

rores corrigentes, diſcordias ſedantes, non ſine lachrymis præ hilaritate gratiarumque actione acceperim.

2. Cui enim non erit lætitiæ ſtuporique, videnti viginti & ſex quæſtiones controverſiaſque Eccleſiaſticas, auditis etiam prolixè partibus utriſque, & viſis actis per ſanctam Congregationem à te particulariter aſſignatam, etiam ab occupatiſſimis Cardinalibus ſapientia & virtutibus Eminentiſſimis, & Romanæ Curiæ Prælatis, intra quatuor menſes diſſipatas, collatas, concluſas, deciſas, & tandem expeditas fuiſſe? Ut jam deinde jure optimo, non ſine magna animi infirmitate, ſi aliter fecerimus, ſacras illas voces debeamus non tantùm attendere & audire, ſed obedire Prælatis, quibus Apoſtolica Sedes inclamat, invitat, & ſuadet Patribus animarum dicens: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos*, & iterum; *Omnes ſitientes venite ad me & ego reficiam vos, Ego enim ſum via, veritas & vita.* Cujus cauſa, Pater Beatiſſime, exteris hujus Americæ nunciavi Paſtoribus, cum muliere quæ convocavit amicas in Evangelio exclamans: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Ut omnibus pateat quanta brevitate, benignitate & humanitate Apoſtolica Sedes, & tua Paſtoralis vigilantia, & ſumma ſolicitudo & ſapientia dubitantibus reſpondeat, errantes dirigat, & mœrentes conſoletur.

3. Sed heu! Pater Beatiſſime, nunquam in hac mortali conditione & miſeria hilaritas ſine mœſtitia, nunquam ſine novo diſcrimine tranquillitas, docente Divino Spiritu, *extrema gaudii* luctum occupare. Ea eſt humanæ mentis & naturæ fragilitas, ut ſemper magis ac magis medicina indigeat, & nondum vulneribus primis oleo charitatis ſapientiæque tuæ ſubſanatis, jam ſecunda ſuccedunt.

4. Sacerdotes, Beatiſſime Pater, ad te miſſi, & ad ſacra Apoſtolorum limina viſitanda, me ab aſſertis Conſervatoribus, Regularibus, & Religioſis Jeſuitis, prætextu ſuorum privilegiorum aſſignatis, non aliam ob cauſam, quàm quòd in animarum ſalutem & propugnationem Eccleſiaſticæ juriſdictionis, & Decretorum Sacri

Sacri Concilii Tridentini incumberem (ut Congregationi ſacræ ſuper hoc negotio à Tua Sanctitate aſſignatæ patuit) de facto excommunicatum & aliis innumeris injuriis impetitum fuiſſe.... retulerunt, & ad alia ſcandala deveniſſe nunciarunt.

5. Verùm poſt eorum diſceſſum Religioſi Jeſuitæ majores turbas contra me & dignitatem meam excitarunt, acriores ſeditiones commoverunt & injuriis atrocioribus dehoneſtarunt, & Clerum meum ac gregem crudeliſſimè vexantes, (liceat mihi ita enarrare, cùm eis ita feciſſe libuerit) in majores anguſtias redegerunt.

6. Cæco enim quodam quaſi furore perciti, Pater Beatiſſime, Religioſi iſti, quos in Domino ſemper amavi ut amicos, & nunc ardentiùs ut inimicos diligo, videntes meos ſubditos Conſervatorum ſuorum invalidis excommunicationibus non aſſentiri, ſed ſuo amabili Paſtori, vocem ejus in ſuis edictis agnoſcentes, inhærere, ſe exiſtimantes contemptos, in maximam iracundiam exarſerunt, & niſi eorum libidini & arbitrio meam dignitatem & baculum Paſtoralem ſubmitterem, de incarcerando Epiſcopo cogitarunt.

7. Cùm autem hoc non quâ deſiderabant facilitate conſequi poſſe viderent, quia horror ipſe facinoris ad defenſionem ſui proprii Paſtoris populos excitabat, non tantiùm alios Regulares, tanquam pro communi eorum cauſa, contra me convocarunt, ſed quod gravius eſt, prophanum & ſæcularem gladium (Comitis ſcilicet de Salvatierra Viceregis, qui mihi totius Regni Viſitatori generali in potectionem miſerabilium Indorum incumbenti, quos ſui miniſtri maximè exagitabant, infenſiſſimus erat) etiam ingenti pecuniâ emptum, temeritate maxima exemptum, digladiantes, dignitatem meam, perſonam, gregem, armis, incarcerationibus Eccleſiaſticorum & ſæcularium, & aliis quàm plurimis injuriis vexarunt; etiam hominibus flagitioſiſſimis armatis, dieque deſtinato (is autem fuit feſtum corporis Chriſti, eodem enim die conveniens erat ut traderetur Epiſcopus, quo captus fuerat Epiſcoporum

Epiſcopus) ut meam perſonam caperent, dignitate expoliarent, gregem diriperent. Interim juriſdictione Inquiſitorum ad id per ipſos conducta, prætextu quòd excommunicationes nullas Conſervatorum mei ſubditi parvifacerent, incarcerante Clericos & Laicos, & atrociora, niſi Conſervatoribus obedirent, minitante.

8. Dum hæc omnia à Religioſis Jeſuitis, & Conſervatoribus, & Tribunalibus ad id convocatis geruntur, ego quantum adjuvante Domino potui pro grege, pro fide, pro juriſdictione, pro Concilio, pro Apoſtolicis Conſtitutionibus & Regulis, quamvis ſolus, laborare non deſtiti, non tantùm Regulares cenſuris ſeveriſſimis terrendo, & ſæculares eiſdem fulminibus & edictis, & epiſtolis, & voce, & ſermone intra ordinem & obedientiam continendo, ſed etiam, cùm parum hoc proficeret, contemnebant enim Jeſuitæ cenſuras Eccleſiaſticas, & vinculis earum innodati, ſuſpenſi & irregulares publicè celebrabant, Sacramenta miniſtrabant, invito Epiſcopo, etiam in non ſuis Eccleſiis prædicabant populo, ſæcularium Confeſſiones audiebant; Vice-regem & auditores Regios exhortatus ſum, ut aliqua congruenti moderatione & remedio, miſſis ad id aliquibus de meo Capitulo Commiſſariis, differentiæ iſtæ & diſcordiæ ſedarentur, ſalva tamen Tuæ Sanctitatis irrefragabili deciſione; & interim Respublica quieta, fidelium Eccleſia pacifica, & omnium ſuſpenſi animi ſententiam Apoſtolicam expectarent.

9. Sed Religioſi Jeſuitæ, Pater Sanctiſſime, gladio ſæculari armati, & Archiepiſcopo Mexicano Joanne de Muñozca, non tantùm fautore, ſed auctore duceque freti, & omnibus penè Regni Tribunalibus variis artibus in ſuam poteſtatem redactis, nullam compoſitionem aut concordiam admittere volentes, Commiſſariis Eccleſiaſticis ignominioſè dimiſſis, imò expulſis, non pacem, non inducias, ſed bellum cruentiſſimum indicentes; niſi me, meamque juriſdictionem, & baculum Paſtoralem, arbitrio ipſorum & ſuorum Conſer-

ſervatorum, quos ego tanquam auctores hujus miſerabilis ſchiſmatis paulò antè anathemate percuſſeram, ſubmiſiſſem, cædes, carceres, exilia, proſcriptiones, ſi aliter facerem, comminantur.

10. Ruptis ab eis honeſtæ concordiæ articulis, à me ut tanta ſcandala vitarentur propoſitis, acriùs Religioſi Jeſuitæ bellum contra meam dignitatem gregemque repetunt & inſtaurant, plures Clericos ſcilicet incarcerando, & hos honeſtiores, electum Epiſcopum de Honduras, Vicarium meum generalem, virum doctiſſimum & honeſtiſſimum, manu ſæculari diriſſimè recludendo, & tandem meum gregem crudeliſſimè omnibus modis vexando, & iterum ardentiori affectu meam incarcerationem, aut extra Provinciam relegationem, diverſis machinationibus diſponendo.

11. Ad hos ſacrilegos conatus, Pater Sanctiſſime, iterum excitati populi, Epiſcopum, propè antè Viceregem, & Gubernatorem amantiſſimum, jam tot petitum inſidiis injuriiſque exagitatum intuendo, ad ſui Paſtoris & Miniſtri Regii propugnationem convolant, & mortem ſubire parati, & ſua etiam vita Paſtoris vitam defendere contendunt. Et ita diviſo Regno & in partes diſtracto, brachio ſæculari, & Jeſuitis, & Conſervatoribus contra Epiſcopum & Eccleſiaſticam juriſdictionem, populis autem & Clero pro juriſdictione & Epiſcopo contendentibus, in ſummum periculum redacta Reſpublica eſt.

12. Has inter anguſtias fluctuabat mens mea, æſtuabat animus & conſilium hærebat, expoſcens à Deo, etiam profuſis lachrymis, ut viam mihi dignaretur aperire, quâ ſalva fieret pax publica, juriſdictio oppugnata & vita petita. Deſerere enim Eccleſiam, juriſdictionem & baculum Paſtoralem Religioſis Jeſuitis ignaviter tradere, viliſſimum: armis autem & ſanguine filiorum ſpiritualium cauſam defendere, duriſſimum & diriſſimum: nihil autem agere, ſed Conſervatorum iræ me meaque committere, nocentiſſimum & imprudentiſſimum eſſe videbatur.

13. Quis enim, Pater Sactiſſime, baculum Paſtora-

lem, id eſt, gladium Dei ſine crimine turpiſſimè tradet? Aut quis ſuas oves ardentiſſimè diligens, & pro quibus ſe ipſum impenderet, & mortem etiam ſubiret, præ dolore conſpicere poſſet ſociali bello inter ſe digladiantes, & ſe ad invicem occidentes? Pugnam cruentiſſimam & triſtiſſimam intuens pater utrorumque amantiſſimus, in qua vinci infelicitas, vincere crudelitas erit? Aut quis tandem vel propugnatione pacem, vel ignavia vitam diſperderet?

14. Ideò utrimque anguſtias, utrimque pericula contuens, tanquam ſi in auribus perſonarent voces illæ Salvatoris, ſuos Apoſtolos & Diſcipulos in ſimili caſu docentis, fugâ Eccleſiaſticâ victoriam, non bello mortem, aut populorum jacturam prætendendam eſſe: dicebat enim, *Cùm perſecuti vos fuerint in una Civitate, fugite in aliam*: ſtatui honeſtiſſimâ fugâ, non autem gladio crudeli, & filiorum ſanguine deſœdato, vitam & dignitatem meam propugnare.

15. Videbam enim adverſariorum mentes in id maximè tendere, ut meam caperent perſonam, aut in ipſa expugnatione perimerent, quâ captâ aut peremptâ, & de mitra captiva triumphum, & de grege ſpolia, & de cauſa victoriam reportarent; percuſſo enim Paſtore quàm facillimè diſperguntur & oves; poſteaque falſis probationibus & calumniis & criminationibus adverſariorum, veritas Paſtoris indefenſa, & fama acquiſita cum ipſo corpore occiſo conſepultæ jacerent.

16. Conſiderabam itidem, Regulares Jeſuitas, ardenti furore agitatos, in hos actus adeò irregulares proſilire, & in præceps dari, non ratione ſed affectu, & quò major impetus, eò brevior, conatus enim iræ cito cadunt, & ſi primi illudant, ſecundi corruunt: nam etſi iracundia ab inſania non niſi tempore diſtet, breviſque ſit furor, tamen quamvis mala, quia furor, tolerabilis tamen, quia brevis, ideòque furorem iſtum perſecutionis quàm citiſſimè tranſiturum exiſtimavi, more quidem fulminis, quæ uno eodemque momento venit, percuſſit, abſceſſit.

17.

17. Fuga ergo Rempublicam ſalvam facere ſtatuens, & meis pœnis adverſariorum culpas, imò & iras aut eludere aut delinire conſtituens, ne populus innocens noſtris omnium erroribus plecteretur, commendato priùs grege æterno Paſtori, relictis etiam tribus Vicariis Generalibus, ut ſi fortè abſentes, vel legitimè impediti fuiſſent, unus pro alio Eccleſiaſticam juriſdictionem defenderet; ſcripta etiam epiſtola Capitulo, in qua cauſas meæ ad tempus diſceſſionis narravi, & ad defenſionem Eccleſiaſticæ juriſdictionis excitavi, duobus famulis tantùm, Secretario ſcilicet, & eo qui mihi erat à Confeſſionibus, comitantibus, exteros familiares per diverſas vias mittens, ut confuſione ipſa inimici mei diſtracti, ubi ego deliteſcerem ignorarent; in montibus quæſivi refugium, & inter ſerpentes, ſcorpioneſque, & animalia peſtifera, quorum hæc regio feraciſſima eſt, ſecuritatem & ſocietatem, quam in hac Religioſorum implacabili Societate invenire non potui.

18. Ubi poſtquam per viginti dies non ſine magno vitæ periculo, & alimentorum penuria (aliquando enim ſolo pane tribulationis, & aqua lachrymarum paſcebamur) tandem in quodam parvo tuguriolo per quatuor menſes delitui, exquiſitiſſimis interim modis à Religioſis Jeſuitis quæſitus, & pecuniâ maximâ expenſâ, ut inventus, aut baculum Paſtoralem traderem, aut me vita exuerent & occiderent.

19. Hoc modò hiſque periculis & anguſtiis ſalva Reſpublica fuit, & ſi non pax ſpiritualis, ſaltem temporalis & publica reddita eſt Regno. Nam ſpiritualis tanquillitas, Pater Beatiſſime, ubi cum Jeſuitis res agitur, ſolùm à Jeſu Chriſto, & à Tua Sanctitate ejus Vicario reddi ſtabilirique poteſt: adeo enim terribilis eſt, ſi non reformetur, eorum in Eccleſia univerſali potentia, adeo ampliſſimæ facultates, honores, divitiæ, ut omnibus dignitatibus, legibus, Conciliis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus potentiores exiſtant; ita ut neceſſe ſit Epiſcopis, (ſaltem in his partibus) aut in concertatione mori, & pro cauſa cadere & ſuccumbe-

re, aut ſuis nitibus obſecundare, aut ad minus ſummo diſcrimine, periculis, expenſis, incommoditatibus, falſiſque eorum criminationibus illaqueatis dubium exitum de ſanctiſſima & juſtiſſima cauſa expectare.

20. Cùm ergo viri Jeſuitæ fruſtra Epiſcopum carceri quæſiviſſent, gregem ipſius vexare & miſerabiliter perſequi & affligere ſtatuerunt, ad hoſque ſequentes actus non ſine maximo populorum ſcandalo proceſſere.

21. Primò enim ſuos aſſertos Conſervatores, Religioſos Dominicanos, è Mexico in civitatem Angelorum, ubi meâ Cathedralis Sedes præeminet, maxima Fratrum ſuorum & Jeſuitarum comitante manu, incredibili pompa, plurimis curribus ad eorum adventum congregatis adducunt, ignorantem etiam plebem Religioſis Jeſuitis monentibus, & per compita & plateas equitando clamantibus, ut genua flecterent, duobus illis Fratribus Dominicanis, aſſertis Conſervatoribus (à me paulò antè excommunicationis fulmine & anathemate, ut prædixi, perculſis) ipſos aſſerentibus eſſe Papas, & Pontifices ſummos, & ut plus hæc ſuaderent, poſtquam ipſos cum cruce proceſſionaliter extra clauſtra Fratres ſui Ordinis ſuſcipiunt, non tam ſuadent quàm jubent Jeſuitæ, qui eos conduxerant, erigere tribunal, creare Fiſcales, & Apparitores ac Notarios nominare.

22. Deinde per plateas galeris ſericis & violaceo colore exornatis incredibili faſtu circumducunt, & etiam prope Epiſcopale palatium, ut majori contemptu de dignitate Epiſcopali triumpharent, maxima comitante Regularium caterva, cum ſuis apparitoribus & miniſtris, curribus pluribus vecti circumambulant, & tandem omnia quæ Sanctum Concilium Tridentinum etiam legitimis Conſervatoribus prohibet, Conſervatores iſti intruſi patraverunt.

23. Deinde Tribunali erecto, & his omnibus ſumma jactantia geſtis, omnes Eccleſiaſticos, & miſeros ſæculares, variis modis & moleſtiis vexant, alios ex-

com-

communicationibus, alios bonorum ſuorum diſtractionibus, alios ſæculari manu, exilio, vinculis, & injuriis, alios aliis artibus diriſſimè perſequuntur.

24. Doctorem enim D. Manuelem Bravo de Sobremonte, Cathedralis Eccleſiæ Theſaurarium, Doctorem D. Ludovicum de Vongora antiquiorem Canonicum, Doctorem D. Nicolaum de Aſperilla Portionarium, Sacerdotes honeſtos & doctos, per manum prophanam ab Eccleſia & Diœceſi relegant, Archidiaconum Eccleſiæ Cathedralis, Doctorem D. Ildephonſum de Cuevas & Avalos, Licentiatum D. Petrum de Angulo, Doctorem D. Andream de Luci, Baccalaureum Franciſcum de Requeſia, Capitulares & Sacerdotes, itidem viros eruditos & cordatos, ſalutem fugâ petere cogunt, alios etiam Sacerdotes & ſæculares partim incarcerant, partim relegant, partim in angulis latere compellunt, & populum omnem ſuis deferre fidem invalidis cenſuris & edictis, minis, ſuppliciiſque intentant.

25. His actis ad cauſæ ſententiam illi Fratres Conſervatores in hac cauſa procedunt, declarantes, & publico edicto pronunciantes, Epiſcopum & ſuum Proviſorem Vicarium Generalem, injuriis affeciſſe Religioſos Ieſuitas, in expoſcendo ab eis licentias prædicandi, & audiendi ſæcularium Confeſſiones, & in prohibendo ut, uſque quo eas exhiberent, à Confeſſionibus abſtinerent. Quamvis mihi certiſſimè conſtaret, eos neque meas, neque meorum Anteceſſorum habere licentias.

26. Sententia ita lata, & in publicis Eccleſiarum ſuggeſtis publicata, ad alia atrociora procedunt, minis, præmiis, & aliis artibus ſuadendo Capitularibus, imò & aliquos compellendo, ut Sedem vacantem publicarent, brachio ſæculari ad id implorato, & hoc præſentibus, imò & intra Diœceſim exiſtentibus Epiſcopo proprio, Proviſore, Vicario Generali, non tantùm uno, ſed tribus, & his non obſtantibus declarat Capitulum populo Sedem vacantem eſſe.

27. Jam hoc conſecuti Jeſuitæ, qui hæc omnia ma-

chinati fuerant, juriſdictionem Eccleſiaſticam invadunt, uſurpant, dilacerant, adulterium ſpirituale committunt, nefarium altare contra legitimum altare erigunt, alios Eccleſiaſticos Officiales, Proviſorem, Vicarium Generalem, etiam Vicarium Monialium nominant, & ab Epiſcopo nominatos amovent; & huic Capitulo Sede-vacante-Jeſuitico prædicti Jeſuitæ licentias quaſdam confitendi & prædicandi ab alienis Epiſcopis obtentas (ex quibus quatuor tantùm erant meorum Anteceſſorum) & certa privilegia quæ ad terras infidelium (quales hæ non ſunt) & hæc temporalia & ſuſpenſa & finita, dicto Capitulo exhibent. Et tandem documenta hæc talia qualia, quæ noluerunt legitimo Epiſcopo, & ſuo Vicario Generali exhibere, Capitulo per eos compacto & coadunato nulliter, imò & ſacrilegè, Diœceſim vivente Epiſcopo gubernante, exhibuerunt.

28. Hiſce privilegiis, & aliarum Diœceſium Epiſcoporum licentiis viſis à Capitulo Pſeudo-Sede-vacante, edictum ab eo conficitur, ſecretò tamen ab ipſis Jeſuitis compoſitum, & per omnia Eccleſiarum ſuggeſta divulgatum, in quo omnibus fidelibus intimatur, Jeſuitas Religioſos non egere licentiis Epiſcoporum propriæ Diœceſis, ad Confeſſiones ſæcularium audiendas, propter ſua privilegia; & ſi egerent, eas habere, & Capitulo exhibitas eſſe; & ſi non haberent & ſufficientes non eſſent, eas Capitulum generaliter, etiam ſine examine, concedere libentiſſimè, declarando adeo eſſe doctos Religioſos Jeſuitas, ut nunquam fuiſſet credendum, eos ſine legitimo titulo Confeſſiones ſæcularium audiviſſe. Alia etiam in hoc edicto ſubinferendo, juriſdictioni Epiſcopali, & authoritati Eccleſiæ & Tridentini Concilii, & animarum ſaluti nocentiſſima.

29. Deinde Cenſuras Eccleſiaſticas, à Vicario Generali Epiſcopi contra Conſervatores & Jeſuitas (qui Confeſſiones ſæcularium ſine licentia proprii Paſtoris audiebant) latas delent, auferunt, publicè dilacerant; eas autem quæ contra Epiſcopum proprium, ejuſque Vicarium Generalem nulliter & indebitè, ut à Tua San-

Sanctitate declaratum eſt, latæ fuerant ab intruſis Conſervatoribus, parietibus fixas relinquunt, videntibus & gementibus non tantùm omnibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ amatoribus, ſed populis etiam clamantibus & reclamantibus, qui tot injurias Epiſcopo ſuo amantiſſimo inferri conſpiciebant.

30. Deinde Capitulum hoc Pſeudo-Sede-vacante, contra Epiſcopum erectum, & à Jeſuitis, tanquam ſi eſſent ipſi de corpore Capituli, directum, omnia edicta quæ circa mores & Eccleſiaſticorum & ſæcularium reformationem fuerant ſtabilita, in Epiſcopi odium abrogant.

31. In Eccleſiis, à quibus ego prophanos cibos & commeſſationes prohibueram, iterum ipſi edere & ſic eas polluere permittunt; Clericos, Regulareſque, quos ego ab audiendis ſæcularium Confeſſionibus arcueram, ipſi approbant; honeſtos Sacerdotes, modeſtos, ſpirituales, quos ego præmio affeceram, ipſi ſupplicio afficiunt; Seminariſtas, Collegiorumque meorum cultores, quos ego tanquam Dei Eccleſiæ maximè neceſſarios paterno educabam & inſtruebam affectu, ipſi moleſtant, & etiam de ipſis extinguendis conferunt.

32. Clauſtralibus virginibus, quæ meis monitis, edictis & exhortationibus intra ſuæ profeſſionis ſepta libentiſſimè continebantur, non tantùm permiſſione, quod nefarium eſt, ſed publicis exhortationibus, quod nefandiſſimum, ut ad ſuſpectas collocutiones ſæcularium & Regularium & Clericorum iterum redeant, ſuadent. Et tandem licentias innumerabiles Religioſis adoleſcentibus ad audiendas mulierum Confeſſiones concedunt, & ut de alieno theſauro, de mea Eccleſiaſtica juriſdictione profuſiſſimè prodigant & impendunt.

33. Hæc omnia me, P. B. non latebant, imò ex tuguriolo meo, in quo proſtratus coram Chriſto Crucifixo Domino jacebam, & pro populo gregeque miſerabiliter afflicto profuſis lachrymis efflagitabam, tanquam à ſpecula oves crudeliſſimè diripi, ſponſam

meam amantiſſimam Eccleſiam dilacerari, & impiiſſimè vexari conſpiciens, fractum Paſtoralem baculum, mitram conculcatam, oculis dolentiſſimis intuens, ſuſpiria, gemitus, lamentationes mearum ovium irreparabiliter non minoribus gemitibus & ſuſpiriis exaudiens, etiam ſine armis, etiam ſine viribus, etiam proſtratus, etiam ſolus, divino tantùm auxilio fretus, meum gregem curare non deſtiti.

34. Illic enim tanquam ex carcere, ſi non eodem ſpiritu, ſaltem primitivorum Præſulum exemplo, literis, nunciis, manuſcriptis Paſtoralibus Epiſtolis juvare, ſuadere, conſulere, conſolari ſtudui, ut in fide & charitate permanentes, fortitudine ærumnas, conſtantia tribulationes, patientia perſecutiones ſuperarent, & à Confeſſionibus & prædicationibus eorum, qui Diœceſani Prælati licentias non habebant, abſtinerent, & fugerent, quod pietate divina, non meæ humilitatis & fragilitatis viribus maxima ex parte obtinui, ita ut pauciſſimi fuerint in hiſce innumerabilis multitudinis populis, qui etiam tot incarcerationibus & relegationibus comminati, Religioſis Jeſuitis & aſſertis Conſervatoribus fidem detulerint & adhæſerint.

35. Sed Religioſi iſti, aliàs admodùm docti & perfecti, potentiâ potentiam defendentes, & ex abiſſo ad abiſſum præcipiti curſu prolapſi, tantò plus ira excandeſcentes, quantò populos à ſuo Paſtore divellere non poſſe, imò ipſis Jeſuitis infenſiſſimos eſſe conſpiciebant, judices ſæculares expenſa maxima pecuniarum quantitate conducunt, qui ſub prætextu ſeditionis (antiquum enim eſt, P. B. Eccleſiarum Prælatos, qui in animarum ſalutem incumbunt & Eccleſiaſticam Juriſdictionem propugnant, ſeditioſos vocare, & commoviſſe turbas eis imputare, incipientes à Galilea uſque ad Hieruſalem, & aliis ejuſdem farinæ calumniis exemplo Salvatoris impetere) criminaliſſimum proceſſum contra me ſcribunt, teſtes violentiſſimè cogunt, alios pecunia corrumpunt, alios aliis artibus compellunt; alios attrahunt & alliciunt, ut deponant, & etiam ju-

re

re jurando affirment, me contra Reip. ſalutem, quæ mihi carior ſemper vita extitit, machinatum eſſe, & uno eodemque tempore à ſeptem judicibus (tanta eſt P. B. Jeſuitarum potentia) in mea ipſa Diœceſi, imò & Epiſcopali civitate, ſimul cum grege amantiſſimo ſyndicatus fui, à tribus ſcilicet ſæcularibus, à Vicerege miſſis, à duobus Regularibus, videlicet Conſervatoribus, & ab aliis duobus Eccleſiaſticis Sacerdotibus, & ab ipſa Societate expulſis, Inquiſitionis Commiſſariis, & his ſeptem judicibus, S. P. talibus moribus defœdatis; quos modeſtia tacet, & zelus dolet.

36. Sed Deo infinitas gratias ago, qui ut ſuperbis reſiſtit, humiles & propter ſuam cauſam perſecutionem patientes protegit & defendit; tot enim judicibus, tot teſtibus inter ſe convenientibus, & conſpirantibus, imò & ipſas depoſitiones & acta propalantibus inter ſe & ad eundem finem dirigentibus, dignitate aliquâ mea indignum Epiſcopali, etiam nulliter & violenter minimè probare potuerunt; ſed declarationes vagas vilium hominum coacervarunt, in quibus generaliter aſſerebatur, me maximam ſeditionem excitaſſe, & terribilibus injuriis Jeſuitas affeciſſe, quòd videlicet Confeſſiones audire ſine licentia Epiſcopi prohibuiſſem, ad ordinem Concilii Tridentini & Gregorii XV. Conſtitutionis Decreta ipſos per legitimos tramites redegiſſem.

37. Eluſa ergo proceſſalis formæ perſecutione, P. B. quia Jeſuitæ nihil probabant, neque his facinoribus obtinebant, imò populi magis ac magis ab eis averſi, ipſiſque infenſi pro Paſtore ſuo certabant, & ejus conſiliis & exhortationibus inhærebant, jam ruptis verecundiæ & Religioſæ modeſtiæ vinculis, ad aliam atrociorem formam, me meamque famam, dignitatem, perſonam perſequendi proceſſere.

38. Convocatis enim Scholaſticis ſuis (quos aliâ certè doctrinâ imbuere debuiſſent) prætextu ſolemnitatis S. P. Ignatii, ſui Fundatoris (cujus animam ſanctiſſimam maximè hæc omnia abhorrere & abominari

compertiſſimum eſt) choreas ſceleſtiſſimas (*maſcaras* Hiſpani vocant) conſtituerunt, in quibus in contemptum meæ perſonæ, dignitatiſque & omnium Sacerdotum, qui inter cæteros vita arctiori & honeſtiori fulgebant, & inter hos Procuratorem meum Silverium de Pineda, qui tunc Romæ aderat, & Tua ſanctiſſima præſentia fruebatur, horribilibus larvis ac geſticulationibus, & nefariis aliis modis Epiſcopum, Sacerdotes, ſanctas & venerabiles Moniales, dignitatem Epiſcopalem, imò & Catholicam Religionem, infamarunt, irriſerunt, illuſerunt.

39. Larvati enim, & has perſonas ſacras infami habitu tanquam in ſtatuis per civitatem totam medio diei tempore circumgeſtantes, orationem ſanctiſſimam & devotiſſimam Dominicam ſimulque Angelicam aliis prophanis verbis immixtis turpiſſimè decantantes, has infandas choreas per civitatem prædictam Jeſuitici Scholares circumducentes, & à ſuis propriis domibus educentes, in ſolo Chriſtiano & Catholiciſſimo, gentilicia & hæretica theatralia facinora contra Dei Eccleſiam, ſuoſque Epiſcopos & Sacerdotes, audaciſſimè perpetrarunt.

40. Aliqui enim eorum, P. B. infames cantilenas ſupradictæ Orationi Dominicæ immiſcentes, pro *Libera nos à malo*, quod in fine dicitur, decantabant, ſed *Libera nos à Palafox*, nempe quia ego à malo (quod eſt intra limites ſuæ profeſſionis non contineri) Jeſuitas liberare, & in ordinem redigere conatus ſum. Eodem penè modo ſalutationem Angelicam corrumpentes, maledictis in eundem finem tendentibus deturpabant.

41. Quidam de ipſis, impuris bovis armis ſignando ſe ipſum (quod Ethnicos contra Chriſtianos feciſſe non traditur) cunctis videntibus clamando pronunciabat: Hæc ſunt arma perfecti & veri Chriſtiani, cornua tauri pro cruce ſanctiſſima demonſtrando.

42. Alius autem in altera manu dulciſſimi pueri Jeſu imaginem, in alia impudiciſſimum inſtrumentum

porta-

portabat, piiſſimi nominis & infantiæ Jeſu devotioni illudendo.

43. Alius equi cauda pendentem baculum Paſtoralem portabat, & in ipſis ſtapedis depictâ mitrâ Epiſcopali equitabat, ut conculcatam pedibus exprobraret.

44. Deinde inſolentiſſima carmina, & incredibiliter ſacrilega & ſatyrica contra Clerum & Epiſcopum in populo ſpargebant, gloriantes ſeipſos Jeſuitas Epiſcopum viciſſe & de eo triumphaſſe, ipſi quidem victi, ſuperati, & triumphati à ſua ipſamet impotentiſſima potentia. Plurima etiam epigrammata Hiſpano ſermone ſpectatoribus tradiderunt famæ Paſtoris & Cleri exiſtimationi detrahentia, & inter alia ſequens; quod quia maximè explicat quanto errore teneantur Religioſi Jeſuitæ, quia repagula ſuarum Conſtitutionum rumpentes intra ſua ſepta contineri non valent, hic inſeri B.P. non impertinens judicavi.

Oy con gallardo denuedo
Se opone la Compañia
A la formal heregia.

45. Huc uſque, P. B. potuit ſpiritualis iſta obcæcatio mentis procedere; cùm enim ego defenderim S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, Decreta Pontificia, ſalutem animarum, hæc omnia quia eos ligant & arctant, hæretica eſſe populis Jeſuitæ ſuadent & ſuggerunt. Expugnare autem Conſtitutiones Apoſtolicas, Decreta œcumenici Concilii Tridentini contemnere, Pontificias deciſiones evertere, Diœceſim invadere, Epiſcopum à ſua Sede manu ſæculari detrudere, non ſolùm injuriis ſed etiam armis impetere, irridendoque & illudendo non tantùm Epiſcopum, ſed etiam Clerum & Religionem Chriſtianam maledictis infamare, hoc Catholicum, ſanctum, juridicum eſſe docent.

46. Conſervatores interim non aliis artibus, aut decentiori formâ Pontificiam dignitatem, quâ ſe jactabant

bant exornatos, deturpabant: cùm enim honeſtis moribus, cordatis verbis, inceſſu in omnibus religioſo eam aliquo modo repræſentare deberent, comediis & publicis comeſſationibus, alearum ludis, mulierum impudicarum choreis, & muſicis intereſſendo, & aliis luxuriæ inhoneſtis oblectationibus, qui ſe in edictis Apoſtolicam perſonam repræſentare & Apoſtolica dignitate fulgere jactabant, non ſanctiſſimorum Pontificum virtutes, vitæque candorem imitantes, ſed perditorum hominum vitiis perſonatam & fictam Pontificis ſummi dignitatem & imaginem defœdarunt, hanc etiam non contemnendam notam & injuriam Sedi Apoſtolicæ ſubinferentes, ita ut de ea talia poſſint exiſtimari; dignitas enim ſacra & Apoſtolica non ſolùm verè, ſed etiam fictè aut invalidè aut nulliter repræſentata, cum decore & authoritate, & virtutibus, oculis fidelium, præcipuè Neophytorum, in his partibus remotiſſimis proponenda eſt.

47. Tranſactis jam ferè quatuor menſibus, quibus hæc omnia Jeſuitæ Religioſi non admodùm religioſè ſupra dorſum meum fabricavere: ecce in portu Claſſis Regia ab Hiſpania adventaverat, & in ea mandata, quibus continebatur ut Comes de Salvatierra Prorex (qui Religioſos Jeſuitas cæco nutu fovebat, ab eiſque Regni gubernator etiam in propria Jeſuitarum cauſa gubernabatur) in Americam Meridionalem tranſiret, Epiſcopo Lucatanenſi à Rege Catholico aſſignato ſucceſſore, & hoc interim dum mittitur judex, qui de primis ad Tuam Sanctitatem delatis facinoribus contra meam dignitatem cognoſceret: hæc enim poſteriora nondum Regi & ſuo Regali Indiarum Conſilio propter temporis anguſtias innotuerant.

48. Hoc Nuncio allato, aliquo modo perſecutionis hujus rabies temperata eſt, & cùm jam intra Regnum Epiſcopus Lucatanenſis exiſteret: quamvis certis de cauſis à Comite Prorege Regni gubernacula minimè traderentur, mihi tamen jam tempus adeſſe in meam amantiſſimam Eccleſiam iterum redeundi, & quos filios abſens Epiſtolis ſecretis conſolabar, præſens exhilarandos exiſtimavi.

49. Quod

49. Quod cùm ſtatuiſſem, ſcribens priùs Proregi & Auditoribus Regiis, qui duabus diætis à mea Diœceſi diſtant, & non ignorans adverſariorum meorum delationes & artes, quibus etiam ſancta & perfecta ſiniſtrè admodùm interpretantur, ne lætitiam iſtam & hilaritatem populi honeſtiſſimam, tanquam ſeditionem incuſarent, & in ſcandalum publicum verterent, in mediο noctis ſilentio Epiſcopale meum palatium intravi. Quod ſentientes populi, qui ſuum conſpicere Paſtorem, tot lachrymis quæſitum & expectatum, ardentiſſimè deſiderabant, ad me ſummo mane convolant, fractis etiam portarum repagulis, Epiſcopum ſuum amplexantur; lachrymis profuſis proclamant, ſalutant, plaudunt, exoſculantur, & per quatuor dies continuos copiam mei faciens, pluſquam ſex millia hominum, mulierum, infantium, qui ad me palatiumque meum concurrêre, conſolatus ſum.

50. Patres verò Jeſuitæ, qui tam præcipiti curſu ad me adventare populum maximo animi dolore conſpiciunt, videntes nihil proficere, quia totus mundus vadit poſt eum, iterum atque iterum aliis & atrocioribus criminationibus in me meamque dignitatem inſurgunt.

51. Iterum enim Viceregem Comitem adeunt, ſuadent, clamant, incendunt, affirmantes hunc concurſum populorum ſeditionem eſſe, Regnum omne mihi pacis publicæ inimico adhærere, meo adventu exultare, & quid ſupereſt niſi ſolum Regnum? Ideòque Cathedralem meam Sedem, juriſdictionemque Eccleſiaſticam, quâ me præſumpti Conſervatores expoliaverunt, mihi tradere & reſtituere, Regi Regnoque nocentiſſimum eſſe futurum.

52. Hiſce artibus & calumniis Epiſtolas à Vicerege obtinent, quibus intimatur Capitulo Pſeudo-Sede-vacante à Jeſuitis machinato, ut proprio Paſtori juriſdictionem uſurpatam minimè concederent, nec reſtituerent. Quo non obſtante major & ſanior Capitularium pars, quæ jam ab exilio redierat, obedientiam mihi debitam præbuit; alia minori, quæ Jeſuitis inhæ-

hærebat, proprio Epiſcopo reſiſtente.

53. Iterum ergo, P. B. anguſtiæ, iterum ſchiſma, iterum aquæ tribulationum intraverunt uſque ad animam meam: populus enim pro Epiſcopo, Prorex Comes pro Jeſuitis ſtabat. Cùm ergo viri iſti Religioſi ſemper inſtarent, ne me Diœceſim meam gubernare Prorex permitteret, niſi porrectâ manu de nihil innovando in cauſa Jeſuitarum; conſiderans ego & mecum perpendens, imò viros doctos & cordatos conſulens, aliquando neceſſarium eſſe, membrum putridum pro toto corpore offerre, & aliqua etiam (aliàs non tolerabilia) permitti, & tolerari debere, ut non ſcandalizemus, ſicut Dominus Petro, cùm tributum ab eo poſceretur, dixit, diſciplinam etiam Eccleſiaſticam diſſipatam intuens, Monialium conventus, quos ego reformatos reliqueram, relaxatos, Clerum, quem ego tranquilliſſimum, & virtutibus admodum præditum, jam cenſura & juriſdictione Eccleſiaſticâ laxatâ, non eo quo decebat ordine & honore florere, & tandem tali ſchiſmate gubernatam Diœceſim, ut neque legitime Sacramenta miniſtrarentur, neque ſententiæ Eccleſiaſticæ ritè ferrentur, neque quidquam per ſuos tramites directum eſſe videretur, tandem, pro publica pace (certis factis priùs juridicè proteſtationibus ſuper præmiſſa, & à Conſervatoribus perpetrata) quouſque à Tua Sanctitate materia hæc dirimeretur, de non innovando promiſi.

54. Quo facto intra paucos menſes iterum alia navis ab Hiſpania pervenit, in qua Literæ Regiæ ſunt delatæ ſuper hac cauſa, quibus expreſſè Comiti Viceregi jubebatur, ut officium deponeret, & provinciâ excederet, Epiſcopus Lucatanenſis gubernaret, graviſſimâ etiam increpatione ſuperadditâ Proregi, quòd Jeſuitis contra ipſas etiam leges Regias adeò impotenter & ſine delectu & judicio, in cauſa injuſtiſſima, pro eorum arbitrio auxiliatus fuiſſet, mihique Miniſtro Regio, Conſilii Indiarum Decano & Epiſcopo, & paulò antè Proregi, in ſalutem animarum incumbenti, tot & tanta incommoda tribulationeſque intuliſſet. Eodem modo & majori ſeveritate Rex Catholiciſſimus & Clemen-

mentiſſimus meus, Conſervatores præſumptos, & Provinciales Dominicanorum & Jeſuitarum, qui hæc omnia fuerant machinati, increpavit, & nullitatem omnium, quæ à Comite Prorege in favorem Jeſuitarum facta ſunt, declaravit, & hoc nondum ei patentibus poſterioribus eorum facinoribus.

55. Sed Jeſuitæ, qui non pro fide aut veritate, ſed pro ſua in populis exiſtimatione decertabant, neque his Decretis Regiis ſchedulisque aſſenſerunt, imò neque eas accepiſſe fateri voluerunt, ſed contrarium divulgantes, toto eo tempore, quo Prorex Comes Regni gubernacula retinebat, hæc omnia occultarunt, populis ſuadentes, fictis etiam Epiſtolis evulgatis, ſe viciſſe, ſuperaſſe, triumphaſſe, & ita quos ipſi deceperunt, in ſuis erroribus conſervabant.

56. Verùm poſtquam Epiſcopus Lucutanenſis Regni gubernationem ſuſcepit, jam aliquo modo clarior veritas (etſi aliquantulum à Jeſuitis ſuppreſſa) fulgentior juſtitia, efficaciora mandata Regis omnibus extitere, & ego mea juriſdictione Eccleſiaſtica jam in libertatem vindicata, fragmenta laceratæ tunicæ Petri, juriſdictionem diſciplinamque relaxatam, fractum Paſtoralem baculum, mitram conculcatam, ſponſalem annulum à digito evulſum, non ſine lachrymis & ingenti dolore talia videns conſpicienſque, recuperavi, recollegi, conſolidavi, erexi, & vulneratæ dignitatis plagas, quomodo licuit, curavi.

57. Plurimos enim ſubditos meos, tam Eccleſiaſticos quàm ſæculares, qui conſtanter paſſi ſunt, laudavi, imò & aliquos præmio affeci: qui autem animi potiùs fragilitate quàm malignitate deliquerant, in ipſis quidem mihi omnibus fragiliori parcendo, eos abſolvi, alios verò qui cupiditate vehementi, aut ambitione inordinata, aut Paſtoris odio, aut in ſæcularem poteſtatem adulatione & propenſione agitati, contra mitram conſpiraverant, correctos, ſed non ſine Eccleſiaſtica moderatione, emendatos dimiſi.

58. Quoſdam verò, qui pecuniâ Jeſuiticâ corrupt contumaciſſimè ſuos errores defendebant, & nocentiſſima

ſima hujus Eccleſiaſticæ ſeditionis & ſchiſmatis capita, etiam ſe de hoc ſcelere gloriando, extitere, & neque ipſum, vocati, imò rogati à proprio Paſtore ut in viam veritatis redirent, recognoſcere voluerunt, ſed ex domibus Jeſuitarum, quò refugerant, plurima maledicta in me & in meam dignitatem jaciebant (facto priùs juridicè per abſentiam proceſſu & legitimè concluſo) Canonicis Conſtitutionibus & Sacris Apoſtolicis Decretis, & eorum deciſione ſubnixus, per meum Proviſorem, Epiſcopum electum de Honduras, eos pœnis cenſuriſque ſubjeci.

59. Deinde voce, epiſtolis, edictis, concionibus, quantum mea fragilitas valuit, priſtinos ſtatus animabus reſtitui procuravi, & hoc quantum attinet ad ſubditos meos, tàm Eccleſiaſticos quàm ſæculares.

60. Verùm quoad Regulares exemptos, Conſervatores ſcilicet & Jeſuitas, & qui eis adhæſerant, nihil profui, imò & poſt Tuæ Sanctitatis Breve 16. Maji anno iſto 1648. expeditum, mihi per Doctorem Silverium de Pineda delatum, ipſis intimatum, poſt ipſas etiam Regales declarationes; quæ in Claſſi Regia per menſem Septembris in portum appulere, notificatas, ſemper, ut inferiùs dicam, in ſuo errore Jeſuitæ verſantur; & vinculis excommunicationis innodati, irregulares & ſuſpenſi publicè celebrant.

61. His enim Pontificiis, Regalibuſque Decretis reſpondent Religioſi Jeſuitæ, Breve ſcilicet Sanctitatis Tuæ hac ſuper cauſa expeditum Romæ 16. Maji anno 1648. viribus eſſe evacuatum. Primò quòd ab Indiarum Conſilio minimè approbatum ſit; & hæc allegant, quamvis Decretis, ſchedulisque Regiis contrarium ſtatutum ſit. Brevia enim, quæ cum citatione partium, & in contradictorio judicio in Romana Curia obtinentur, patefieri Indiarum Conſilio minimè jubentur, ſed tantùm ea quæ ad Patronatum pertinent, ut ſi quid ſubreptivè contra conceſſa à Tua Pontificùmque Anteceſſorum Tuorum benignitate, beneficentiſſimè Catholicæ Hiſpaniæ Coronæ fuerit impetratum, Catholiciſſimi & piiſſimi Regis & Eccleſiæ Romanæ pri-

primogeniti, precibus exauditis, à Tua benevolentia reformetur.

62. Ideoque à Religioſis Jeſuitis præſens interrogavi & interpellavi, utrùm verba illa, *Paſce oves meas*, à Domino in Tiberiadis litore Petro pronunciata, à Senatu Regio fuerunt approbata? an oratio Dominica? an Angelica ſalutatio? an fidei articuli? an Apoſtolorum Symbolum? an ipſa fides Catholica & Romana talibus decretis in quocumque articulo indigeat?

63. Ego enim, qui per viginti annos Catholiciſſimo Domino meo in ſuis Regiis Conſiliis inſervivi, ejus mentem religioſiſſimam callens, & miram in Sedem Apoſtolicam obſervantiam, imò uſque ad ſanguinis effuſionem contra Infideles, Hæreticos & Schiſmaticos, pro Petri Cathedra defendenda conſtantiam expertus, omnia ea quæ ad fidem pertinent, & quæ Religionem Catholicam augent, & quæ animos ad æterna dirigunt, & quæ Sacramenta ſtatuunt, & quæ optimum adminiſtrandi ordinem introducunt ac tuentur, & denique quæ mala vitant, aut bona juvant, à Rege piiſſimo & religioſiſſimo, & ab Indiarum Senatoribus doctiſſimis ac integerrimis, non tantùm approbari, ſed etiam voce, legibus, pecuniis, viribuſque omnibus juvari & commendari compertiſſimum habeo.

64. Secundò contra idem Breve Tuæ Sanctitatis affirmant Jeſuitæ ſua privilegia conceſſa eſſe à Sede Apoſtolica propter merita, & in contractus tranſiſſe; & ideo pacta vocari potiùs quàm privilegia, cujus cauſa à Tua Beatitudine revocari non poſſe.

65. Tertiò, quod huic proximum eſt, quia clauſulam habent, ut quamvis de verbo ad verbum derogentur, non poſſint revocari, & ideo neque à Tua Sanctitate, ut Paulus V. in ſuo privilegio ſtatuit, quod incipit, *Quantum Religio*.

66. Quartò tandem, quia Tuæ Sanctitatis Apoſtolicæ Litteræ ſuper hac cauſa expeditæ, & Sanctiſſimorum Pontificum Gregorii XV. & Urbani VIII. Conſtitutiones, de quibus in eis mentio fit, non ſunt ab Eccleſia admiſſæ, neque conſuetudini traditæ, & leges quæ non

ad-

admittuntur, pro legibus non computari, & hæc Jeſuitæ contra tuas Litteras, S. P. proferunt, & totis viribus defendere nituntur.

67. Verùm iſte quidem Conſtitutionum Apoſtolicarum & privilegiorum interpretandi Jeſuitarum modus, non tantùm negotio ipſo ingratus & moleſtus eſt, ſed etiam doctrinæ fidei & Apoſtolicæ Sedis auctoritati & dignitati moleſtiſſimus & nocentiſſimus. Nam hâc interpretatione auctoritas & poteſtas Pontificum infringitur, Eccleſiæ gubernatio turbatur, & omne ſacræ juriſdictionis robur & dignitas debilitatur, &, quod nefarium eſt, omnes pene à Sede Apoſtolica Conſtitutiones, quæ quotidie magno Reipublicæ Chriſtianæ commodo ſtatuuntur & divulgantur, ad inanem & quandam vanam & umbratilem legum formam rediguntur.

68. Pontificia ſiquidem poteſtas non tantùm coarctatur, ſed minuitur, ſi Urbano VIII. minor ſit auctoritas ad revocandum quod ipſi videbitur univerſalis Eccleſiæ commodo & Religionis augmento utile revocari, eâ poteſtate quæ Paulo V. fuit ad ſtatuendum.

69. Nam ſi Pontificibus poſterioribus non licet reformare quæ ab Anteceſſoribus ſanctiſſimè conſtituta, tractu temporis, propter varias humanarum rerum viciſſitudines & cauſas, reformatione, vel mutatione indigeant, & quæ ipſi, ſi viverent, reformarent, poſterior quidem Pontifex erit minor dignitate, auctoritate & poteſtate anteriori, & orbata videbitur Eccleſia, circa ea quæ remediis indigent, capite univerſali, & judice controverſiarum ſupremo: & non tam Pontifices ſummi, fidei directores & judices, quàm Anteceſſorum legum Conſtitutionumque vocabuntur executores: quod aſſerere nefandiſſimum eſt.

70. Leges enim condere, revocare, edere, temperare, & ad ſuam obſervantiam populos & Eccleſiaſticos ordines compellere, cuicunque Vicario Chriſti Domini Romano Pontifici æqualiter competit ſine limitatione aliqua, ſalvâ ſolùm naturali lege & Divinâ,
quod

quod nemo Catholicus hucuſque negavit. Et præcipuè hoc eſſe certiſſimum inconveniens conſtat, cum omnium ferè ſive Cleri, ſive Cathedralium, ſive piorum locorum, ſive Regularium privilegia clauſulis eiſdem Jeſuitarum privilegiorum fulciantur, & propter propria merita concedantur, & ita in nullo eorum Pontifices quid immutare poſſe dicendum eſſet.

71. Quod quidem abſurdiſſimum eſt, nam ſemper in omnibus Apoſtolicis mandatis, Conſtitutionibus & privilegiis clauſula hæc tacita, ſecreta & nunquam moritura viget, quæ omnibus aliis fortiùs influere neminem etiam modicè eruditum latet, videlicet, ſalvâ ſemper in omnibus ſupremâ Apoſtolicæ Sedis auctoritate, & majori Eccleſiæ univerſalis utilitate, quæ in ſtatuendis, erigendis, derogandis privilegiis & Conſtitutionibus præeminet.

72. In ultimo autem Jeſuitarum fundamento, aſſerere acceptas non eſſe ab Eccleſia, id eſt ab eis, (ita ego intelligo) has Apoſtolicas Conſtitutiones, nempè quia ipſorum adverſantur privilegiis (ſi enim non adverſarentur, abſque dubio acceptarentur ab eis) audaciorem eſſe iſtam interpretandi methodum, quàm à Tua Apoſtolica auctoritate tolerari poſſit, Innocenti ſanctiſſime, exiſtimo.

73. Quamvis enim verum ſit, leges univerſales aliquorum populorum aſſenſu, ut obligent, indigere, præcipuè quando ſuperiorum præcepta non urgent, neque eorum ſecundis juſſionibus repugnant, vel deſidia corrigitur ſubditorum, tamen hâc juris Regulâ omnes & ſingulas, & eas quæ in contradictorio judicio latæ ſunt, Apoſtolicas Conſtitutiones, vel quæ circa Sacramenta, vel fidem, à Pontificibus Romanis ſtatuuntur, vel quæ circa adminiſtrationem Sacramentorum aſſerunt juriſdictionem vel auferunt, interpretari, & à ſubditorum voluntate, aut ab eorum arbitrio Eccleſiaſticarum legum firmitatem pendere, &, ſi nolint eas acceptare, minimè obligare, aſſerere, Eccleſiæ univerſali perniciofiſſimum eſſe quis non videt?

74. Si enim à voluntate pendet ſubditorum, Conſtitu-

ſtitutionum robur & validitas, vana eſt & nulla ſuperiorum quidem poteſtas. Et ſi Jeſuitæ nobis neceſſarii ſunt, ut ſua privilegia, ab Apoſtolica Sede conceſſa, vel declarentur, vel moderentur, vel revocentur, & ſine eis Apoſtolica auctoritas non tenet, certè nunquam, B. P. quietem habebimus, ſed in his diſſenſionum fluctibus jactabimur.

75. Ideò hæc Jeſuitarum opinio, B. P. iſtaque inſpiratio vel illuminatio, & interpretandi Apoſtolicas Conſtitutiones methodus, quia Apoſtolica quidem non eſt, Apoſtolicâ indiget virgâ cenſoriâ; nihil enim Apoſtolicæ Sedis obſervantiæ, obedientiæ & reverentiæ ſapit, & hoc cùm pluries dixerint mihi Jeſuitæ, in conferentiis ſuper hac cauſa mecum habitis, pluries etiam, ut debui, facie ad faciem reſtiti; ipſi tamen in eadem ſententia opinionibuſque verſantur, & quamvis ſcriptis & typis edere non audent, tamen eis Jeſuitæ opinionibus vivunt, & ſua privilegia jam emortua, etiam in ipſis funeribus rediviva eſſe contendunt, & iis jam finitis & revocatis, cum maxima animarum pernicie, in foro interiori utuntur.

76. Ergo Patres Jeſuitæ, jam rejectis Sanctitatis Tuæ decretis, non reverentiùs Regias declarationes ſuſceperunt: nam cùm in eis religioſiſſimus Rex, ſuuſque ampliſſimus Senatus, idem quod Tua Sanctitas nobis Epiſcopis, & Regularibus, Audientiæ Mexicanæ declaraſſet, ſcilicet Conſervatores in hoc caſu creari non debere, neque prætextu injuriarum Epiſcopum ejuſque Proviſorem, cleros & populos moleſtari potuiſſe, neque Audientiâ Regali recuſatâ à Jeſuitis Religioſis Proregi adeò impotenter & cæco nutu eis auxiliari licuiſſe; intimatis ſchedulis reſponderunt Jeſuitæ, nihil hoc Regale decretum cauſæ ſuæ obeſſe: Laici enim cùm ſint, tam Senatus quàm Catholicus Rex, de cauſis ſpiritualibus cognoſcere non potuiſſe.

77. Itaque quando Prorex Comes de Salvatierra pro ipſis declaravit in ſpiritualibus Conſervatores Jeſuiticos legitimè procedere, & validè Eccleſiaſticam juriſdictionem invadere, & opprimere, & Jeſuitas ad exhibendas licen-

licentias confitendi & prædicandi non teneri, & injuriis à Proviſore affectos, quia ab audiendis confeſſionibus abſtinere eis juſſerat: tunc licet laïco judici Proregi, tanquàm ſi eſſet Pontifex, vel tanquam Legatus Apoſtolicæ Sedis, de ſpiritualibus judicare, & Epiſcopos incarcerare; & Sacerdotes relegare, & alia quæ ſuprà dicta ſunt perpetrare. Quando autem Rex, Senatuſque ejus, ab ipſis Religioſis invocatus, contrarium declarat, & perperam feciſſe Miniſtros ſæculares in auxiliando Conſervatoribus pronunciat, laïcus eſt Senatus, laïcus eſt Rex, controverſia eſt ſpiritualis.

78. Cùm certiſſimum ſit, Pater Beatiſſime, quòd quamvis de ſpiritualibus non liceat laïcis, etiam ſupremis Conſiliis ſæcularibus, judicare, imò ſi ipſi ſibi deferant jus poteſtatemque declarandi Eccleſiaſticas & ſpirituales controverſias, tanquam judices earum legitimi & ſupremi, nefandiſſimum ſit: tamen declarare & interpretari Apoſtolicas Conſtitutiones, id eſt, jubere & imperare ſuis Miniſtris & Audientiis Regalibus, ut Conſtitutiones Apoſtolicas protegant & defendant, auxilientur & coadjuvent, & ſecundùm ipſas judicent, & contra Eccleſiaſtica decreta Regulares agere non permittant, & Epiſcopos adjuvent, non tantùm Eccleſiæ non nocens, imò Eccleſiæ utiliſſimum & neceſſarium eſſe nemo eſt qui ignoret. Quis enim negabit, brachio ſiniſtro ſæculari ſpirituale dexterum adjuvandum eſſe; & utroque connexo, & in unum tendente, Dei ordinationem, id eſt, Eccleſiaſticam juriſdictionem, Pontificiam & Epiſcopalem, protegendam eſſe?

79. Soluti ergo jam in ſuo ipſo judicio à Pontificia juriſdictione, & Regia poteſtate Jeſuitæ, & omni ſive ſpirituali ſive temporali juriſdictione ſuperiores, neſcio quo fine libellum mihi porrigunt, in quo proteſtantur, ſe neque per Pontificia decreta, neque per Regia mandata, ſed pro mea tantùm ordinaria juriſdictione licentias confitendi, per duos pene annos à me expoſtulatas, ab ipſis denegatas exhibere velle, & ſi iſtæ non eſſent ſufficientes, à me expoſtulaturos confitendi facultatem,

ſemper tamen inſiſtentes (etiam intimato Brevi Tuæ Sanctitatis, quo contrarium cavetur) licere ſibi confeſſiones ſæcularium audire ſine licentia proprii Epiſcopi in vim ſuorum privilegiorum.

80. Libellum porrectum accepi, non ſine magna admiratione, Jeſuitas juriſdictioni majori, id eſt, Pontificiæ, meam juriſdictionem, quæ illius rivulus quidam eſt, anteferre: & poſt tot pericula, controverſias, difficulates, ſcandala, ad Tuam Sanctitatem recurſus, nunc tandem facere, quod primâ die ab ipſis faciendum fuerat: & adhuc intimato Brevi Sanctitatis Tuæ, non Tuæ ſupremæ juriſdictioni, ſed meæ, ſubmitti velle.

81. Verùm cùm mihi pateret, eos ſine licentia prædicare & confeſſiones ſæcularium audire, enixè conſiderans, ut aliquo modo hoc ſchiſma Eccleſiaſticum tolleretur, licentias accepi, & quas à meis Anteceſſoribus conceſſas inveni, quæ pauciſſimæ erant, approbavi, & Religioſis ſenioribus & doctioribus facultatem audiendi confeſſiones ſæcularium ſine examine præbui, juvenes autem & mihi non cognitos, ut à Synodalibus examinarentur, remiſi.

82. Hoc facto, P. S. iterum aliam litem Religioſi Jeſuitæ inſtaurant, affirmantes graviſſimum & duriſſimum eſſe, Religioſos ſuos, quicumque ſint, ſive juvenes, ſive ſenes hi fuerint, ſive à me cogniti, ſive non cogniti, ſive docti, ſive indocti, examini Synodalium exponi, ideòque nolle ipſorum cenſuræ ſubjici, & in hoc hodie hæremus, imò & in iſto inquieto diſcordiarum pelago fluctuamus.

83. Ita ergo jam prolixâ admodùm narratione Tuæ Sanctitati patebit, Pater Beatiſſime, impunita eſſe maxima Chriſtianæ Reipublicæ ſcandala, tot facinora contra Tuam Sanctitatem, Apoſtolicam dignitatem, & Eccleſiaſticam juriſdictionem, & contra ſacras cenſuras, leges, decreta, & alia ab his Regularibus perpetrata, confitendo & prædicando per annum integrum, non ſolùm invito, ſed contradicente Epiſcopo, ſuſpenſi & irregulares ſacrum celebrando, Epiſcopos duos, Dio-

Dioceſanum ſcilicet, & ejus Vicarium, nulliter & indebitè excommunicando, Sacerdotes & Capitulares & Epiſcopum electum de Honduras carceri mandando, Angelipolitanum à propria ſede prædictis ſceleribus detrudendo, & omnem poteſtatem, etiam Pontificiam, in hoc caſu negando, cæteraque quæ ſuprà ſcripta ſunt, ſuaviori quidem & leniori ſtylo quàm ipſamet.

84. Sed quò mea hæc oratio tendit, Innocenti Sanctiſſime, Jeſu Chriſti Filii Dei Vicari univerſalis, Paſtor ſupreme, controverſiarum Eccleſiæ Judex integerrime, communis omnium dulciſſime Pater? Num juſtitiam contra Jeſuitas expoſcam? Abſit, ut quod Ananiæ & Saphiræ, qui Pontificali ſpiritu Petri & verbis tanquam gladio ancipiti percuſſi cecidere, Jeſuitis expoſcam. Fratres ſunt, Religioſi ſunt, viri de Eccleſia benè meriti ſunt; ſi plurimi eorum peccaverunt, non pauci eorum peccata plorabant, aliorumque geſta abhorrebant.

85. Num expoſcam mihi, aut de tribulatione laudem, aut de offenſis ſatisfactionem, aut de criminationibus calumniiſque vindictam? Abſit, P.B. ut temporalibus ſpiritualia compenſari deſiderem, & de eo quod pro Domino Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, ejuſque amore & pro animabus quas redemit, & pro juriſdictione Eccleſiaſtica quam proprio ſanguine ſtabilivit, & pro meis etiam ſceleribus libentiſſimè paſſus ſum, aliquid humani commodi, aut honoris, aut laudis aucupari velim.

86. Utinam, P. B. pro tali cauſa Epiſcopali, rocchetto proprio ſanguine purpurato contigiſſet occumbere, & non ſudore, ſed cruore cauſam juſtiſſimam ejus defendiſſem, qui meam totiuſque generis humani defendit proprio cruore! Quis enim vulnera illata non libentiſſimè pro eo ſuſcipiet, qui illius ſanctiſſima vulnera videt, qui pro nobis in cruce pependit? Et ſi vita neceſſariò amittenda eſt, pro qua glorioſiori cauſa impendenda, quàm pro ſalute commendatarum ſibi animarum? quàm pro Conſtitutionibus Apoſtolicis, pro

Eccleſiæ oſſibus, Sacramentis defendendis, eorum legitima adminiſtratione?

87. Num ergo aliquorum qui mihi infenſiſſimi fuerunt, & tot opprobria, delationes, injurias, publicos libellos ſparſerunt & divulgarunt, imò etiam vitam, honorem, famam meam pedibus conculcarunt, peto ſupplicium? Minimè, S. P. imò illis libentiſſimè parco, majora meis culpis debentur; ſi flagellum fuit meis ſceleribus illatum, à Divina juſtitia clementiſſimè illatum fuiſſe cognoſco; ſi probatio aut tentatio fidei, aut Epiſcopalis conſtantiæ & integritatis, in cruce Domini mei glorior, hanc amplector, hanc in ipſis meis tribulationibus adoro, ipſa quæ mihi crux, ipſa mihi præmium eſt.

88. Solùm ergo, B. P. dignitati, baculo, mitræque condignam ſatisfactionem, quæ tibi videbitur æqua, & ipſis Religioſis Jeſuitis, eorum ſanctiſſimæ Societati ſanctiſſimam, certè quâ indigent, Reformationem ab integritate ſapientiaque tua, Innocenti Beatiſſime, expoſco.

89. Utinam plura eſſem paſſus, dummodo eorum occaſione & baculo Paſtorali integritas & auctoritas, & ſanctiſſimæ huic Religioni primitivus caritatis ardor reſtitueretur! Ideo hæc atrociſſima in viris profeſſione ſpiritualibus permiſiſſe Dominum piè credere debemus: neque enim, ut ait Auguſtinus, omnipotens & miſericos Deus, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet bonus, ut benefaceret etiam de malo.

90. Oportet ut ſcandala veniant, P. B. dixit Dominus Jeſus, ut ſcandalis ad optimas leges Eccleſiaſticas evulgandas, & optimè jam editas promovendas, fulciendas, defendendas animus tuus zelo divino agitatus, Innocenti Sanctiſſime, excitetur, & Eccleſia clarioribus Tuæ doctrinæ radiis illuſtrata reſplendeat: aliquando etiam ex horrido ore leonis favus elicitur dulciſſimus reformationis, & excommunicationes & pontificalia flagella à Sede Apoſtolica jaculata & inflicta, quando alios feriunt, alios illuminant, ſicut calor Solis illu-

illuminando urit, & urendo ſplendet.

91. Quis enim, P. B. eâ integritate quâ decet, & perfectâ honeſtâque diſciplinâ proprias oves & Diœceſim moderari audebit, ſi etiam juſtiſſima & ſanctiſſima à Jeſuitis in dubium revocentur, & ſi cum eis lis fuerit exorta, aut vita fundenda, aut baculus Epiſcopalis dimittendus eſt?

92. Quis, P. B. dignitate mitrâque conculcatâ virtutes erigere promovereque poteſt? Quis baculo fracto vitia compeſcere, lupos arcere, oves defendere, paſcere, ſervare, ad æterna dirigere? Illuditur enim præceptum jubentis, ſi evacuata ſit viribus juriſdictio dominantis, & ab ovibus ſpernitur Paſtor, ſi baculus Paſtoralis coram ipſis ovibus audacter confringitur, neque qualis debeatur Paſtori paſtorum honor & obedientia conſtabit, ſi Paſtores ipſos irriſos, illuſos, ſpretos grex ipſe conſpexerit. Imò contemptis membris & caput deſpicitur, & tota corporis myſtici militantis Eccleſiæ diſciplina diſſolvitur.

93. Ideo neceſſe eſt, B. P. ut alter duorum Conſervatorum (alter enim ſine ſacramentis, ſine abſolutione, ſine luce, ſine duce, ſine cruce, ut accidit ſchiſmaticis, ſine vita, in lecto ipſo excommunicatus & irregularis fuit intra annum miſere inventus) & alii aliqui Religioſi, qui dignitatem Eccleſiaſticam & Eccleſiæ cenſuras admodum contempſere, publicè à proprio Epiſcopo, ubicumque is fuerit, abſolvantur, idque omnibus pateat.

94. Et de cætero, S. P. à Tua ſumma prudentia & ſapientia ſtatuatur, ut minimè liceat Regularibus ſeipſos contra Epiſcopum Conſervatores eligere, & in propria aut communi cauſa ſibi ipſis judicium agere, & ſententiam proferre, præſertim cùm in iſtis Indiis Occidentalibus tot ſint dignitates Eccleſiaſticæ ſæculares, quæ, ubi non ſunt Synodales judices, hoc munus poterunt exercere.

95. Neque liceat Conſervatoribus, quicumque hi fuerint, etiam legitime aſſignatis, Epiſcopos excommunicare, neque incarcerare, & plebes populoſque

Chriſtianos orphanos acephaloſque relinquere. Nunquam enim in tot ſæculorum curriculis, qui ab Apoſtolorum temporibus proceſſere, Epiſcopi incarcerati ſunt, niſi vel à Tua Sanctiſſima dignitate, quam veneramur ſuperiorem judicem & matrem, vel à manu hæretica, vel gentilitia, vel ſchiſmatica, Eccleſiam ipſam in ipſis Eccleſiæ Ducibus & Epiſcopis tanquam membris ſuis perſequente. Si enim Epiſcopi à Religioſis Conſervatoribus excommunicari & incarcerari poſſunt, de tota Eccleſiaſtica diſciplina, P. S. actum eſſe non dubito.

96. Acriora aut duriora, P. S. contra ipſos minimè expoſco, imò pro eis pedibus Tuæ Sanctitatis provolutus quàm humillimè & inſtantiſſimè deprecor.

97. Quoad ſecundam autem poſtulationem, S. P. quam neceſſitate propriæque ſtimulo conſcientiæ compulſus Tuæ Beatitudini propono, videlicet ut aliquâ moderatione non levi Societas Jeſu, mihi amantiſſima Religio, intra terminos contineatur.

98. Teſtor & proteſtor Sanctiſſimæ & individuæ Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, tribus in ſingularitate perſonis, uni in ſubſtantia Deo, & Deiparæ ſemper Virgini Mariæ, & Beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principi, & Coapoſtolo ejus Paulo, & omnibus Eccleſiæ triumphantis beatiſſimis Spiritibus, & Angelorum Ordinibus, & Tibi veræ Jeſu Chriſti Domini noſtri imagini, ſupremo Chriſti Vicario, Petri ſucceſſori, optime & ſanctiſtime Innocenti, quidquid in hac epiſtola, vel ſupplici libello hinc indè uſque ad finem ipſius à mea humilitate dictum fuerit & prolatum, non alio fine vel intentione proferre velle, niſi propter majus Chriſtianæ Religionis augmentum, puriorem fidei propagationem, infidelium ſecuriorem & efficaciorem converſionem, Religioſorum Jeſuitarum majorem profectum & utilitatem, & ut quàm plurima mala, quæ hodie in Eccleſia pullulant, & deinde imminent, à Tua Sanctitate & prudentia vitentur, aut præcaveantur. Et itidem proteſtor, quòd totis meis viſceri-

ribus Dominum meum Jeſum Chriſtum deprecatus ſum, & iterum deprecor, ut ſi hæc epiſtola in his omnibus quæ ſuprà dicta ſunt, & infrà dicentur, ad gloriam Dei non tendat, neque dirigatur, ad Tuas beatiſſimas manus non perveniat, & ſi pervenerit, parvifacias. Verùm ſi hæc omnia quæ in his litteris continentur, Tuæ ſapientiæ remedio indigere, & maximum Reipublicæ Chriſtianæ non moderata nocumentum inferre poſſe fuerit viſum, Spiritus Sanctus, cujus organum es, Innocenti Beatiſſime, illuminet, dirigat & ſuggerat tibi quod Eccleſiaſticæ Unitati, Religionis propagationi, Chriſtianæ Reipublicæ utilitati, & Jeſuiticæ Societatis ſpirituali incremento, ſibi cordium ſcrutatori, mentium illuminatori, fidei propagatori, videbitur efficacius.

99. Iſtâ, P. B. proteſtatione Chriſtianâ præmiſſâ, eâ ingenuitate & ſinceritate, quâ decet & licet filio qui patrem, viro Chriſtiano qui Chriſti Vicarium Univerſalem alloquitur, profiteor Religionem iſtam, aliàs ſanctiſſimam, ſi intra cancellos juſtæ & honeſtæ reformationis à Tua integritate & ſapientia non arceatur, jam non tam utilem quàm animarum regimini, quod nobis Epiſcopis competit, nunc certè jam extare & magis tractu temporis noxiam eſſe futuram.

100. Jeſuitas Religioſos, P. B. per triginta annos ſatis intimè tractavi, clariſſimis & doctiſſimis eorum amicitiâ conjunctiſſimus fui, & modò equidem ſum Antonio Velaſquez, qui de optimo Principe & ad Philippenſes; Paulo Sherloquio, qui de Canticis Cant. Joanni Euſebio Nieremberg, qui plurima ſpiritualia ſcripſit; Franciſco Pimentel, Viro clariſſimo & honeſtiſſimo; & Auguſtino de Caſtro, Regis prædicatoribus, & aliis. Qualem ipſi de me exiſtimationem habuerint, dicant eorum mihi dicati libri, & quos ego in lucem edidi, ab eis approbati & laudati: nunquam enim ipſis Jeſuitis malus fui, niſi quando Eccleſiæ meæ bonus ab omnibus exiſtimabar.

101. Humanæ conditionis eſt, P. B. ubi ad maxi-

mum devenitur, declinare: Religio iſta ſuâ potentiâ laborat; ſuâ magnitudine jactatur; ſuâ exiſtimatione maxima, ne minima omnibus aliis ſit, à Tua admirabili ſapientia & dexteritate, quâ polles in gubernaculis Eccleſiæ moderandis & dirigendis, cavendum erit.

102. Ego quidem fateor libentiſſimè Societatem Jeſu meritis & ſcriptis, voce & exemplo Dei Eccleſiam illuſtraſſe, & plurimùm profuiſſe, ſed aliis etiam incommodis, ne dicam imperfectionibus, graviſſimis, Eccleſiæ Dei nunc obeſſe & poſtea plus verendum obfuturam, affirmare coactus ſum, quæ utrùm illis majora ſint vel minora, Tuâ ineffabili trutinâ & Apoſtolico calculo penſandum & judicandum erit.

103. Nam ſicut præbenda, vel beneficium, quod plus penſionis & oneris quàm lucri & commodi poſſeſſori fructificat, ingrata cuicunque exiſtimabitur; ita etiam ſi Religio aliqua aut Ordo Regularis plus Reipublicæ Chriſtianæ incommodi quàm utilitatis pariat, ingrata potiùs quàm neceſſaria videbitur, præcipuè cùm plurimi ſint Eccleſiaſtici Ordines & Religiones, quæ ſine tanta Reipublicæ Chriſtianæ jactura non minorem Eccleſiæ afferant utilitatem.

104. Quid enim intereſt, P. S. ſupponamus quòd pro Eccleſia Societas Jeſuitica laboret, & ejus onere, pondere, & præſumptâ auctoritate magnitudineque Eccleſia Dei univerſalis laborat & gemit; quid intereſt quòd Epiſcopos in miniſterio adjuvet, ſi Epiſcopos non ſuis nutibus obſecundantes deprimit, & exagitat? Quid intereſt quòd populos doceat, ſi populos commovet & perturbat? Quid intereſt quòd filios eruditè patribus inſtruat, ſi filiis dulciſſimis patres orbat, & receptos iterum & notatos à Societate pro leviſſimis projicit & expellit?

105. Quid intereſt quòd Miniſtris aliquando Regiis Dynaſtiſque & Principum aulis cum utilitate ſe inſerat, ſi plures non neceſſariâ, imò Reipublicæ noxiâ, introductione & præſumptione, quæ ſpiritualis miniſterii exiſtimationi detrahit plurimùm, & offenſam ſæcularibus reddit, manu directioneque interiori de ſpiri-

ritualibus ad politica, de politicis ad prophana, de prophanis ad nocentiſſima ſubintrando, & magno ſæcularium ſcandalo, & incommodo, interiora domorum ſæcularium dirigendo & gubernando?

106. Quid intereſt quòd inter Religiones floreat, ſi Religiones ipſas calamo, potentiâ, livore, doctrinâ, apologiis etiam editis opibuſque deprimit & obſcurat? Quid intereſt quòd tot ſcriptis Eccleſiam illuſtret, ſi tot opinionibus Eccleſiam vexat, ſapientiam divexat & ſcindit, veritatem tandem reddit ambiguam? Nonne & ſcientiâ quis laborabit, ſi plus ſapiat quàm oportet ſapere? Nam ad ſobrietatem ſapere docendum & ediſcendum eſt.

107. Quæ alia Religio, Innocenti Sanctiſſime, Eccleſiæ univerſali tanto fuit impedimento, & diſcordiis adeò totum Orbem Chriſtianum implevit? Nec mirum certè, B. P. liceat hæc proferre, Religio enim iſta ſingularitate ſuâ laborat, potiùs quàm lucet: neque enim Clerum in totum ſapit, neque regularitatem omni modo amplectitur, ſed utrorumque privilegiis gaudens, imò & excellere & excedere prærogativis ab Apoſtolica Sede irrevocabiliter conceſſis exiſtimans, utroſque contemnit, ſeſeque ſupra omnes Eccleſiaſticos Ordines extollit.

108. Quæ alia Religio occultas proprias conſtitutiones habet, privilegia recluſa, inſtitutiones velatas, & omnia quæ ad eorum pertinent directionem, tanquam myſterio aliquo obvoluta abſcondit? Fateor quidem quidquid incognitum eſt pro magnifico haberi, verùm etiam pro ſuſpecto, præcipuè in Eccleſiaſticis Ordinibus, certiſſimum & evidentiſſimum exiſtimo.

109. Omnibus omnia cæterorum Ordinum inſtituta patent, etiam Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, & totius Eccleſiaſtici Cleri documenta & conſiliares regulæ. Non odit lucem Eccleſia, imò tenebras odit, tanquam ab eo perenni lucis fonte illuminata, qui dixit, *Ego ſum lux mundi.* Etiam cæterarum Religionum privilegia, inſtructiones, directiones, ſtatuta conſpiciuntur, & in publicis populorum Bibliothecis com-

muniter diſpenduntur; uno intuitu Novitius Franciſcanus videt, quod, Generalis ſi ipſe eſſet futurus, faciendum eſſet ſibi.

110. In Jeſuitica autem Societate, plures ſunt, etiam profeſſi, qui ignorant Conſtitutiones proprias, privilegia, & Inſtitutiones, quibus nomen adſcribant, quàm quibus conſtat, ut Tuæ Beatitudini poterit conſtare. Neque manifeſtis Eccleſiæ Chriſtianæ regulis, ſed certâ quadam, ipſis ſuperioribus ſolùm patenti, interiori directione, & aliquibus delationibus arcanis, admodum periculoſis, & quæ plurimos, imò etiam innumeros, expulſos pariunt aut abortant; & tandem magis moribus quàm legibus gubernant, quod humanæ naturæ incongruum & contrarium eſſe quis non videt?

111. Quæ alia Religio tantas aliis Religionibus, Clero, Epiſcopis & ſæcularibus poteſtatibus, & his Chriſtianis & Catholicis, turbas commovit, æmulationes peperit, querelas concitavit, controverſiis litibuſque implicavit? Aliqua aliquas, tantas nulla: de pœnitentia & mortificatione cum Diſcalceatis & Obſervantibus: de choro cum Monachalibus & Mendicantibus: de clauſurâ cum Cœnobitis: de doctrina cum Dominicanis: de juriſdictione cum Epiſcopis: de decimis cum Cathedralibus & Parochis: de Regnorum ſtatu & tranquillitate cum Principibus & Rebuſpublicis: de opibus & contractibus, & commerciis, etiam non admodum juſtis, cum ſæcularibus: tandem cum tota univerſali Eccleſia contendit, etiam Tuam Apoſtolicam Sedem, ſupra Petram, quæ Chriſtus eſt, fundatam, ſi non verbis, factis tamen negant, ut in præſenti negotio chariſſimè comprobatur.

112. Quæ alia Religio doctrinam ſanctorum tantâ libertate impugnavit? & illis veræ fidei anteſignanis, Eccleſiæ columnis, Theologiæ micantiſſimis & digniſſimis præceptoribus minus detulit reverentiæ? Fallitur D. Thom. Bonavent. decipitur, non tantùm dicit & ſcribit, ſed etiam typis mandat quicunque Jeſuitarum modernus præceptor.

113. In

113. In ſuggeſtis ſacris jam reticet Auguſtinus, Ambroſius; obmuteſcunt Gregorius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Cyrillus, & cæteri Eccleſiæ non quomodocumque lumina, ſed luminaria fulgentiſſima: quidam enim tantummodo Neoterici Jeſuitæ à ſuis diſcipulis laudati exaudiuntur, & eorum auctoritate, dictis, ſcriptiſque doctrinam Chriſtianam fulcire nituntur. Quod non ſolùm dignitati verbi Dei maximè indecens, ſed neque animarum ſaluti ſecurum exiſtimo. Si enim cuicunque Doctori eadem (quæ Sanctis) conceditur auctoritas, maximè vexare poteſt Eccleſiam opinionum diverſitas, & labefactari fidei puritas, & morum integritas, quæ ex auctoritate Patrum & Sanctorum veneratione dependet.

114. Quæ Religio, etiam in ſuis incunabulis, & primitivo fervore, & non à ſua fundatione 50. annis tranſactis à Pontifice aliquo Romano fuit graviſſimè monita, & ut humiliùs procederet, circa tria ſuperbiæ capita animadverſa, ſicut Religio ſancta Jeſuitarum à Clem. VIII. Pont. ſummo in ſua Congreg. anni 1592. proprio oris oraculo, ſapientiſſimâ oratione, & ſeverâ monitione correpta? Nondum pene natam, jam relaxatam prudentiſſimis & perſpicaciſſimis Clem. VIII. oculis conſpicientibus. Aliamne Religionem hac cenſurâ in primitivo inſtitutionis fervore ab Apoſt. Sede notatam, aut tali ſigillo vidimus obſignatam?

115. Quæ alia Religio adeo integros & antiquos mores Eccleſiæ laxavit, poſtquam à primitivo ſuo fervore diſceſſit (ſcriptis intelligo & exemplo aliquorum ſui Ordinis Profeſſorum) circa uſuras, circa præcepta Eccleſiaſtica & Decalogi, circa omnem Chriſtianum vivendi tenorem, præcipuè quantum attinet ad doctrinam? Ita ut arbitraria pene videatur & probabilis omnis in Eccleſia moralis Theologia: Cognovi quoſdam Jeſuitas præceptores, in hac mea Diœceſi Angelopolitana ſatis adoleſcentes, ſiquidem ætatis 30. annorum metam nondum attigerant, ſanos, fortes, robuſtos, qui etiam in vigiliis Deiparæ & Sanctorum, & in quadrageſima ſacra (ut mihi nuntiatum eſt) neque lacti-

ciniis, neque ovis abſtinebant, neque jejunabant.

116. Quia nimirum in puerorum inſtructione, & verbi Dei prædicatione, in quibus non minus Clerus & cæteræ jejunantes laborant Religiones, plurimùm Jeſuitæ & intolerabiliter inſudant. Quibus legibus aut opinionibus, doctrinâ aut exemplo inſtructi diſcipuli juvenes, non ſolùm inermes & effæminati, & ſpiritum fugientes, & carnis illecebris & voluptatibus procliviores & indulgentiores educantur, ſed quæcumque in Eccleſia aſpera, & quæ ad pœnitentiam inducunt, & quæ crucis mortificationem promovent, verendum eſt ne metuant, reſpuant, perhorreſcant: & cùm Regnum cælorum vim patiatur & violenti rapiant illud, mirum non erit ſi rapere ipſi non adeò faciliter queant.

117. Hoc autem cæteros Ordines Religioneſque ſanctiſſimas, jejuniis, flagellis, nocturnis excubationibus, choro & clauſuræ arctiori aſſuetos, neque ſcriptis, neque voce, neque exemplo docere huc uſque vidimus: imò pœnitentiam prædicant quia agunt, paupertatem ſuadent quia colunt, crucem Domini defendunt quia portant.

118. Et cùm leniori & ſuaviori vitâ Religioſi Jeſuitæ, quamvis honeſta & ſancta (non nego) & profeſſione inter cæteras fulgeat Religiones, præ omnibus aliis perfectiorem eſſe ſuam Societatem, Apologiis editis contendunt, arctamque viam (quæ ducit ad vitam, id eſt æternam, ut ait Dominus) ampliori viæ & corporis illecebris ſuaviori poſtponunt. Non rectà certè, meo quidem fragili judicio, imò & periculoſa & plurimùm nocente Chriſtianæ reip. doctrina: vivant enim ut velint, doceant ut debent.

119. Durum enim eſt, imò & duriſſimum, lene rigido, ſuave aſpero, dulce amaro in ſpirituali & religioſa vita præponere, & ſuam vivendi methodum & tranquillum & communem profeſſionis tenorem cæteris præferre, etiam quibus durior lectus, quibus frequentior Chorus, quibus perpetua oratio, quibus æterna clauſura, quibus amica pœnitentia, quibus efficacior & non rarior, ſaltem in his partibus, verbi Dei

præ-

prædicatio, & quibus, cum activa vita, ferventior contemplativa, quibus majora erga Eccleſiam Dei merita, ſecuriores greſſus, & antiquiores & feliciores progreſſus.

120. Quæ alia Religio, P. B. à primis Monachalium, ſeu Mendicantium, ſive quarumcumque Religionum initiis, in Eccleſia Dei telonium exercuit, pecuniis fœneravit, & in ſuis propriis domibus macella & alias impuriſſimas officinas in propatulo habuit? Quæ alia Religio foro boniſque ceſſit? Et prophanis commerciis, & contractibus, maris terræque totum fere orbem, maximo ſæcularium ſcandalo & admiratione complevit? Certè hæc omnia & iſta ad ſæcularia commercia propenſio non ab eo videtur inſpirata qui dixit, *Nemo poteſt Deo ſervire & mammonæ.*

121. Luget, S. P. Hiſpalenſis populoſiſſima civitas, complorant viduæ Bæticæ, pupilli, orphani, deſertæ virgines, honeſti Sacerdotes, & ſæculares, à Religioſis Jeſuitis deceptos ſe eſſe inclamando, qui pluſquàm quatuor centum millibus ducatorum miſerabilium iſtarum perſonarum dilapidatis, & expenſis in proprios uſus, bonis foroque ceſſere. Et totius Hiſpaniæ graviſſimo ſcandalo de hac fraude Religioſis Jeſuitis conventis & convictis (quod in quocunque non Religioſo eſſet capitale) ipſis exemptione Eccleſiaſticos gaudere Eccleſiæ contendentibus, & Conſervatores aſſignantibus; tandem cùm ad Regium Caſtellæ Senatum cauſa fuiſſet delata, deciſum fuit, in ea Jeſuitas tanquam laïcos coram judicibus laïcis eſſe conveniendos; quia videlicet laïcalia exercent commercia & negotiationes. Et hodie grex ille pauperum ſuas pecunias, alimenta, dotes, peculia, per ſæcularia tribunalia contra Jeſuitas expoſcentes, eoſdem de fraude dolentiſſimè incuſant & infamant.

122. Quid dicent Batavi hæretici, P. B. in illa provincia & littoribus Gaditanis (ubi hoc accidit) frequentiſſimi? Quid Britanni & Germani novatores, qui bonam fidem in contractibus ſervare, & integrâ & candidâ fronte mutuo inter ſe contrahere præſumunt?

Profectò Catholicam & Romanam fidem, Eccleſiaſticam diſciplinam, Sacerdotalem Ordinem, Regulares, ſanctiſſimas profeſſiones mordebunt, irridebunt, & contumaciores & duriores in ſuis erroribus permanebunt.

123. Et nonne pudet, P. B. viros profeſſione perfectos, ſanctos, Sacerdotes, prædicatores, communes (ut ipſis aiunt) Eccleſiæ magiſtros de talibus exceſſibus coram laïcis incuſari? Et Eccleſiaſticam immunitatem, & Inſtitutum ſuum etiam contractibus ſæcularibus maculare, diſperdere, & prophanare? Et tandem exemptione, jure Divino Sacerdotibus conceſſâ, ſicut bonis etiam foro cedere? Hæc omnia laïcalia & illicita quæ alia Religio egit? Quis Ordo Eccleſiaſticus exercuit? Quæ in Eccleſia Dei Sacerdotum Societas, (præter hanc ſanctiſſimam Jeſuiticam Societatem) Deo & temporalium rerum contemptui dicata, patravit?

124. Et hæc adeo omnibus patent, ut allegationes, accuſationes, declamationes hujus cauſæ per omnium manus, non tantùm in Hiſpania, ſed & in aliis orbis Chriſtiani partibus & provinciis, ubi fama, ſive potiùs infamia ſcandali hujus pervenit, circumferantur, ut per Illuſtriſſimum Hiſpaniarum Nuntium Apoſtolicum poterit Suæ Sanctitati evidentiſſimè conſtare.

125. Quæ alia Religio proprios filios tali facilitate expulſos & notatos à ſe ipſa projicit, & etiam pro leviſſimis? Quos cæteræ Religiones, uti matres, tolerant, fovent, & conniventiâ Chriſtianâ, & ſanctâ patientiâ ad vitæ ſpiritualis conſtantiam & perſeverantiam ſuadent, erigunt & incendunt; hæc ſancta Religio materno quodammodo affectu deſerta & oblita, ſtatim expellit, & ſine titulo, ſine Capellaniis, ſine beneficio, ſine congrua, ſine alimentis, jam Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos innumeris periculis, ærumnis & miſeriis exponit; Clerum non neceſſariis & pauperrimis Sacerdotibus gravat, ſæculum notatis & ignominioſè expulſis Clericis replet, Regularem profeſſionem,

quæ

quæ tot imperfectos creare exiſtimatur, aliquo modo offendit, & tandem tot expulſis filiis, per Diœceſes Epiſcoporum vagantibus, ſe ipſam Societas Jeſuitica notat. Nam ſi boni exiſtimantur, ingrata; ſi mali, ſuſpecta videtur. Quomodo enim tot malos genuit doctrina perfecta & educatio ſancta?

126. Videmus hodie jam conjugatum, quem heri vidimus, noſtro judicio, obſervantiſſimum Jeſuitam; hodie expulſum & notatum, quem heri Jeſuitam omnibus virtutibus condecoratum venerabamur, imò & ab ipſis Jeſuitis commendatum. Et cùm ipſa ſubita mutatione creſcat exiſtimatio in omnibus majoris facinoris & atrocioris culpæ, à videntibus ſupplicium, & ignorantibus delictum, non tantùm ipſis expulſis, ſed etiam expellentibus non minimum detrahitur.

127. Cognovi Provincialem in his partibus, qui infra triennium triginta & octo à ſua Religione Sacerdotes & Religioſos expulit, cùm tota Provincia, etiam latiſſima, paulò pluſquam trecentis Religioſis conſtet. Alius etiam fuit Alphonſus de Caſtro, qui plures expulit in eadem Provincia, ſcilicet octoginta: quod quidem cùm in aliis Religionibus rariſſimum ſit, in hac adeo faciliter fieri, aut tantis delictis abundare, ut fieri neceſſe ſit, ſuſpectiſſimum quidem videtur, ita ut aliquo modo poſſit, P. B. neque de his quos dimittit Societas diffidendum, neque de his quos retinet confidendum ut plurimum eſſe: nam dimiſſos & expulſos communiter approbat in ſuis litteris dimiſſoriis, & retentos & approbatos quàm frequenter expellit. Quod certè inter cæteros Eccleſiaſticos Ordines admodum ſingulare eſt.

128. Tot igitur ſingularia, P. B. in uno & ſingulari Eccleſiæ Ordine & membro (& ſingularia quidem quæ non tam à cæteris ſacris Ordinibus differunt aut diſtant, quàm eis adverſantur aut contrariantur) nonne ſuſpectiſſima ſunt? Sunt certè. Suſpecto ergo tenore vivendi, præcipue inter ipſos Religioſos Ordines, ad quid indiget Eccleſia? Quæ cryſtallo ipſa & ſolari radio puriori doctrinâ moribuſque fulget.

129. Vidi librum Compluti typis mandatum anno Domini 1605. qui inter Jeſuitas ſecretiſſimè circumfertur, qui communiter vocatur *El porque*, id eſt, Quare Jeſuitæ choro non exerceantur? Quare pœnitentiâ tantùm voluntariâ teneantur? Quare aliquando etiam poſt triginta annos profeſſionem non emittant? Quare expelli poſt eorum curricula poſſint? Vidi & perlegi (inquam) librum iſtum ſatis eruditum, R. Petro Ribadeneira Jeſuitâ, viro docto & ſpirituali, auctore, qui in hoc tractatu ſuæ Societatis ſingularitates, & cum aliis Religionibus antinomias totis viribus & eruditione Hiſpano ſermone defendit.

130. Et ex ipſamet cauſa defenſa (hoc profero ſecundùm meam fragilitatem puſillumque ingenii acumen) & ex ipſiſmet ſingularitatibus confeſſis & profeſſis, quicunque modicè eruditus, & Chriſtianæ ſimplicitatis amator fuerit, contra ipſam cauſam concludet.

131. Et maximè obſervandum eſt, P. B. quòd vir ille doctus S. Ignatii Socius fuit inſeparabilis, & ſuæ Religionis ſingularitates defendebat, quando primitivi fervoris florebat virtutibus: quòd ſi modò defenderet, diſciplinâ Jeſuiticâ collabente, & pullulantibus tot in ea imperfectionibus, de quibus totus pene Orbis conqueritur, multo minus quidem obtineret, & fortaſſe non defenderet neque propugnaret vir iſte perfectus.

132. Ac tandem, B. P. quid intereſt quòd Jeſuitæ Ethnicas nationes radiis fidei illuſtrare videantur, ſi Ethnicorum quàm plurimos non rectâ ſacræ legis indictione catechizant? Neque rectè ab aliis Religionibus catechizari ſinunt? Imò à Provinciis Gentilium relegant, & expellunt operarios ſanctiſſimos & doctiſſimos, manu etiam Gentilicâ & Ethnicâ arcent, recludunt, incarcerant, flagellant. Quis Ordo Eccleſiaſticus cum alio Ordine hoc agit? A ſæculo non eſt auditum, tali æmulatione & imperfectiſſimâ zelotypiâ Chriſtianos propagatores, magiſtros etiam Chriſtianos cum animarum pernicie & jactura à vineâ Domini incultâ operarios relegare, ac ignominioſè projicere & expellere.

133.

133. Tota Eccleſia Chinica congemiſcit, P. S. & ſe non tam edoctam, quàm deceptam ab ipſis Jeſuitis in fidei puriſſimæ documentis & rudimentis inclamat, & toto Eccleſiaſtico jure orbata, crucem Domini recluſam, Gentilicos ritus permiſſos, & verè Chriſtianos non tam introductos quàm fœdatos dolet, Chriſtianizantes idololatras, idololatrizantes Chriſtianos, in una eademque menſa, templo, aris, ſacrificiis, Deum & Belial, & ſub larva Chriſtiana idola venerata, vel potiùs ſub Gentilitia larva fidem ſanctiſſimam defœdatam dolentiſſimè conſpicit.

134. Nobis, B. P. Epiſcopis, qui ab illis minus diſtamus provinciis, & ab earum Evangelicis miniſtris litteras accepimus, & qui etiam Apologeticarum eorum controverſiarum certiores ſumus, & eas in noſtris Bibliothecis habemus, & qui cùm ſimus Epiſcopi vocati regere Eccleſiam Dei, cavendum eſt nobis, ne in tremendo Dei judicio canes muti fuiſſe videamur, & labiis nefario ſilentio pollutis de omiſſione graviſſimè judicemur. Nobis, (inquam) Paſtoribus animarum competit latrare, & clamare, & hæc tibi Paſtorum maximo propalare & proferre, & quanta ſcandala ab iſta Jeſuitarum doctrina in propaganda fide ſuboriri poſſint, denunciare.

135. Nam ſi Epiſcopi publicam cauſam Eccleſiæ non defendimus, cæteri tacent, timent, & Jeſuitarum potentiam perhorreſcunt, & ſecretis tantummodo ſuſpiriis & lachrymis, quæ ad Tuæ Sanctitatis aures & oculos pervenire nequeunt, poterunt adjuvare.

136. Volumen habeo integrum, P. S. Apologiis Jeſuitarum refertum, in quibus pene omnia à Religioſis Dominicanis & Franciſcanis Apoſtolicæ Sedi delata, de erroribus quibus Neophyti Chinarum magiſtrorum Jeſuitarum incuriâ vel injuriâ tenentur; non tantùm fatentur ingenuè Jeſuitæ, tenoremque illum pernicioſum catechizandi Neophytos ab ipſis introductum eſſe fatentur, ſed pene omnia quæ à Tua Beatitudine in Congregatione de propaganda fide poſtea per decem & ſeptem decreta ſanctiſſimè declarata & condemnata

ſunt

ſunt anno Domini 1645. die 12. Sept. Didacus de Morales, Societatis Jeſu Rector Collegii ſub invocatione S. Joſeph in civitate Manilæ, quæ Metropolis eſt Philippinarum, per trecenta folia tenaciſſimè impugnat & validiſſimis argumentis, imò cavillationibus, ſanctiſſimam doctrinam nititur expugnare; cujus tractatus copiam dedi ego Reverendo Magiſtro Joanni Baptiſtæ de Morales Dominicano, viro docto & ſollicito Chinicæ fidei propagationis, & qui etiam pro ea diriſſimè vapulavit, & primitivorum Martyrum exemplo plurima eſt paſſus, ut circa factum præcipuè veridicè reſponderet: quod fecit ſatis ſuccinctè & eruditè, & utrumque apud me habeo.

137. Quæ Religio, (iterum dico) P. B. quis Ordo Eccleſiaſticus à veris Catholicæ fidei rudimentis tantùm aberravit, ut nationem numeroſiſſimam, & ſatis callentem & politicam, ideoque plus fidei radiis illuminari & fœcundari expoſitam, non ad fidei regulas magiſtri Neophytos, ſed Neophyti ad idololatriæ partes & nefarios ritus & cultum magiſtros alliciant, attrahant & deducant, ita ut non à piſcatore piſcis, ſed à piſce piſcator capi videatur? Revolvantur, P. B. Eccleſiaſtici annales, conſpiciantur prima Chriſtianæ fidei monumenta, propagationis tenor, Religionis Catholicæ progreſſus, & quibus auctionibus & incrementis in omnem terram ſonus Apoſtolorum fuerit exauditus, examinetur.

138. Epiſcopi-ne & Clerus, qui per totum Orbem proprio etiam ſanguine in primitiva Eccleſia catechizarunt, formâ iſtâ Jeſuiticâ Neophytos inſtruxerunt? Benedictini & ſuæ ipſis ſubjectæ Congregationes, Dominicani, Franciſcani, Carmelitani, Auguſtiniani, cæteræque Angelorum Eccleſiæ militantis cohortes, Religiones ſanctiſſimæ, Gentiles-ne iſtâ catecheſi docuerunt?

139. Chriſtum-ne crucifixum ne unâ quidem die, horâ, momentove temporis prudentiâ humanâ ſubnixi occultarunt? Abſit. Quinque-ne Eccleſiæ præceptis, mortificatione, jejunio, pœnitentiâ, & per ſingulos

gulos annos Euchariſtiâ ſacrâ recipiendâ, & Sacramenti pœnitentiæ, & auricularis confeſſionis præcepto Neophytos aut privarunt aut abſolverunt? Minimè.

140. Sacrificiis idolorum nefariis, templiſque adeſſe, & in ipſis non ſolùm Neophytos convenire, ſed pollui & conſacrificare permiſerunt? Nequaquam. Nonne hoc eſt claudicare in duas partes? Nonne eſt Deo inſervire & Belial? Nonne Deo videtur inſervire & mammonæ? Et neque calidum neque frigidum eſſe, ſicut ſacra pagina teſtatur.

141. Nonne hoc eſt perſecutionis metu, humanæ prudentiæ ductu, quæ divinæ adverſatur, hæc omnia nefandiſſima tolerare? Eccleſiamque illam decipere, & animas innumerabiles in æternum barathrum deducere?

142. Mali-ne Chriſtiani, an verè idololatræ condemnentur Chinæ quid intereſt. P. B? Fidem autem noſtram, quæ tota pulchra eſt & formoſa, falſis doctrinis non pollui, neque maculari plurimum Eccleſiæ univerſalis intereſt.

143. Ideo ego quidem, Innocenti ſanctiſſime, cùm de Chinicæ Chriſtianitatis ſtatu tanquam aliis Europæ Americæque vicinior Epiſcopus, pluries mecum perpenderem tranquillitatem illam primitivæ Eccleſiæ, politicumque illum prorogandi tenorem, & illam interiorem pacem inter Gentiles & Chriſtianos, ipſis jucundiſſimam, mihi triſtiſſima & ſuſpectiſſima ſemper apparuit.

144. Et ut poſt ſexaginta annorum curricula Dominicanos & Franciſcanos fidei optimos propagatores, ab ipſis Chinis flagellatos, incarceratos, & relegatos, litteris etiam ab eis ad me miſſis audivi & perlegi, maximè lætatus ſum, & bonum illi Eccleſiæ bonum auſpicatus. Quæ enim pax Religionis veræ cum falſa? Chriſti Domini cum Belial? Spiritus cum carne? Religionis Chriſtianæ cum idololatria? Crucis Domini cum voluptate? Quæ Eccleſia in toto Orbe terrarum ſine ſanguine fœcundata? Sine tormentis angularium lapidum, id eſt Martyrum ædificata, aut ſine cruce Domini culta fuit?

145. Romana quidem civitas, caput Urbium & Orbis, pro omnibus exemplo ſufficiat, quæ non ſolùm deſtinatione Divinâ, ſed ſanguine Principum Apoſtolorum, & innumerabilium Martyrum necibus & cruciatibus, tanquam ſacris monilibus decorata, & triginta pene ac trium primorum ſummorum Pontificum ſacro cruore irrigata, fœcundata, laureata, totius Religionis & Catholicæ fidei matrem Eccleſiam, & Spiritus ſanƈti Cathedram, & Apoſtolicam Sedem & dignitatem Pontificiam præ omnibus meruit poſſidere.

146. Eodem ſanguine, id eſt, fidei Propagatoribus gaudet Hiſpania, Martyrum præliis ſacrata, victoriiſque illuſtrata, Italia, Gallia, Germania, tota denique Africa, Aſia ac Japonia, & tandem ubicumque gladius temporalis propagatores fidei non protexit & ab idololatrarum furore non defendit (ut accidit in America, dexterâ Catholicorum noſtrorum Regum noſtros defendente fidei ſeminatores) nunquam ſine ſanguine Religio Chriſtiana fruƈtificavit.

147. Verùm ubi Chinici Martyres? Præcipuè in primitivis fidei greſſibus & progreſſibus, in quibus ſemper gladius perſecutionis atrociùs acuitur & ferociùs ſævit? Ubi mortes? Ubi verbera? Ubi perſecutiones? Ubi incarcerationes? Ubi exilia? Pauca aut nulla neque vidimus, neque audivimus, neque legimus, ſed tantùm communes vitæ labores & ærumnas, quarum & pax eſt frequentiſſima & humana vita fœcunda.

148. Hoc, P. S. funeſtiſſimum & inauſpicatiſſimum illi Eccleſiæ (quamvis non infallibile) ſignum exiſtimo. Vereor enim ne quia ignoratur aut non divulgatur ſatis crux Redemptoris, ideo ignoretur crux perſecutionis; & ea de cauſa Eccleſia illa Chinica Martyres non peperit, quia de vero verbi Dei ſemine Redemptoriſque noſtri ſanguine nondum fuerit gravidata: & diabolus tolerat, quia nondum Dominus ſuperat, & Belial reticet, quia ſuos filios videt potiùs deceptos quàm captos, illuſos quàm illuſtratos, & magis perverſos quàm converſos. Silet diabolus, quia nondum Dominus lo-

qui-

quitur; & gladio perſecutionis ſuos non defendit, quia gladius propagationis eos nondum offendit; & adverſarium ſe Satan non manifeſtat, quia adverſarios fidei propagatores non ſentit.

149. Imò & ipſe Satan lætabitur, niſi fallor, cùm in ſuis templis, aris, ſacrificiis, non tantùm antiquos diſcipulos, ſed etiam Baptiſatos, Neophytos, & aliquando fidei propagatores ſacrificia offerre, genuflexiones, proteſtationes, perfumationes, quæ idololatræ agunt, agere, & cum eis, ſaltem externis actibus, convenire conſpexerit, & Arcam fœderis, id eſt crucem Domini, cum Dagon in uno eodemque templo cohabitare lætabundus reſpexerit. Quod nunquam ab Apoſtolicis temporibus toleratum in Eccleſia Catholica fuit, neque actus interiores dirigendo cruci ſecretæ, publico idolo & cacodæmoni offerre exteriores.

150. Ubi enim fuerit interius, ibi erit exterius; ubi fuerit anima, ibi & corpus; neque anima cœlo fruitur, cujus corpus in inferno cruciabitur; & ſicut corpus & animam, & utraſque ſubſtantias Chriſto Filio debemus ut Redemptori, Patri ut Creatori, Spiritui Sancto ut fidei noſtræ propagatori; ita etiam non tantùm actus interni ab idolorum cultu, templis, aris, ſacrificiis, proſtrationibus, genuflexionibus, tanquam ab ipſo infernali barathro arcendi & cavendi ſunt inter veræ fidei Chriſtianos.

151. Et ſi gladius perſecutionis ideo ſæviat, fidei propagatio fœcundabitur, ſi propagatores perſequitur idololatria, perſecutores vincet Religio Chriſtiana. Et quot Martyres cœlo mittet ſævitia, tot & plures Chriſtianos Eccleſiæ concedet divina clementia. Et ſicut in cruce Dominus morte ſacratiſſimâ ſuâ vitam Eccleſiæ præbuit, ita ejuſdem meritis in propagatione ſuæ Eccleſiæ, quam morte redemit & creavit, tot vitas creat & fœcundat occiſorum Martyrum ſanguis Religioni Catholicæ (etiam gentilium & perſecutorum) quot guttis ſacrat terram ſanguis propagatorum, ſicut ex grano emortuo, in terram projecto, procedit ſpica granorum referta.

152. Nam ſi vexillum crucis, P. S. non antecedit, quomodo Chriſtiana Religio vincet, & Apoſtolica doctrina triumphabit? Aut quomodo victoria contra idololatras auſpicabitur, ſi labarum crucis abſconditur? Et ſi vulnera Chriſti reticent, quomodo Chriſtianorum & Neophytorum vulnera curabunt? Et ſi paſſionis Domini theſaurus recluditur, quomodo animarum egeſtas ſaturabitur? Et ſi fontes Redemptoris & vulnera claudimus Salvatoris, quomodo ſitientes bibemus peccatores? Et ſi Neophyti & parvuli non de hoc lacte nutriuntur, quomodo jam facti majores incrementa Religionis ſuſcipient?

153. Imò ſi modo eos Eccleſia velit iterum docere, & veris fidei regulis inſtruere, ſe deceptos eſſe clamabunt Chinæ, & repugnabunt, & non jejunantem Religionem, aut fidem pœnitentem, plorantem, naturæ horridam, carni inimicam, cruci, morti, periculis deſtinatam, non Salvatorem Crucifixum ipſis expoſuiſſe magiſtros Jeſuitas (quod Gentibus ſtultitia, Judæis ſcandalum eſſe videtur) non hominem Deum flagellatum, conſputum, contemptum, vulneribus ſacris confoſſum, & in cruce pendentem, & mortuum eos amplexos eſſe proteſtabuntur; ſed Salvatorem ſolummodo pulchrum, glorioſum, formoſum (ſicut ipſum Jeſuitæ Chinico habitu depingunt) & legem vitamque ſuavem, lætam, lenem, placidam, tranquillam hiſque erroribus ignorantiiſque, (ſpretis myſteriis paſſionis, crucis & tribulationis) lumen & victoria contemnitur Reſurrectionis, & in dubium vertitur triumphus Aſcenſionis, & tandem contemptâ cruce mortificationis, vita recta contemnitur Redemptionis & Salvationis.

154. Hoc modo, P. B. his erroribus Neophytos neque Epiſcopi, neque Clerus, neque Religiones, neque aliquis Ordo Eccleſiaſticus vel ſæcularis vel regularis inſtruxit: ſed proprio cruore Chriſti Domini cruorem, propria cruce & tribulatione tribulationes & crucem Domini in cordibus infidelium, cum ipſa Chriſtiana Religione, inſeruere, & infixere fidei noſtræ primitivi propagatores.

155. Et

155. Et à fundamento crucis & paſſionis omnis Eccleſiaſticæ fidei unitas & compago in altitudinem tantam excrevit, & unde Dominus vitam finivit, inde vitam ſponſa ſua dulciſſima accepit. Ut de latere Chriſti Domini vulnerato Eccleſia tanquam à thalamo ſponſi ſanguine purpurata procederet, & de ejus ſpiritu in vulnere biberet & ſugeret, quem paulò antè æternus Filius æterno Patri pro illius redemptione tradiderat & emiſerat.

156. Ergo, B. P. hæc & alia, quæ Tuæ Sanctitati conſtabunt, & mea humilitas, muneris & oneris Paſtoralis obligatione compulſa, Tuo Sanctiſſimo zelo retulit moderanda vel omnino reformanda, omiſſis etiam plurimis de his Sanctis Religioſis Jeſuitis, quæ ad Tuas aures minimè fortaſſe pervenerunt: nam ipſi enixe admodum curant (& ita cum meis iſtic Procuratoribus, quamvis fruſtra, actum eſt) ut ea Tuæ Beatitudini occultentur, & remedium expoſcunt, cenſura indigent, reformationem expetunt, Tuoque prudentiſſimo judicio relinquendum erit, quibus mediis remediiſque hæc omnia ſi non ſanari, ſaltem moderari valeant, quod facillimum Tuæ ſupremæ poteſtati erit, præcipuè omnibus ferè Eccleſiæ Ordinibus in idipſum conſpirantibus.

157. Vel arctioribus legibus & inſtitutis, choro, clauſurâ, & communi unius anni profeſſione, vel duorum ad terminos certos præfixa. Vel aliquibus inſtitutis quæ ad mortificationem & pœnitentiam tendant, ſine quibus quàm facillimè diſciplina Regularis communiter laxatur & ſolvitur. Vel ad Clerum ſæcularem Religionem Clericalem reducendo, & cum eo incorporando, quod ipſis Jeſuitis jucundius (perpaucis ſui Ordinis decretoribus exceptis) Clero utilius, & negotio ipſi facilius eſſe fortaſſe videbitur.

138. Nam ſi Clero ſæculari accreſceret hæc ſancta Religio, permanente ea ſemper in præcipuis ſuarum inſtitutionum exercitiis, quæ Cleri ſæcularis profeſſioni minimè contrariantur, imò maximè juvant, ſæcularia iſta Collegia ab Epiſcopis, tanquam ab Apoſtoli-

cæ

cæ Sedis Delegatis, legibus à Tua Sanctitate aſſignatis, ſine tanto Reip. Chriſtianæ incommodo gubernarentur. Quam primam quidem eorum vocationem ſui S. Fundatoris fuiſſe tradunt aliqui.

159. Et hoc medio ipſis Jeſuitis medicinam, Clero & Epiſcopis operarios ſine livore, & miniſtros ſpirituales ſine æmulatione, exteriſque Religionibus tranquillitatem, ſapientia Tua, Innocenti Sanctiſſime, Spiritus Sancti radiis illuſtrata, præberet, & Eccleſia tota univerſalis tot tantiſque quæſtionibus, controverſiis, diſcordiis, difficultatibus, & ſcandalis, & aliis eorum negotiis tanquam procellis implicata & agitata conquieſceret.

160. Omnia hæc, Pontifex Beatiſſime, Tuæ infallibili cenſuræ ſubmitto, & ſi quid non congruum, vel indecens, vel quod aliquo modo reverentiæ, quæ tibi ab ovicula iſta debetur, & quod offendiculum præſtare poſſit, ſcripſerim, parcas clementer quæſo; & non meæ propriæ exiſtimationi aut elationi, ſed zelo quo ardet animus meus, Paſtoralis baculi authoritatis, ſacrarum conſtitutionum obſervantiæ, fideique puræ & rectè propagationis & univerſalis Eccleſiæ felicitatis atque incolumitatis, à Tuâ benignitate imputandum eſſe confido.

Deus Opt. Max. gratiâ & benedictionibus, quibus tuas oves imples, Sanctiſſime Paſtor, Te repleat, Tuamque Sanctitatem protegat & gubernet: Angelopoli 8. Jan. anno 1649.

Epiſcopus Angelorum Populi.

CLAN-

CLANGOR XXV.

SIVE

Epiſtola adverſus eoſdem, lectione digniſſima, Fratris Ludovici Soteli, S. Ord. S. Franciſci, Regis Oxenſis ad Sedem Apoſtolicam Legati, & in Regno iſto Miſſionarii Apoſtolici; glorioſique Chriſti Martyris, de Eccleſiæ Japonicæ ſtatu ad S. D. N. URBANUM VIII.

BEATISSIME PATER,

POſt præmiſſam ſanctorum Pedum (ad quos etiam hinc proſtratus jaceo) humilem & devotam oſculationem, Fr. Ludovicus Sotelo, Fratrum Minorum Alumnus, in ſervis quidem abjectiſſimus, in filiis verò omnium minimus, Sanctitatem Veſtram de iis quæ jam dudum noviſſe præſumo, certiorem facere intendo. Nempe fuiſſe me quondam Idate Maſamune qui Regni Oxu (quod eſt in Orientali Japoniæ parte) gubernacula tenet, necdum quidem per Baptiſmum regenerato, ſed tamen Catechumeno, & qui Chriſtianam fidem in ſuo regno prædicari cupiebat, ſimul cùm alio ſuæ curiæ optimate Philippo Franciſco Faxecura Retuyemon ad Romanam Curiam, & qui tunc Apoſtolicæ Sedis culmen tenebat SS. Papam Paulum V. (qui ad cœlos evolavit) legatum expeditum. Quò tandem cùm anno ſalutis 1615, juvante Deo perveniſſemus à SS. Papa, magno cum Cardinalium Sacri Collegii, Antiſtitum, ac Nobilium concurſu, nec non & Rom. populi ingenti lætitia, & communi alacritate, non modò benignè excepti, verùm & humaniſſimè, tam nos, quàm etiam tres alii, quos Japonii Chriſtiani, quatenus eorum circa Chriſtianam Religionem ſtatum Apoſtolicis auribus intimarent, ſpecialiter deſtinaverant, auditi, recreati, & prout optabamus, quantocyus expediti.

Igitur cùm ea, quæ tum ex parte Regis Oxenſis, tum etiam Chriſtianorum Japoniæ proponebamus, atque humiliter ſupplicabamus, audiſſet, ac pro voto noſtro annuiſſet, habito inſuper cum ſacra Congregatione Cardinalium ſacræ Inquiſitionis conſilio, decretum eſt, debere in præfato regno Oxenſi, plagâ Japoniæ, alium inſtitui Epiſcopum. Deſignavit autem ad id muneris SS. Papa me omnium indigniſſimum, & quatenus aſſenſum præberem, Deus Apoſtolicis verbis (quos Deus eligit, idoneos miniſtros facit) reluctanti præcepit. Quibus auditis ſacros pedes oſculando, conſenſi. Ordinatum præterea fuit, Religioſos S. Franciſci Suæ Sanctitatis & expenſis & nomine, ob prædicationem Evangelii, in eo Regno mittendos fore nobiſcum; mandatumque Nuntio Apoſtolico, ac Collectori Generali, qui tunc in Catholici Regis Hiſpaniæ curia aſſiſtebat, quatenus ſumptus ad id neceſſarios miniſtraret: nec non & antiquos annuales reditus ad fundationem & ſuſtentationem cujuſdam Collegii, ſive Seminarii, quod Japoniæ inſtitui deſignaret, reliqua ad commodiorem occaſionem remittendo. Cùm autem reditum noſtrum Japoniam per Hiſpaniam, & alias Indiarum Catholico Regi ſubjectas provincias, neceſſariò fieri oporteret, ordinatum fuit à præfato SS. Paulo V. tam meam conſecrationem, quàm etiam prædictorum expeditionem ad præfatum Nuntium Apoſtolicum, habito primùm Regis conſenſu, fore remittendam, datis ſuper ea re ad Regem Catholicum, tam per nos, quàm etiam per præfatum Nuncium ſpecialibus litteris, ſimul cum Reſcripto ad prædictum Regem Oxenſem, & Japonios Chriſtianos, donis etiam ad eoſdem, nec non multis gratiis, indulgentiis, reliquiis, ac ſpiritualibus muneribus, cum accepta Benedictione, anno 1616. Hiſpaniam remeavimus. Ibi quoque cum ingenti gratulatione, lætitia ſingulari, & benignitate erga nos Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis magnificentia, ac communi ædificatione, non Prælatorum & Principum tantum, ſed etiam Regis Catholici, cujus ſpeciali protectione illuc perveneramus, excepti

cepti, traditis Apoſtolicis litteris, gratum Regis aſſenſum, & Japonicam converſionem adjuvandi affectum piiſſimum vidimus. Sed ecce tunc ex nova Hiſpania in prædictam curiam Nuncius regalis adveniens, ſævam ab Imperatore Japonico, & generalem adverſus ſuæ ditionis Chriſtianos poſt noſtrum inde diſceſſum excitatam fuiſſe perſecutionem, quâ deſtrui templa & relegari ſacerdotes, & ob fidei confeſſionem pleroſque occidi fideles nuntiabat. Eodem quoque tempore, quo nos in Romana curia detinebamur, nuntiatum fuit Domino Paulo V. de obitu Epiſcopi Japonenſis à Religioſis Societatis Jeſu, cujus & ipſe erat alumnus. Ipſe verò ſtatim de ſucceſſore ex eadem Religione aſſumpto providit, cujus conſiderationem & expeditionem remiſit pariter in Hiſpaniam; ubi præfati Religioſi (quatenus viſum fuit) non æquo ſatis animo ferentes, alios præter ſuos, Eccleſiaſticam in Japonia dominationem habere, quod quidem in ſacra curia variis etiam diligentiis, aliena manu & induſtria adhibitis, impedire non valuerunt, arrepta ex prædicto nuntio Japonicæ perſecutionis occaſione, impedivere: perſuadentes enim Præſidi Concilii regalis Indiarum, aliiſque ejus miniſtris (cui Rex Catholicus hæc negotia commiſerat) nullatenus expedire ea executioni mandare, quin potiùs omnino oportere omnia tam ſua, quàm noſtra ſimul ſuſpendi, ne fortè Tyrannus Imperator Japonicus eo magis de his ipſis irritatus, crudeliùs ageret in Chriſtianos, re ipſa prout optabant, impetraverunt, ſicque decretum fuit à Concilio Regio. Quæ cum audiviſſet præfatus Apoſtolicus Nuntius, huic ſe deciſioni oppoſuit, inſtantiam de novo faciens, & relationem coram Regia Majeſtate, ad quam etiam Ordinis mei Vicarius generalis (qui in eadem tunc curia morabatur) ſimiliter & ego recurrimus, clamantes coram Rege, & dicentes, nullum prorſus de indignatione Tyranni Imperatoris exſpectari poſſe majus damnum, ipſâ jam ſubortâ perſecutione, & ſacerdotum relegatione; neque de fide Chriſtianorum videri poſſe pejus periculum, quàm eoſdem do-

ctrinâ atque Miniſtris deſtitutos relinquere inter lupos; in quorum etiam medium SS. Apoſtoli à Chriſto Domino miſſi ſunt.

Apoſtolicam quoque Sedem, Chriſti veſtigiis inhærentem, ſpiritualibus ovibus de paſtoribus ac prædicatoribus in ſimilibus conſueviſſe providere, qui Chriſti gregem à lupina rabie protegerent: quorum quidem felicitas pariter ac probitas, non modò in pace tranquilla, ſed tunc maximè, cùm advenientibus lupis urgentem perſecutionis rigorem æquo animo pertulerint, comprobatur. Econtra verò eos à Domino apertè Mercenarios appellari, qui, deſertis ovibus, cùm à lupis dilaniantibus impetuntur, effugiunt. His quidem Catholicus Rex benignum præbuit auditum, imò & ædificatus eſt. Regale vero Concilium prædictum ſuper jam edita determinatione, ne revocaretur, fecit inſtantiam, inſtantibus ſuper eadem re præfatis Religioſis, qui demum prævaluerunt; unde pro tùnc tam ſua quàm noſtra fuere ſuſpenſa. De qua re ſtatim SS. Papam Paulum V. feci certiorem, à quo etiam fuit denuò præceptum prædicto Nuntio Apoſtolico, quatenus coram Rege, ejuſque Concilio circa prædictorum expeditionem rurſus ageret. Jam verò claſſis Novæ Hiſpaniæ expeditione inſtante, & in eadem Socii mei Japonienſis Legati Japoniam regreſſu, ne mea quoque detentio ambitioni potiùs, quàm animarum ſaluti fortè imputari videretur, cum eo rurſus 1617. redire decrevi. Deo igitur opitulante in novam Hiſpaniam tranquilla navigatione devenimus, ubi navem quandam à præfato Rege Oxenſi miſſam, quatenus nos ad ſe reduceret, noſtrum ex Hiſpania reditum exſpectantem invenimus.

Accidit autem ibi novum Inſularum Philippinarum Gubernatorem ex Hiſpania deſtinatum concurrere, qui navis quæ ſuos milites transfretaret copiam non habens, petiit à nobis, ut ſimul ad præfatas quoque Inſulas navigaremus, quæ à Japonia non longo navigantibus intervallo diſtarent. Quod quidem libenter annuimus, comitantibuſque ventis ſecundis proſpera navi-

ga-

gatione 1618. ad prædictas inſulas appulimus. Commodum verò tempus & ſecundum ventum, quo Japoniam navigaremus exſpectantibus nobis, piratarum Batavorum ad præfatas Inſulas applicantes naves, obſidentes portum, eaſdem infeſtarunt, donec elapſa temporis & ventorum opportunitate Japoniam navigandi receſſit, anno 1619. ſine opportunitate nobis devoluto. Igitur anno ſequenti 1620. dum pro navigando ſecundos ventos exſpectaremus, ecce ex Macam civitate Chinæ ad præfatum Inſularum Philippinarum Gubernatorem, ſimulque ad Archiepiſcopum Manilenſem (eſt autem Manila in Philippinis præcipua & Metropolitana civitas) à quodam Religioſo Societatis Jeſu Didaco Valente literæ miſſæ venerunt, quibus ſe Epiſcopum Japonenſem jam conſecratum dicebat, poſtulabatque enixè ne Japoniam navigare permitterer; fore enim ut magna perturbatio, ſi eò veniſſem, in ejus Regni Chriſtianis ſuboriretur; ipſe enim Religioſus Epiſcopus cognoſcens (ut videtur) meam expeditionem per ſuæ Religionis alumnos, ſumpta occaſione ex ſuborta Japoniæ adverſus Chriſtianos perſecutione, fuiſſe quidem impeditam atque ſuſpenſam, poſt meum à prædicta curia diſceſſum, ſuam rurſus per eoſdem expeditionem obtinuit, quæ per viam Indiæ Orientalis ad prædictam civitatem Macam pervenit. Cùm autem neque Japonicum idioma noviſſet, nec principem aliquem haberet pro ſe, cujus favore Japoniam tranſmeare, ibique aſſiſtere poſſet, ſicut me noviſſe & habere cognoſcunt, meum Japonicum ingreſſum, ea, quam prædixi, diligentia, per ſuæ Religionis alumnos impedire curavit: qui præfatas ſui Epiſcopi litteras Domino Archiepiſcopo, ac ſimul Gubernatori Manilæ tradentes, inſtanter, quatenus me detinerent, perſuaſerunt. Et cùm magnum ſit earum civitatum, Manilæ, Philippinis & Macam Chinæ invicem commercium, correſpondentiaque communis, qui illis præſunt alternatim ſe obſervant, & in poſtulatis ſibi deferunt. Ergo ne eo anno ſimul cum ſeculari Collega meo Japoniam navigarem, detentus ſui: miſi nihilominus mei Ordinis Re-

ligioſos, apud me retinens Apoſtolicas litteras, ad ſuprà memoratum Regem Oxenſem, eidem ſcribens & obſecrans, quatenus me ad ſe remeare curaret. Rex verò Oxenſis auditis quæ Collega meus ei retulit, de benignitate & magnificentia Apoſtolica & Regia, quâ ſuo nomine & Romæ & in Hiſpania & ubicumque fueramus recepti, honore quoque & ſplendore, quo ducti fuimus & reducti, gaviſus eſt gaudio magno, Religioſoſque alacriter ſuſcipiens, locum eiſdem habitationis in ſua Curia aſſignavit, ac de ſumptibus neceſſariis juſſit provideri, occultè tamen & cautè, ob commune Imperatoris adverſus Chriſtianos Edictum, & maximè Religioſos, quo tamen non obſtante, utrique, id eſt, Religioſi cum Chriſtianis, quietè & pacificè commorantur in eo regno. Inſuper & ſequenti anno miſit, qui me Manilæ inviſerent, & in ſuum Regnum reducere conarentur, duos ſui exercitus milites, quod quidem ipſi juxta injunctum ſibi præceptum ſtrenuè præſtiterunt, navem & victus pro navigatione neceſſarios diligenter parantes. Sed quando conſcendere properabam, detentus, captus, & impeditus fui: milites verò cum ſarcinis & ſine me ventorum etiam opportunitate compulſi Japoniam mœſti redierunt. Ergo cum mecum ipſe cogitarem, Manilæ conſtituto nullam Japoniam navigandi ſeſe copiam præſtituram, inde exire contendi, ſumpta occaſione ex oblata opportunitate comitandi cum Domino Epiſcopo novæ Segoviæ in ſuam diœceſim properante, cujus auxilio in quadam ejus diœceſis Provincia (Pagaſmam incolæ appellant) naviculam ſive ratem (quæ noſtro communi idiomate fragata vocitatur) extruxi, in qua cum quodam Japonio Religioſo ſocio meo, & aliis quatuor ſacerdotibus item Japoniis (quos, dum Manilæ commorarer, moribus & divinis litteris ſufficienter inſtructos, & tertii Ordinis de pœnitentia S. Franciſci tribus votis emiſſis ordinari curavi) in præfatum regnum Oxenſe directè navigare geſtiebam.

Verùm & hoc ipſum per eos ad aures prædicti Gubernatoris Manilenſis pervenit, qui iter noſtrum impedire

dire nitebatur: & quidem jam omnibus pro navigando paratis, ſtrictum Gubernatoris ad miniſtrum juſtitiæ illius Provinciæ pervenit mandatum, ſub gravibus pœnis præcipientis, quatenus ſupradictam naviculam detineret. Nautis verò ſub interminatione vitæ, ne eandem conſcenderent, interdiceret, me autem Manilam reverti compulceret. Quo factum eſt, ut navicula protinus interdicta. Nautæ verò ab illo portu & Provincia ejecti fuerint, pariter ac relegati. Ego autem præfatum Epiſcopum ad ſuam uſque Sedem ſequi coactus, & quæ me legatum eſſe à Sede Apoſtolica receptum, utque Japoniam redirem expeditum atteſtabantur, Apoſtolicis litteris ante eundem præſentatis, petii auxilium ab eo in forma ad comprimendum eos, qui me Japoniam navigare impediebant: quod utique continuò diligenterque præſtitit, eoſdem comprimens per cenſuras: territus tamen ne hoc ipſum ægrè ferret Manilenſis Gubernator, diſpoſui, quatenus ego cum Socio meo Religioſo Japonio ſub habitu ſeculari navem quandam Chinenſium Mercatorum, & quidem infidelium, qui tunc de illo portu & civitate novæ Segoviæ Japoniam proficiſci parabant, ſub titulo ſuorum famulorum conſcenderemus, quod ita factum eſt: ſed inter navigandum præfati mercatores nos Religioſos agnoſcentes veriti edictum, & pœnas Japoniæ latas adverſus eos, qui Religioſos in ſuis navibus transfretant, cogitaverunt aliqui ex ipſis nos in mare mittere, aut certè occidere: Deo tamen ordinante adverſis ventis & tempeſtatibus impediti pariter & conterriti tantum nefas committere timuerunt: & quo navigarent, ubi quoque eſſent ipſis neſcientibus, Japoniam appulimus, juxta quandam civitatem Nagaſaqui propinquam Inſulam ad finem Occidentalis plagæ, in qua ante perſecutionem aſſiſtebat Epiſcopus, ejuſque incolæ ferè omnes erant Chriſtiani: eſt omnibus navigiis mercaturæ cauſa Japoniam venientibus portus generalis, modò verò exiſtit ibi Judex ab Imperatore ſpecialiter adverſus Chriſtianos, & præcipuè Sacerdotes deputatus, ante quem nos præſentaverunt ſupradicti mercatores

Chinenſes, dicentes, ſe fuiſſe compulſos in Provincia Papagam è civitate Novæ Segoviæ, unde navigarant, transfretare nos in ſua navi. Ipſe quoque Judex, & me, & quæ circa me Manilæ facta fuerant, tum per exploratores quos Manilæ habet occultè, tum etiam per Japonios alios mercatores qui nos eodem anno 22. Manila præceſſerant, ſatis apertè cognovit; ſciens tamen à Rege Oxenſi, cum ipſius Imperatoris conſenſu, Hiſpaniam & Romam miſſum me fuiſſe Legatum, cum ſuis miniſtris & aſſiſtentibus, inito concilio decretum fuit, me cum Socio meo Religioſo & alio ſervitore in carcerem mitti debere, in forma aliorum Religioſorum (etſi etiam legatus, Religioſus tamen eram) donec re ad ipſum Imperatorem delata, quid faciendum eſſet, ipſe diſponeret.

Statim ergo miſſi fuimus in carcerem Nagaſaqui, deinde ad Omurenſem ſaxis arctiorem carcerem delati. Contigit autem hìc, ut menſe Octobri prædicti anni 1622. cùm præcedentis anni ſeptem ſub eodem Judice in eademque civitate, & aliis locis 17. Religioſi, 8. Patres Dominicani, unus Auguſtinianus, & quatuor Franciſcani, & Jeſuitæ itidem quatuor, cum aliis 100. Japoniis, quorum adjutorio uſi fuerant & hoſpitio, illuſtre pertulerunt Martyrium. Et quidem Religioſi cum quibuſdam ex Japoniis igne cremati, ſive ut veriùs dicam, igne longè poſito aſſati; reliqui verò fuerunt capite truncati, nullo alio titulo & cauſa, niſi quòd Dei eſſent Sacerdotes, miniſtri Evangelii, & divinæ legis promulgatores. Mihi quoque, cùm primùm fui comprehenſus, pari fuiſſet fruendum titulo; felicique ſupplicio, niſi prædicti Regis Legatus cognitus fuiſſem, in carcere tamen intenſo adhibiti ſunt cuſtodes, qui magna vigilantia diu noctuque aſſiſtentes, nullum hominem vel nos accedere, ſed neque inviſere quidem nullatenus permittunt. Deinde prædictus Judex iterum eſt in Imperatoris Curiam profectus, poſt cujus diſceſſum comprehenſi à ſatellitibus duo Religioſi fuerunt, alter ex Ordine Fratrum Prædicatorum, Frater Petrus de Sta. Catharina Martyre, alter verò è

Societate Jeſu Michael Caravallo, & quidem ambo eximiæ virtutis viri, Deique zeloſiſſi mi miniſtri, nobiſcum in hoc carcere Omurenſi tenentur incluſi. Eſt autem carcer groſſis ex lignis compactus ad menſuram longitudinis palmorum ſeptem, undequaque patens, in modum caulæ beſtiarum, in loco fœtido & umbroſo collocatus, ob idque vermibus, colubris, aliiſque reptilibus immundis & venenoſis animalibus ſcaturiente. Suſtentamur autem typha cocta, quæ quotidie nobis mittitur in quadam parva menſura. Verumtamen in his & aliis corporalibus incommodis largitur nobis Deus ex ſola ipſius miſericordia & bonitate incredibilem conſolationem, & ultra quàm verbis exprimi poſſit, uberem lætitiam, neque enim tædio afficimur aliquando, nullave res moleſta videtur & adverſa, quinimò dulcedinem nobis omnia & exultationem exuberant. Et quamvis quatuor ſimus ſacerdotes, non ad omnia exercitia tantùm, verùm ad quotidie celebrandum habemus, ſubminiſtrantibus fidelibus, cum ingenti vitæ periculo, quæ ad id neceſſaria ſunt, alia quoque variis artibus. Adeòque divina menſa fruentes levamen inde ſingulariſſimum, unicum verò ac totale remedium reportantes, carcerem, non cuſtodiam quidem, ſed palatium quoddam regium, aut certè hortum potiùs amœniſſimum reputamus. Nihil autem aliud, niſi pro Deo & ejus gloria, vitam, ſive per ferrum, ſive per crucem, aut certè per ignem tradere deſideramus. Quod etiam quantocius fore confidimus. Ut enim per litteras accepimus Japonius Imperator cùm (informantibus Batavis Hæreticis) Religioſos habitu ſeculari indutos, ac inter alios mercatores occultatos Japoniam advenire cognoviſſet, vehementer iratus, quo omnes mercatores Chriſtianos extraneos à ſuis regnis relegari præcepit, generale publicavit edictum, ad cujus executionem præfatum Judicem à Curia jàm deſcendere ferunt, cum ſpeciali quoque ordinatione occidendi, non ſolùm nos, ſed omnes etiam alios Chriſtianos, qui à fide recedere recuſarint.

Sed & ipſi Batavi duos Religioſos ſub habitu ſecu-

lari in quadam navi mercatorum Japoniam venientes comprehenderunt. Qui utique cum capitaneo & aliis Officialibus in ea navi venientibus igni traditi ſunt. Hac igitur una ſpe & deſiderio ſuſtentamur, illum jucundiſſimum ac feliciſſimum planè diem exſpectantes; quando per proprium ſanguinem, cum divino auxilio, effuſum, Dei divinitatem ac ſanctiſſimæ ſuæ legis veritatem teſtificabimur. Ergo in eo felici ſtatu, quamvis indigniſſimus, ex ſola tamen Dei miſericordia conſtitutus, ego in filiis minimus tuis & humilis creatura, quid deſiderare humanum, aut quid niſi ea tantùm, quæ me in conſcientia obligare ſenſerim, contendam? Maximè cùm prædeceſſoris tui D. Pauli V. tenear obedientiam implere, qui à Romana Curia mihi diſcedenti præcepit, quatenus ipſum ſemper de omnibus tam propriis, quàm hujus Japonicæ converſionis eventibus redderem certiorem. Et de meis quidem hucuſque relata ſufficiant. De hujus autem Converſionis, & Chriſtianorum ſtatu, & ad debiti obſequii abſolutionem, & ad implorandam coram vero Patre primo ac benigniſſimo Paſtore ſubventionis remedium, nonnulla jam dicere oportet.

Notum ſit igitur Sanctitati Veſtræ, Catholicam fidem divinâ gratiâ in hujus Japonici Imperii non ſolùm parte Occidentali, quo à principio venerunt, & ubi ſemper fuerunt Religioſi Societatis Jeſu, verùm etiam in Orientali, ubi primùm S. Evangelii prædicatores fuerunt Religioſi Minores S. P. mei Franciſci, qui etiam uſque modo ibidem ſemper aſtiterunt, eſſe dilatatam, adeo ut quanquam in utraque parte Provinciæ, civitates, caſtella & loca penè ſint innumera, in omnibus ferè & ubique aut ſint Chriſtiani, aut de Chriſtianis notitia ſaltem & auditus habeatur.

Licèt autem poſt ortam potentem perſecutionem, quæ in Orientali & Occidentali parte habeantur erectæ Eccleſiæ, fuerint funditùs everſæ anno 1614. Religioſi quoque omnes generali Imperatoris edicto relegati, plerique tamen illorum, proprias vitas, contra Imperatoris Edictum, contemnentes, diverſis in locis occul-

cultati remenſerunt: quorum labore, doctrinâ & exemplo fides in multis fidelibus integerrima conſervatur, quin & ex infidelibus etiam plerique convertuntur: cùm tamen ſit meſſis quidem multa & operarii pauci, & perſecutionis in dies creſcat auſteritas, luporum quoque Dei gregem infeſtantium rabies augeatur, oves quidem multæ devorantur, aliæ verò infirmantur, carentibus etiam quàm plurimis victu, doctrinâ & Sacramentorum Paſtore. Quamvis autem ex quatuor prædictis Religionibus Religioſi nonnulli Manilia & Macamo inter mercatores occultati pervenerint, juſte dicere poſſumus: Et quid hoc inter tantos? Præſertim cùm neque poſſibile ſit iſtis omnibus doctrinam, Sacramenta & alia adjutoria ſpiritualia, prout illis eſt à S. Sede Apoſtolica conceſſum, fidelibus adminiſtrare.

Cujus obſtaculi eſt in cauſa, ingens aliquorum ex miniſtris contradictio & reluctantia, qui habentes Epiſcopum ſui Ordinis Religioſum aſſiſtentem (ut ſuprà dictum eſt) in Macam civitate Chinæ; eorum Provincialis, qui Japoniæ commoratur, Epiſcopi Gubernator, Proviſor, & Vicarius Generalis exiſtit, cujus induſtriæ Japoniæ regna, Provinciæ & civitates inter ſuos tantùm taxatæ ſunt, & diviſæ, & quidem cùm prædicti vix vigeſimum numerum compleant. Japonica Regna ſex ſunt ſuprà ſexaginta, Provinciæ verò pluſquam in illis 200. quibus permultæ correſpondent capitales quædam civitates magnæ & populoſiſſimæ, quibus per multum temporis non dico miniſtrare, ſed neque eaſdem percurrere, aut certè valeant perluſtrare. Quòd ſi ad aliquam iſtarum quivis alius alterius Ordinis ſive zelo charitatis permotus, ſive à fidelibus ipſis vocatus miniſter ſpiritualem eiſdem conſolationem & Sacramenta ſubminiſtraturus accedat, poſtquam plurium qui per viginti & ampliùs annos non ſunt confeſſi, ſed neque Sacerdotem quidem viderunt, Confeſſiones audierit, lapſui proclives confirmaverit, à fide jam elapſos reduxerit, nec non & infidelium plures converterit; cùm primùm hæc ad ejus miniſtri, cui

illa Provincia (juxta ſui Provincialis commiſſionem) competit, aures pervenerint, ecce è diverſo conſurgens, etſi ea Provincia maximè diſtet, ad eamque nunquam comperiatur acceſſiſſe, quamproperè venit, miniſtrum prædicta facientem oppreſſurus, opponens eidem, quòd eo loco (quippe qui ſuæ Parochiæ ſive dictæ ſit) Sacramenta adminiſtrare non liceat, neque ullatenus cum ſuis, quas dicit, ovibus occupari conſentit.

Quòd ſi rurſus miniſter inſtans objiciat: Cur, ſi tuæ ſunt, tot annis & temporibus pro derelictis habuiſti? Etenim talia fiunt occupantis; reſpondet, & unde tu de hoc, aut quare vexaris? ſive etiam rationem à me petis? Quid ad te de his, quæ tibi de officio non incumbunt, ſicut mihi certum eſt convenire? Et adducens præterea Concilium Tridentinum, coram multis circumſtantibus legit illum locum, ubi præcipitur à S. Synodo ſub excommunicationis ſententia, ne ullus Sacerdos adminiſtret Sacramenta in alterius Parochia, ſine Parochi conſenſu, ſed neque id ſolùm, verùm & Japonio Idiomate traducens, idem publicè refert. Si autem dicat ulterius miniſter, hoc non de terris quidem infidelium, & novis converſionibus, nec de Neophytis Chriſtianis, ſed in antiquorum principum terris Chriſtianorum, & circa antiquas Parochias atque fideles intelligi debere: eundem tanquam tranſgreſſorem Concilii publicat, atque de eodem loco propellere curat: Chriſtianis verò ullatenus admittere, ac apud ſe habere interdicit. Quòd ſi devotione ac pietate commoti aliqui admittant, ut ſive confraternitatibus, puta Roſarii, Chordæ aut Corrigiæ adſcribantur, graviter reprehenſos, ac ſi Chriſtiani non eſſent, à ſe propellunt. In aliis verò locis, ubi prædicti communiter aſſiſtunt fideles, non ſolùm alios Religioſos admittere, ſed neque cum iiſdem (niſi latenter & quaſi furtivè) communicare audent: ſi verò ſit aliquis, ubi ſit aliquandiu & occupetur, exiſtente jam ibi multitudine Chriſtianorum, ſtatim eò mittunt Religioſum Jeſuitam, qui ſe ſui Epiſcopi Vicarium autumans, vexat.

Chri-

Chriſtianos, & ut ſe cognoſcant ſuperiorem, cui obedire teneantur, compellit.

Quæ res eò extremitatis pervenit, ut in partem etiam Orientalem (ubi nullus eorum prædicaverit, neque unquam aliquando extiterit, ſed Religioſi S. Franciſci primi Evangelium prædicaverunt, & ante perſecutionem publicas Eccleſias cum licentia Imperatoris habuerunt, ſemperque uſque modò exorta perſecutione extiterunt) adhuc in ipſis civitatibus, & Curiis Imperialibus, Surunga (quæ Imperatoris præteriti) & Gendo (quæ præſentis Curia eſt) licèt plus trecentis leucis à Nagaſaquio (communi eorum reſidentia) diſtent, fuerit de illis miſſus, qui ſimiliter Vicarium ſe ibidem Epiſcopi publicavit, prædicta faciens & miniſtros antiquos maximè vexans. Pari modo Fratres Prædicatores ingreſſi ſunt Regnum Figea in Occidentali plaga, ubi prædicti miniſtri non erant, qui ingentem etiam fructum ibi creviſſe videntes, illuc ſimiliter ſe contulerunt. Similiter in ſuprà memorato Oxenſi Orientalis plagæ ultimo, ubi hæc minima Creatura & ſervus indignus, Dei gratia & auxilio primus fui ſacerdos, qui illuc accedens Evangelium prædicavi, ubi etiam Religioſi mei Ordinis pacifice habitant (factis jam Chriſtianis in multitudine magna) cùm primùm me à Sede Apoſtolica, & præfato prædeceſſore tuo deſignatum Epiſcopum, & nondum conſecratum, venire deprehenderunt, miniſtrum ex ſuis eò etiam protinus miſerunt; qui ſui ſe Epiſcopi publicans Vicarium, Religioſos noſtros perturbavit, Chriſtianoſque tantopere moleſtavit, ut S. Franciſci Chordam abſtulerit; recuſantes autem dare à Sacramentorum communione excludebat.

Ut verò alia omittam, hoc unum compertiſſimum eſt, Religioſos Jeſuitas velle ſolos inter hos Chriſtianos pro Dominis haberi, & unicos patronos reputari, & hac de cauſa renuunt, neque ullatenus permittunt, alios præter ipſos Jubilea publicare, ſive contos benedictos, aut imagines ſeu medalias, ſed neque haberi confraternitates, etiam ab Eccleſia approbatas, & ipſis miniſtris annexas, neque ſpirituale aliud quidpiam fide-

les provocans ad devotionem, & ad fidei augmentum valdè conducens. Quòd ſi aliàs ab aliis inſtituantur & publicentur, ipſi è veſtigio fortiter reſiſtentes, pro viribus impediunt. Quando autem aliàs obſtare non poſſunt (cenſuris & ipſi impediti) eos qui hæc admittunt (ut dictum eſt) ſaltem à ſe & à ſuis ſodalitiis faciunt alienos: ad quæ omnia habet eorum quilibet authoritatem, & omnes prædicti Japoniæ ſunt ſui Epiſcopi vicem gerentes. Quòd ſi etiam ad prædictum Vicarium generalem ſive Gubernatorem recurrentes alii petant in forma, ut informationes juridicas Fratrum ſuorum Martyrum, qui pro Chriſtiana fide martyrium ſubierunt, faciat; nullo modo aut via eos recipere aut facere vult, cùm tamen ſi de ſuis, aut de Chriſtianis à ſe baptizatis Martyres exiſtant, copioſas faciant informationes, & amplas relationes multiplicent. Si quid ab aliis magnificum, ſi quid glorioſum fiat, hoc ipſi annihilare, aut certè per varios modos & circumventiones decolorare contendunt. Si quæ Religioſi intentaverint, obſiſtunt, vel ſaltem inutilia eſſe proclamant: ſi quæ ſcribuntur, ea quoque pro falſis haberi conantur, aut certè paſſioni attribuunt.

Quæ verò adverſa ipſorum cauſâ evenerint quantumvis, quia publica, negare non poſſunt, non ab ea quidem cauſa, ſed ab indiſcreto Religioſorum zelo, eorumque imprudentia & cautionis defectu prorſus eveniſſe, ne, quæ verè fuit cauſa, patefiat, acclamant. Nolunt quæ ipſi primi non faciunt, ab aliis Religioſis inchoari, & licèt tantum onus portare non poſſunt, aliorum tamen adjutorium recuſant. Quæ ſua ſunt, ac per ſuos fiunt, ea vehementer magnificant, exaltant & publicant, in ſanctitate, in ſcientia, in authoritate non ſolùm primi volunt reputari, ſed neque æquales habere volunt. Et hæc quidem de Japoniæ commorantibus tantùm ſcribo, experientia enim ea comperi, & publica, notoria atque certiſſima habentur. Sed tamen ipſi, ut alios à ſcribendo retrahant, quæ hìc fiunt, jactant ſe in Curiis, tam Romana, quàm Regia, habere Cardinales, Prælatos, proceres, judices

dices, alumnos, & ſuæ Religionis ſingulariſſimos protectores. Ipſum etiam Epiſcopum ſibi faciunt eſſe ſubjectum, nihil enim præter ipſorum placita, & ab ipſis ordinata, agere libere poteſt (quod certiſſimum eſt) cujus autoritas & nomen ipſis deſervit ad omnia ea quæ ſibi placent, ejus nomine & authoritate exequenda, & ad vexandos & oprimendos alios, in diſpendium animarum, & nihil penitus ad ovium utilitatem, ſuoſque actus exercendos, præſtat: in civitate ſiquidem Macam conſtitutus eſt, & circa illius Eccleſiæ gubernationem occupatus (cujus proprius Epiſcopus, ſuorum induſtria fuit in Hiſpaniam vocatus, neque ad ſuam ſedem unquam rediturus ſperatur) cujus autem utilitatis ovibus Japonenſibus Macamenſium gubernatio? Aliiſque per ſuos facta præpeditio, ne diſperſas congregent, ne congregatas paſtu carentes paſcant, ne quæ de ovili Chriſti ſunt, ad illud reducant, & omnia alia ſpiritualia auxilia, quæ præſtare poſſunt, impedire? Quid verò dicam, Sanctiſſime Pater, de ſcandalo, inquietudine, & perturbatione fidelium? Certè verbis deprædicare non valeo. Cùm enim ſint teneræ plantulæ, videntes & audientes hujuſmodi eſſe & fieri inter eos, qui unum Deum, unam Fidem, unum Baptiſma, unum ovile & Paſtorem unum annunciant; charitatemque, ſive amorem Dei & proximi eſſe finem legis divinæ eiſdem prædicant; videntes aliàs hæc fieri, in devotione tabeſcunt, in fide titubant, in charitate tabeſcunt; imò, quod deterius eſt, nonnulli à fide deficiunt. Infideles autem graviter ſcandalizati illudunt nobis, & noſtram legem irrident, dicentes: quod aut veritatem non docemus, aut certè pro vero non habemus, quod cùm prædicemus, non obſervamus, nullumque dicunt intercedere diſcrimen inter ſuos Sacerdotes (quos ipſi Bonzos appellant) & nos, quibus ſicut aſſimulamur in multis contradictionibus, ita etiam reverà doctrina noſtra nihil differt à ſua, quamvis verbis differre videatur. Alii dicunt, duos eſſe Deos, unum divitem & potentem, alium verò pauperem & humilem, qui à divite opprimitur & deludi-

luditur, propter quæ multi, qui aliàs Chriſtianorum ſanctam & juſtam legem eſſe cognoſcunt, à recipienda fide nihilominus retrahuntur. Quæ proinde cùm omni tempore nociva valde, & perniciosiſſima ſint, hoc præcipuè perſecutionis tempore longè venenoſiora, & quàm alio quoque tempore plus noxia. Hujuſmodi autem contradictio ſemper fuit à prædictis facta aliis Religioſis ab initio ſui ingreſſus in Japoniam, & per varios modos continuata, de quo per nos & alios ſupradictus Prædeceſſor Paulus V. cùm certior factus fuiſſet, quæ ſuprà retulimus, ordinavit, præcipuè verò, ut alius inſtitueretur Epiſcopus, cujus induſtria & calore Religioſi protecti à vexatione liberarentur, ſua quoque miniſteria & actiones liberè exercere valerent; quod utique ſi executioni mandaretur, fuiſſet ſane remedium opportunum.

Sed cùm ex ſuprà relata diligentia fuerit impeditum, redditum eſt remedium ſine remedio, & pax ſine pace facta eſt: quin imò prioribus contradictionibus nova ſuperaddita eſt contradictio: etenim poſt noſtrum in Hiſpaniam reditum (videlicet ſui Epiſcopi conſecrati, & mei non conſecrati) prædicti miniſtri, qui ſunt in Japonia, ſupradictam inter ſe fecerunt Provinciarum diviſionem, quam anteà non habebant, unde & contradictio & oppoſitio Religioſis fuit multò quàm antea durior & acrior, cum animarum diſpendio longè majori, cum Chriſtianorum ſcandalo, dedecore ſanctiſſimæ fidei noſtræ & fidelium.

Ego autem indignus & inutilis filius tuus, etſi non conſecratus, callens tamen Japonium idioma, Regemque Oxenſem habens protectorem, huic meſſi Dei utcumque proficere deſiderans, & mandata mihi commiſſa Sedis Apoſtolicæ implere, ex quo inde profectus ſum Japoniam redire, ac (tametſi fuerim per varios caſus impeditus pariter & detentus) tandem Japoniam cum Dei auxilio perveni, ſed ipſo quoque ſic ordinante perveni in carcerem, ubi conſtitutus his & aliis quæ mihi à Religioſis aliis per litteras deferuntur, obviare non valeo, ſolummodo cuſtodiam hanc Dei miſericor-

diam

diam magnam, & ſine ullis meis meritis præclariſſimum donum & ingens beneficium reputabo. Gaudeo planè & in infinitum divinæ erga me omnium viventium viliſſimum largitori congratulor, qui in tam felicem, & præclaram ſortem elegit, ut quam à Creatore vitam accepi, pro ipſo reddam; ad quod me præparans ſemel atque iterum meæ conſcientiæ ſecreta volvens atque revolvens, inveni ibi ſegnitiei & negligentiæ, quæ me acriter quaſi infidelem & ſeditioſum increpat, moleſtiſſimum accuſatorem, niſi prædicta, quæ publica in hoc Imperio, manifeſta & notoria ſunt, tibi Domini Jeſu Chriſti Vicario & in terris vice-Deo, nota faciens, ſcripta relinquerem, quatenus de his certior effectus de remedio provideas convenienti. Hoc igitur exagitatus ſtimulo, compulſus ſum hæc ſcribere, non aliud quidem, niſi meæ conſcientiæ & obligationis ſatisfactionem, majorem Dei gloriam, ſanctiſſimæ legis ejus promulgationem, & animarum ſalutem deſiderans.

Quæ mihi à prædeceſſore tuo fuerunt commiſſæ oves nondum permiſſus ſum eaſdem videre, ſed tamen (quoad potui) per alios mei Ordinis Religioſos viſitatæ uſque adhuc & adminiſtratæ, nimis multiplicatæ ſunt, quos tibi legitimo Patri, primo & legitimo earum Paſtori offero, iterumque commendo, & quatenus illis quantocius de Paſtore provideas humiliter ſupplico. Collega alter legatus Philippus Fiaxecura, poſtquam ad prædictum Regem ſuum pervenit, ab ipſo valdè eſt honoratus, & in proprium ſtatum miſſus, ut tam longa via feſſus reficeretur, ubi uxorem, filios, domeſticos cùm multis aliis vaſallis Chriſtianos effecit, aliiſque nobilibus hominibus conſanguineis & propinquis ſuaſit ut fidem reciperent, quam utique receperunt. Dum igitur in his & aliis piis operibus exerceretur, ante annum completum poſt ejus regreſſum, magna cum ædificatione, & exemplo omnium, multa cum præparatione ſuis filiis hæreditate præcipua fidei propagatione in ſuo ſtatu, & Religioſorum in eo regno protectionem commendatam relinquens, piè defun-

functus eſt. De cujus diſceſſu Rex & omnes Nobiles valde doluerunt, præcipuè tamen Chriſtiani & Religioſi, qui hujus viri virtutem & fidei zelum optimè noverant. Ab ipſis Religioſis, qui eidem Sacramenta miniſtrarunt, ejuſque obitui interfuerunt, & ab aliis ſic per litteras accepi.

Imperator autem Japonicus adeò in Chriſtianos, & præcipuè in Dei miniſtros, excandeſcit, ut ultra prædictum relegandi è Japonia omnes Chriſtianos Mercatores Edictum, cùm à Batavis inſuper cognoviſſet aliquos Sacerdotes eſſe occultos adhuc in ſua Curia Imperiali Gendo, multoſque ibi fieri & eſſe Chriſtianos, etiam de nobilibus, eoſdem fecit diligentiſſimè conquiri. Comprehenſi igitur ſunt duo Religioſi, unus Franciſcanus, F. Franciſcus Galvez Hiſpanus, alius verò Jeſuita, Hieronymus ab Angelis Italus, cum aliis quinquaginta & ſex Chriſtianis, quorum unus D. Joannes Faramundo nobiliſſimus, & ipſius Imperatoris propinquus conſanguineus, cui jam olim, eo quod Chriſtianus eſſet, omnes digiti manuum & pedum fuerant crudeliter præciſi, crux etiam fronti candente ferro impreſſa, genuum quoque nervis ſimiliter præciſis, ad majorem verò ſui pœnam, & illuſionem, & aliorum nobilium terrorem ſic dimiſſus. Nunc ſecundò cum præfatis Religioſis comprehenſus tandem in fide perſeverans conſtanter, ſpretis cum magno ſtatu amplis divitiis, honoribus & pollicitationibus, Religioſi pariter & ipſe cum aliis Chriſtianis, impio & crudeli igne aſſati & conſumpti ſunt, coram innumera pene turba. Inde quidam adoleſcens nobilis & Spiritu Sancto motus, ſe Chriſtianum eſſe proclamans, ſe ipſum, mirantibus univerſis, in medium projecit ignem. Deinde alii Chriſtiani ſanctos cineres, carbones, reliquias colligentes deprehenſi, eodem & ipſi ignis martyrio cum uxoribus & filiis etiam Chriſtianis obierunt.

Qui omnes ferè 100. hilariter & lætiſſimè menſe Decembri anni præcedentis 1623. illuſtre fidei teſtimonium reliquerunt. Multo quidem nobis tardius com-

pre-

prehenſi, primi tamen agonem conſummarunt & jam feliciter regnant.

Erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi: tamen nos in præparatione degentes, ſpem habemus. Verumtamen fateor, Sanctiſſime Pater, multos eſſe Japoniæ infirmos & imbecilles, qui metu perſecutionum temporalium amittunt regna cœlorum, quæ fortibus patent: ſunt nihilominus rariſſimi, qui ex corde fidem relinquunt, adhuc autem qui & perſecutionibus cedunt, ut plurimum ſunt, qui doctrinæ paſtu & Sacramentorum fructu carent: nam qui iis potiuntur, & ſacerdotum exemplo confortantur, temporalia quoque deſpiciunt, vitam hilariter tradunt, & quælibet etiam crudeliſſima tormenta pro Chriſto Domino, & ejus fide ſuſtinent. Terram ergo, quæ ſic ſemen ſibi commiſſum conſervat & uſque in centuplum multiplicat, coli ſanè & cultivari dignum eſt. Quis enim Japonicam gentem deſpiciat, quæ decoris magaritis & gemmis pretioſis ornat regna cœlorum? Mittas igitur (ſuppliciter obſecro, & inſtanter ſupplico) operarios fideles, & ſic mittas & diſponas, quòd ab invicem à labore non præpediantur, hoc eſt binos, prout Dominus miſit diſcipulos ſuos ante faciem ſuam, id eſt pares & æquales in omnibus & pacificos.

Inæqualitas enim inter eos, qui circa idem occupantur, generat rixas, quemadmodum fuerunt exortæ inter Paſtores Abrahæ & Loth: primi enim majores reputari conabantur, & ut tales alios vexabant. Oportet facere æquales omnes Religiones in meſſe Japonica laborantes: aliàs rixæ non ceſſabunt, aut de nulla ſit Epiſcopus, ſed omnes pariter utantur & privilegiis ſibi à Sancta Sede Apoſtolica conceſſis in favorem converſionis infidelium pacificè & ſine contradictione fruantur: aut certè ab unaquaque unus Epiſcopus aſſignetur. Meſſis quidem jam congregata multa eſt nimis, & per totum Imperium Japonicum diſperſa. Et quomodo tanta cùm ſit, per unum Paſtorem, unius Religionis alumnum, in Japonia non exiſtentem, neque ſuis actibus & authoritate utentem, pote-

rit ſufficienter adminiſtrari? Præſertim cùm per illum ea, cujus eſt Religio, alias vexare impedire & ſupplantare contendat.

Quòd ſi de unaquaque Religione conſtitueretur Epiſcopus, deferrent quidem ſibi honorem invicem prævenientes, meliora chariſmata alternatim & charitativè æmulantes, unuſquiſque illorum alios Religioſos propter ſuorum honeſtam correſpondentiam pacificè & benignè reciperet, tractaret, hoſpitaretur. Ad reputationem etiam ſanctarum Religionum & miniſtrorum, imò ad ipſius, quam docent, doctrinæ, tam apud Chriſtianos, quàm apud fideles authoritatem, ad communicationem & conferentiam rerum gravium id ipſum videtur convenientiſſimum. Sed id præ omnibus neceſſarium, ut provideatur huic gregi tam de paſtoribus, quàm de canibus vigilantibus, qui per ſe ovibus aſſiſtentes, ubertim eiſdem & fideliter provideant de abundanti paſtu ſpirituali, earum compatiantur laboribus, in luporum conflictu protegant, vitam quoque pro ipſis, ſi oportuerit, dare non dubitent, Japonios ipſos, prout libuerit, docentes, exemplo formantes, & ad actus ſuperiores inſtituendi & informandi populum, nec non ad Religionem, & ad SS. Ordines recipiendos diſponentes. Etſi enim terra fertilis & meſſis diſpoſita ſit, deficientibus operariis, aut paucis exiſtentibus, certè aut inculta manebit, aut fructus reddet exiguos.

Imò tametſi ſterilis eſſet rebus, ut nunc profectò, ſi Japoniæ ſemen & ſatores multiplicentur, copioſiſſimæ in horreum Domini ſegetes congregabuntur; nam diffuſus ubique plurimorum Martyrum ſanguis, conſtantia eorum, & fortitudo, tam in temporalibus contemnendis, quàm in perferendis cruciatibus, multorum animos menteſque illuminant, maximè Principum, qui ferè omnes ægrè ferunt Imperatoris legem & rabiem, & injuſtam eſſe ſentiunt, quantumvis propter illius reſpectum Chriſtianos perſequantur. Et quemadmodum in primordiis Eccleſiæ Spiritus Domini fideles confortans ad ſubeundum martyrium, & viam

per-

perfectionis amplectendam; ſic etiam modò in Japoniæ primitiis hos videmus Chriſtianos ad eoſdem actus diſponere in tantis tamque illuſtribus Martyribus & in quibuſdam aliis, qui ſtatum jam Religionis, & viam arctam perfectionis aggreſſi, ad ipſum uſque ſacerdotium, & ſacri verbi prædicationem, Chriſtiani populi inſtructionem & ſacramentorum adminiſtrationem pervenerunt. Quos ſanè in virtute conſtantes, in exemplo fideles, in labore & fructu uberes experimur. Quomodo ergo poterit tam immenſo populo de miniſtris religioſis tantùm Europæis provideri? Et qua ratione iſti ſibi poſſunt circumquaquæ diſcurrere? Hoc maximè perſecutionis tempore, & quia ſtatim cogniti à ſatellitibus comprehenduntur, animarum neceſſitatibus ſubvenire? Præcipuè cùm & facies eorum valde notæ ſunt & diſtinctæ, & Chriſtiani quoque ipſi eoſdem, ne diſcurrant, abſcondere, detinere & occultare procurent. Japonii quoque Sacerdotes liberè quocunque diſcurrunt, & proximorum neceſſitatibus ſubvenientes inter ipſos & perſecutores ſecurè adminiſtrant, adhuc in carceribus & cuſtodiis incogniti ſuum exercent miniſterium, debiles confortantes, fortes conſolantes, infideles, propriis ſectis & erroribus facilius & uberiùs confutatis, efficaciter convenientes, in verbis promptiores, in modo arguendi & convincendi exercitatiores, cum ſuis nationalibus concurrentes, ad invicem in iis quæ docent magiſterii transferentes energiam, cum plauſu apud ſuos reperiantur.

Quæ faciunt ipſi, quantumvis difficilia aliis, etiam ſuæ nationis, imitari conantur avidiùs, timore eoſdem, amore & honore proſequuntur, & in ſua ſpecie, ſicut cætera bruta leones majores & excellentiores. Quemadmodum enim Sacerdotes Europæi ad magiſterium, doctrinam & fundamentum hujus Chriſtianitatis ſunt omninò neceſſarii; ita quoque Japonios Sacerdotes & Miniſtros, tam perſecutionis tempore, ad Tyrannorum rabiem retundendam, quàm etiam in pace tranquilla, ad communem & generalem adminiſtrationem (quæ in tantum creſceret, quantum fuerint multipli-
cati

cati miniſtri) neceſſarios quoque cenſendos exiſtimo. Ubi autem, qui per ſeipſos hæc videant & experiantur, neceſſitatem animarum cognoſcant, diſpoſitionemque meſſis attendant, Epiſcopi non ſunt, certè neque inſtrui Sacerdotes, neque de neceſſariis vineæ Domini valet provideri. Profectò ſancti Dei Apoſtoli Orbis terrarum à Chriſto Domino inſtituti fuerunt Patres, Pontifices & Doctores: fundamentum quoque novæ ipſius Civitatis deſcendentis de cœlo, duodecim diſcipuli agni fuerunt, ſupra quos erectum eſt faſtigium Eccleſiaſtici ædificii, cujus caput conſtitutus eſt S. Petrus, & ejus ſucceſſores; oſſa verò & nervi corporis myſtici Chriſti Domini ſunt Epiſcopi, Sacerdotes & Magiſtri. Quomodo igitur in hoc novo Orbe naſcentur filii atque nutrientur ſine Patribus? Aut quâ ratione hæc nova Hieruſalem extrui, ejuſque faſtigium erigi poterit ſine fundamentis? Vel quâ etiam arte ſine oſſibus & nervis fiet hujus myſtici corporis apta compagatio? Inſpice, ſuppliciter obſecro, Sanctiſſime Pater, & fac ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt. Etenim vinea noſtra jam floruit fortiſſimis Martyribus, & quàm plurimis etiam Confeſſoribus, qui bonorum rapinam, membrorum amputationem, & alia pro fide ludibria paſſi, adhuc à Tyranno relicti ſunt viventes, (quamvis alios à fide retrahit) viventes in tanta nunc abjectione, opprobrio & miſeria; inter leproſos conſtitutos, qui fuerant antea nobiles & magni. Tempus etiam putationis certè iſtarum inutilium quæſtionum & diſſenſionum advenit: Groſſi noſtri dederunt odorem capacitatis, virtutis, conſtantiæ & fidelitatis. Profectò cùm gens Japonica ingenio polleat, & inceſſanter ſalvationem inquirat; lex quoque divina & prædicatio Evangelica rationi naturali (quam Japonii optimè admittunt) ſit maximè conſentanea: eandem per 70. & amplius annos Japoniæ prædicatam, communiterque à litteratis hominibus (præcipuè nobilibus) pro ſancta & juſta judicatam, & ſuis ſectis atque doctrinis longè rationabiliorem habitam & ſuperiorem, non plus creviſſe & profeciſſe, mirum eſt. Cujus rei quam-

quamvis nobis ſit occulta cauſa, non tamen à ratione alienum eſt, dicere, ex eo fortaſſe provenire hoc, quòd corpus hoc myſticum oſſibus caret & nervis, ſine quibus prædicatio & doctrina (quæ creſcit & augetur) non ita abundanter miniſtratur, neque efficaciter operatur. Religioſi enim ſine Epiſcopis, nervi ſine oſſibus ſunt: nam illi ex ſola charitate laborant, iſti ex charitate ſimul & obligatione. Religioſi vadunt & redeunt, vel ſaltem poſſunt ab operatione manum levare: Epiſcopi etiam inviti, neque manum ab aratro retrahere, neque retro poſſunt aſpicere, ſed gregi tanquam rationem pro eo redditurí omnino debent inſiſtere: illi ut nutrices ſunt, iſti ut veri parentes. Religioſi primò & principaliter regularibus inſtitutis, & religioſis obſervantiis inſiſtunt; Epiſcopi verò primitias ſuæ activitatis, curæ & intentionis in ſuo grege paſcendo, nutriendo, augendo & recreando conſtituunt. Illi quidem ſunt arbores valdè fructuoſæ, quo aves cœli concurrunt & commorantur, doctrinæ plures, & exempli uberes fructus exedentes; iſti verò ſunt montes excelſi, quorum pinguedine diverſarum arborum multitudo coagulatur, & pulchritudo conſervatur, ſcientiæ & diſciplinæ flumina, doctrinæ fontes & aquæ largiſſimæ honeſtæ educationis & converſationis exeunt, & ad ſubditorum valles effluunt, metalla quoque & copioſiſſimæ virtutum gemmæ ex eminenti loco plus ſplendoris emicant, & lumen ſupra candelabrum poſitum lucet omnibus qui in Domo Dei ſunt, in his ſanè montibus radii divini ſplendoris priùs & efficaciùs elucent, ut facienda cognoſcant, & influentia cœleſtis auxilii ad eadem facienda copioſiùs communicatur. Et ſicut aliis in magnitudine poteſtatis ſpiritualis, & in altitudine dignitatis eminentiùs præcellunt, ita eminentiori quodam modo reguntur & confortantur à Deo, qui dedit eis talem poteſtatem in ædificationem. Montes, inquam, ſunt, in quibus beneplacitum eſt Deo habitare in eis, ut ſic corpus ſuum myſticum obcreſcat, & civitas cœleſtis abundantiùs & uberiùs de neceſſariis provideatur; cumque ad illos frequentior eſt re-

bitum ordinem præſignando providebit.

Jam verò exortas quæſtiones, & quæ modò tantopere impediunt opus Dei, ſine illis ſedari poſſe, impoſſibile videtur; & qui Epiſcopos inſtitui refugiunt, quæſtiones ſemper habere volunt. Sicut autem Jeſuitæ ingreſſum aliarum Religionum in Japoniam impedire, imò præcludere volentes, coram glorioſæ memoriæ Domino Gregorio XIII. prædeceſſore tuo id ab ipſo ordinari neceſſariò dixerunt; nam ſi fortè diverſi Religioſi Japoniam ingrederentur, futurum eſſe maximi impedimenti ad promulgationem fidei: cùm enim Japoniæ ſint multæ & variæ ſacerdotum differentiæ, ſi hoc ipſum eſſe inter Chriſtianos deprehenderint, deſpicientes Dei Miniſtros, doctrinam noſtram aut omnino non audituros, aut certè eandem eſſe noſtram & ſuam exiſtimaturos: ipſis quoque Religioſis inter ſe, tam circa doctrinam, quàm circa alia (per quæ ſuis Bonzis, ſeu ſacerdotibus ſimiles eos judicabunt) infideles & novos Chriſtianos valdè ſcandalizandos potiùs fore, quàm ædificandos. Sed tamen poſtquam Deo diſponente aliæ Japoniam Religiones ingreſſæ ſunt, reipſa & in veritate contrarium omnino expertum eſt. Nam cùm Japonenſes ingenio polleant, & quæ nova viderint, diligenter ſcrutentur, videntes aliarum Religionum varios Religioſos, quorum alii ab Occidentali navigaverint, etiamſi diverſæ nationis, diſtinctæ Religionis, differentis habitus, & alterius ſint inſtituti: quidam neceſſaria habentes, alii mercaturam etiam exercentes; alii omnino pauperes & mendici, ut Minores: quidam honeſtis, alii hiſpidis & reſartis veſtibus utentes, & nudis pedibus incedentes; quos tamen eandem omnino legem & invariabilem doctrinam prædicare, profiteri, & obſervare dum cernunt, per hæc veram & certiſſimam viam ſalutis, & ſalutis æternæ hanc eſſe cognoſcunt: & ut talem multò plures eam admittunt & in communi venerantur omnes, majorque fervor & devotio invenitur nunc in fidelibus per exempla viva & vitam rigidam Religioſorum ad pœnitentiam, mortificationem & Chriſti imitationem maximopere com-

 mo-

moventur (Auguſtiniani enim & nos excalceati ſumus, Dominicani verò de reformatis Philippinarum.)

Nam ſi Chriſtum prædicant humilem & pauperem, & terrena deſpicere docentem, ipſum quoque vident imitari, & eadem facere quæ aliis prædicant & ſuadent. Quod quidem & in ipſo effectu cognoſcitur: nam ante ingreſſum Religionum in Japoniam, cùm perſecutiones fuerint à Tyrannis inflictæ, nullus tamen Religioſorum invenitur occiſus, aliorum verò Martyres nulli fere fuerunt: imò integræ provinciæ reductæ, per ſuorum Principum nudum præceptum, fidem facillimè relinquebant: ex quo verò Religiones ingreſſæ, & primus Commiſſarius noſter cum ſociis crucis martyrium ſubiit, multi & alii illuſtriſſimi Martyres pro fide paſſi ſunt: & hi quidem non Religioſi tantùm, ſed & de Chriſtianis totius ætatis & ſexus quamplurimi, magnos tolerantes cruciatus, in quibus præclara facinora, divina reſponſa, & admirabilem conſtantiam Principes & perſecutores experti ſunt, quos utique jam fortiter deſpiciunt fideles, etiamſi ob majorem rabiem & crudelitatem oſtendendam, eoſdem plagis cæſos, deluſos & vivos relinquant. Quod tamen ipſis Principibus & infidelibus omnibus efficaciſſima prædicatio eſt, qua utique inſpecta & Religioſorum aſpera & inculpabili vita, infatigabili ſollicitudine, intrepidis & uniformibus animis docendi, & divinam legem ſuadendi conſideratis, eandem legem noſtram fatentur veram & bonam, ſuas verò ſectas & Sacerdotes deſpiciunt & irrident, videntes tot eſſe ſectarum differentias, quot ſunt ſacerdotum varietates. Religioſi etiam trium prædictorum Ordinum maximam inter ſe habent unionem & charitatem, adhuc in temporalibus ſeipſos adjuvantes, & in neceſſariis communicantes: præcipuè verò in miniſterio ſuadentes, quatenus omnes Religioſos & Sacerdotes pro eodem reputent, ſicut & eandem prædicant doctrinam. In docendis idipſum ſentiunt & obſervant, amplectentes communem, & ubique receptam & approbatam doctrinam; in nihilo

peni-

penitùs diſcrepantem: quòd ſi diſcrimen aliquod & alteratio eſt, non inter ſe invicem, ſed cum Jeſuitis eſt: ipſi enim nonnullas Japoniæ ſententias ſequuntur, quæ nullibi exercentur, & in ipſo adhuc rigore ſcholaſtico ſunt pluſquam dubiæ, v. g. Catechumenos de uſuris antea factis reſtituendis, aut componendis, ante Baptiſmum non admonent, ſed poſtea ad confeſſionem referunt; & idem de malè habitis, & de ſervis injuſtè poſſeſſis affirmant.

Antequam rudimenta fidei noverint Catechumeni, eos communiter baptizant, & cum ſola aqua ſine oleis ſanctis. Extra caſum neceſſitatis licentiam communem concedunt non Sacerdotibus, ſed ipſis etiam ſecularibus, omnes quos ſuadent baptizandi, quos ubique ad Baptiſmum diſponere & actus ſupernaturales fidei divinæ & contritionis ſuadere penitùs ignorant. In commodatis 30. aut viginti, pro 100. etiam dato pignore, ob conſuetudinem & officium tollere permittunt. Antea non diaconos, & necdum ordinatos publicè in Miſſa ſolemni, & in pulpito Evangelium populo prædicare faciebant. Circa concurrentiam Chriſtianorum cum infidelibus in aliquibus actibus & conſuetudinibus multum quidem variamus; in aliis verò quæ minora ſunt, quia Religioſi his opponuntur, & contraria faciunt, & Chriſtiani vehementi affectu eos pluſquam alios venerantur, diligunt & obſervant, contradictio illis fit & repugnantia, non quidem à ſe invicem, ſed ab aliis, qui in Japonia ſoli eſſe cupientes, dixerunt, etiam Pontifici, diſſentiones & differentias Japoniæ eſſe futuras, ſi aliæ Religiones huc ingrederentur. Sic ſimiliter propter quæſtiones, inpoſterum inter ipſos Epiſcopos oriundas, eorum (aliàs huic tantæ meſſi neceſſariam) inſtitutionem recuſare; jam exortas nolle ſedari, & remedium potiùs impedire eſt quàm futura timere. Si ergo hinc ſcandali cauſa oriundæ inpoſterum inter Religioſos quæſtiones (quæ uſque modo non fuerunt) aſſignabantur, & impedimentum fidei, & Evangelicæ prædicationis ita timebatur magnum eſſe futurum, ut propter hoc Religioſis in

Japoniam aditus impediretur: quomodo nunc non oriundæ quidem & futuræ quæſtiones, ſed præſentes & exortæ, de quibus non futurum ſcandalum timetur, ſed præſens (& magnum illud quidem tam inter Chriſtianos, quàm inter infideles ortum inſpicimus, & impedimentum prædicationis & fidei non futurum, ſed actu jam exiſtens, cum ingenti animarum detrimento, & ipſius fidei ludibrio experimur) non erit cauſa ſufficiens, realis & verior, imò & obligatoria ad Te Sanctiſſimum Patrem recurrendi, reclamandi, & remedium depoſcendi, cum fundamento veritatis & neceſſitatis tanto majori, quantum plus habent præſentia quàm futura, & humiliter ſupplicandi, ut per Epiſcoporum inſtitutionem non damna futura, ſed jam præſentia mala ex prædictis quæſtionibus ſuborta diluas, & de competenti remedio provideas, non quidem operariorum aditum ad meſſis laborem impediendo, ſed modum & formam, quatenus de multis & bonis operariis abundantiùs meſſi provideatur, potiùs aſſignando, cui ſicut Religioſorum ingreſſus (de quo anteà timebatur) tantùm profuit, quantùm ipſa nunc experientia comperitur, ſic tantò plus etiam ad miniſtrorum pacem & fidei augmentum, proficiet inſtitutio, quantò eorum auctoritas, eminentia & major eſt dignitas, efficaciores actiones, actuſque præclari. Sunt enim Eccleſiæ oſſa, nervis in omnibus ſubvenientia & notabiliter excedentia, quæ ſuos proinde eſt neceſſarium effectus determinatos habere.

Quid verò de reditibus & congrua ſuſtentatione Epiſcoporum? Novimus certè Chriſtum Dominum pauperes elegiſſe primos, & hos etiam à fidelibus oblata & ad ipſorum pedes depoſita, aliis miniſtranda tradidiſſe; ut ipſi orationi & verbo Dei expeditiùs inſtarent, ſuiſque coadjutoribus & ſucceſſoribus, nihil aliud præter poteſtatem ſpiritualem tradidiſſe: antiqui quoque Patres nihil cum Eccleſiis niſi onus & donum ſpirituale recipiebant, quin potiùs paupertatis amatores, auſteritate vitæ, morum integritate & gravitate, doctrinæ divitias conſtituentes & honorem, commiſ-

ſum

ſum ſibi gregem fideliter adminiſtrabant, Eccleſiam Dei augebant, quam ſuis illuſtrarunt exemplis & ſcriptis ditaverunt. Sic Irenæus, Polycarpus, Damaſcenus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus Taumaturgus, uterque Cyrillus, & multi alii, qui ſpecialiter de paupertate gloriabantur. Et quemadmodum ſancti Martyres, dexteram columnam Eccleſiaſtici conſtruunt ædificii, ſic & ipſi præclari Pontifices ſiniſtram extruunt. His ergo innixa principiis & fundamentis Domus Dei, ita firmiter eſt ædificata, quòd portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: talis namque debet eſſe hæc nova domus Dei, quam Japoniæ volumus ædificare, tam præclaris ornata Martyribus, quàm Apoſtolicis condecorata Epiſcopis, & in cunctis venuſtiſſimis nationibus reſonet nomen ejus, cujus initia primitivæ aſſimilantur Eccleſiæ. Nunc enim Japoniæ fremunt gentes & populi meditantur inania adverſus Dominum & adverſus Chriſtos ejus, qui in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ, aut certè in abditiſſimis receptaculis, ex induſtria in domibus fidelium factis, abſconduntur. Non utique indigent apparatu, neque reditibus his quidquam deferunt annales, qui pane lacrymarum, & ferè ſemper inſulſis cibis & modicis alimoniis utuntur & ſuſtentantur. Dum hæc fiunt & hyems eſt, Religioſi Japoniæ Epiſcopi à ſua Religione, & à Chriſtianis, ſicut alii Religioſi, ſuſtentabantur, & hilariter quidem, ut à tantis vexationibus liberentur, & liberè opus Dei valeant exercere. Cùm verò ſoror noſtra (quæ modò parvula eſt, & ubera non habet) creſcentibus quoque uberibus abundabit & lacte, tum veritatem Reges intelligent; hinc erudientur qui judicant terram, non de fide ſolùm, ſed de Eccleſiaſtica etiam dignitate. Ad hoc autem aſſequendum, eadem Japoniæ, quæ in Eccleſia primitiva, adhibenda ſunt media, ſine quibus utique ad ipſum perveniri non poteſt, principiis ſemper occupatis & impeditis, ſine fructu uberrimo magnificante lætitiam. Media, inquam, ad corpus hoc confortandum & convalidandum, ſunt compaginare oſſa, hoc eſt, Epiſcopos & Paſtores tales inſtituere,

tuere, ut per ſe corpori aſſiſtant, eidemque maximè in adverſis coadjuventur, quos utique dum Metropolitanus hìc non fuerit, Macanæ & Mælinenſi Eccleſiæ oportet eſſe ſuffraganeos, tum quia propinquiores ſunt, & per illam occidentalem plagam tranſeuntes, dum Japoniam petunt, per ſingulos annos communicant, & ſe invicem agnoſcunt, tum & quia alia Metropolis Boenſis Eccleſiæ valde Japoniâ diſtat, & nulla Religioſis eſt cum illis communicatio & cognitio, præter ſolos Jeſuitas, qui per orientalem illam plagam venientes, eam cognoſcunt, & cum ea communicant; & cùm Luſitani ſint, nova Caſtellanis impedimenta volebant opponere, quæ ſi Caſtellani, de novo inſtituti, ad ſuos qui in occidente ſunt, & Luſitani ad ſuos qui in occidente habitant reducantur, omnino ceſſabunt.

Sed quis eſt iſte, qui involvit ſententias ſermonibus imperitis? De me poſſe dici timeo. Nullus ſane alius, niſi humillimus ſervus, qui coram legitimo Domino de Vineæ neceſſariis ipſum tremens informat, aut minima creatura, quæ coram ſuo creatore incommodis remedium quærit, ſive parvulus diſcipulus, qui coram vero Magiſtro recitat, corrigendus quæ memoriâ didicit, vel certè filiorum minimus, qui çoram piiſſimo Patre proſtratus, quatenus de illatis moleſtiis protegatur, & liberetur, recurrit ad ipſum, & quidem confidenter nimis, tum quia Dominus Creator, Magiſter & Pater eſt: tum etiam quia non mihi conſulo, ſed Vineæ Domini mei; non pro me, ſed pro hac Eccleſia pugno, & quidem adverſus eos, qui potentes ſunt; ego autem valdè infirmus, & incarceratus, pro Chriſto tamen, & nihil de humanis deſiderans, ſed ſolam veritatem defendere atque juſtitiam. Nihil de ſupradictis conſcientiam remordet: nihil enim ſcripſi, niſi publica & manifeſta. Et hæc quidem in ultima quaſi vitæ horâ penè conſtitutus, & (ut dixi) ab interiori compulſus. Tu verò, Sanctiſſime Pater, ſapientiam habes ſicut Angelus Dei. Hæc audiens, de illis judica: quia in prima Sede es, quo in ſimilibus recurrere tenemur. Et tuis pedibus provolutus, ut citiùs quæ videbuntur

op-

opportuna diſponas, ſuppliciter & humiliter expoſtulo. Quidam ferunt Regem Oxenſem me jam fuiſſe incarceratum cognoviſſe, velleque cum Imperatore de mea agere libertate. Si res ita ſe habet, non libertas utique, ſed nova captivitas, & laborioſa peregrinatio mihi paratur. Hoc tamen certum non eſt, imò certius exiſtimo, pro Chriſto Domino traditurum in mortem cum ſociis. Hoc ſolùm inſtanter expectamus: verumtamen ſicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat, & in terra iſta inutili, inviâ & inaquoſâ. Quid faciendum ſit, ſtatim cognoſcet Sanctitas Veſtra, cujus benedictionem humillimè peto, quam multis annis Eccleſiæ ſuæ Deus conſervet incolumem. De hoc carcere Japonio Omurenſi 20. Januarii anno 1624.

APPENDIX.

I.

PROTOCATASTASIS

SEU

PRIMA SOCIETATIS JESU

Inſtitutio reſtauranda Summo Pontifici,

LATINO GALLICA

Ex poſtulatione proponitur,

THEOPHILI EUGENI ZELO.

Tabeſcere me fecit zelus tuus, Pſalm 118.

PATRUM SOCIETATIS VOTO.

Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis & juſtitiæ. *Eccleſiaſt.* 34.

Qui arguunt laudabuntur, & ſuper ipſos veniet benedictio. *Proverb.* 14.

Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum. *Proverb.* 25.

Reſpicite, quoniam non mihi ſoli laboravi, ſed & omnibus exquirentibus diſciplinam. *Eccleſiaſt.* 33.

PRIMA

PRIMA ORDINIS SOCIETATIS *Jeſu inſtitutio ſancta & reſtituenda.*

DUm è terræ divite ſinu fons exiliens emergit, tunc fluit puriſſimus & limpidiſſimus. Quod in aquarum principiis vides, è quibus derivatos deducis rivos, hoc idem in prima religioſorum Ordinum egreſſione tibi conſpicere licet, ſi faciles ad primordia vertis oculos, & placet obtutu in primo aciem figere, clarior ex capite honor emicat, & virtus major, & ſolem ſuum ſua ſidera norunt. Quis non accurrat ad decurrentis venæ fontem? Si reſumis naſcentis Societatis Jeſu inſtitutum, ſi ortus primævos ſectaris, ſenties lucidiſſimum gurgitem, plenum aquæ ſalientis in vitam æternam. Educam tibi in conſpectum primam Societatem Jeſu, & nunc latentes, obrutoſque terra, ſanctiores latices aperiam. Socii decem præeunte Beato Ignatio Pariſiis pietate & ſcientiis exculti, anno 1534. die Aſſumptæ Virgini Sacro, Martyrum montem unà conſcendunt, in purpurato illo ſolo, triumphantis Dionyſii Areopagitæ cruenta veſtigia relegunt, & ſub præſidio Deiparæ Virginis, in ejus ſacello, ad pulvinar ejus, ſeſe ſinguli victimam Deo placentem, flagrantibus cœleſtium votorum aris imponunt. Spondent ad ſalutem animarum, ſeſe Romano Pontifici æternùm obſequentes, abjiciunt ſpes omnes vitæ ſecularis, fluxas opes permanſuris poſtponunt opibus. Dant fatis curſum; advolant in Italiam; Venetiis, & Romæ pauló pôſt, conciones habent frequentes, mille ſcelerum feriunt & perimunt facies, interdicunt peſti impietatis; manus illa exigua orbi prodeſt univerſo, decernuntur provinciæ. In menſe ſeptimo anno Domini 1538. conſtituitur mutuo fœdere, inter Patres, Societas, ut conjunctis

adauctiſque viribus, in contrarias acies irruant, infenſos Chriſti, & Eccleſiæ deſertores, vel ad fidem revocent, vel in certamine ſuperatos conficiant. Paucas & ſapienter excogitatas Societatis regulas, communi omnium conſenſu, definiunt, quibus hæc parta & adjuncta Chriſto familia duceretur: ſtatuunt Profeſſionem ſui Ordinis unam, quatuor ſolemnibus votis comprehendi debere, paupertate, caſtitate, obedientia & fide exhibenda Summo Pontifici in ſuſcipiendis miſſionibus ad omnes mundi plagas, in quibus aliquid Chriſto lucrifacere poſſent. Probationem Scholaſticorum, qui promiſiſſent ſe in Societatem ingreſſuros ac diſciplinæ Societatis ſeſe dedidiſſent, Xenodochiis purgandis, profectionibus cum religioſa paupertate peragrandis, diuturna ac ſolitaria oratione, ſtudiis ad omnem modeſtiam compoſitis, perfici debere; quo tempore alumni duntaxat Societatis, & ſimplices Religioſi, votis tantùm ad Societatis beneplacitum aſtricti eſſent, ut ſi non ſe habiles ac perfectos præſtitiſſent, data facultate ad ſuos remitti poſſent. Statuunt præterea Generalem electum eſſe perpetuum oportere. Res omnes ex Patrum Profeſſorum pluribus ſuffragiis concludendas: paupertati Evangelicæ ſtudendum, ſolam animarum ſalutem inquirendam, nullis malis pro Chriſti nomine cedendum, vitæ exemplo ac ſanctitate, perverſos ad ſanam mentem reducendos. Ecce integrum primæ Societatis inſtitutum; nullus apud illos ſermo de Sacerdotum Coadjutorum ſtatu; de ſummo illo Superiorum imperio, ne ſuſpicio quidem ulla; de tam multis divitiis, de tam exquiſita Profeſſorum commoditate magnum ſilentium: Profeſſionem ordinis & virtutis omnes unam aſſequuntur, qui major eſt, ſicut qui miniſtrat: turpe eſt & indecorum, commodiora & faciliora munera captare, ſola pro ſuis meritis excellit virtus, & colitur.

Electus eſt Beatus Ignatius in Patrem; committitur illi clavus conſcendentis navis. Paulus III. magnæ Religioſorum claſſi Societatem adjungit, non aliud emicat in diſcriminante vexillo nomen, quàm æterni Regis

gis Jeſu Chriſti, ſubſidium Eccleſiæ, Dei peropportunum. Hinc illi manipuli, funditores, ſagittarii, qui de occupatis munitioribus locis, hæreſim digredientem affligunt, ſtrage & tranſverſis pilis, in veritatis manum adactam, convincunt imbecillitatis & criminis. Qua ſol inauguratus, ſuos reſalutat clientes, qua ſe nova adverſo globo commonſtrant ſidera, ubi terminus orbis, illic pandit iter Evangelicæ legi Societas. Succedite novis penatibus, non antea viſi hoſpites. Ite viri fortes, omne ſolum vobis patria, ſi non ſit inhoſpitum & inacceſſum Chriſto. Conſpicite cœlum evoluto cardine peregrino ſub æthere, magno diductum ambitu ac patens, illic ſpes dirigite veſtras, veſtros illic ſperetis honores. Traductum ſe putabat in numen & immortalitate donatum Ptolemæus, cùm de ſiderum curſu & conſtante circonvolutionum inconſtantia, aliquid ſpecularetur. Novi, inquiebat Rex ſapiens, morti me obnoxium, ſed cùm me ad ſe cæleſtium luminum contemplatio rapit, tum mihi videor cælum ferire vertice, aſſidere Jovi, extolli altiùs è terra, & ambroſiæ delitiis frui. Non aliter primi illi Jeſuitæ, deguſtant cæleſtis vitæ cognitionem atque uſum, ſic eos ut ſui imitatores Chriſtus allicit, ut Apoſtolorum more, non niſi in cruce Chriſti glorientur. Auſus eſt infeſtus ſequi per undas, & toto pergentibus ſeſe opponere ponto Maurus ille, tum gentilis, tum hæreticus, Typhæus, ſed nonne optato portu conditi ſunt? ſecuri pelagi, & mortis? Vertit ſe in omnia hæreſis, ut novo navigantes orbe prohiberet. Sed quid illæ cædes potuerunt, aut quas trahere, atque moras tantis addere rebus? Strenuam oportet fuiſſe primam illam Ignatii palæſtram, in qua tam fortes & animoſi apparuerunt milites, tam benè præparata ad virtutem pectora. Nonne hauſtos magna voragine Gentiles, & hæreticos, ad puritatem divini verbi, animatamque illuminante divino ſpiritu lucem advocarunt? Non alia arte quàm divina, non niſi conſiliis præſentis Dei, res tam arduas aggredi & tam incolumi virtute præſtare potuiſſent, effudit nimirum

hæc dona de ſuperis Deus, Societati ſuæ, ut ſanctâ inſtitutione confirmata, ſingularem in ſuo gradu virtutis præſtantiam obtineret.

Beati Ignatii Loyolæ converſio admirabilis.

PRodit trabeatus inter Patritios honoris paludamento Beatus Ignatius Loyola, Societatis Jeſu anteſignanus, qui de Chriſti ſapientia, de divini ſpiritus afflatu, ſimul cum decem Sociis Patribus concepit illud vitæ genus integerrimum, quo primùm ipſe præparatus & exercitatus, ad ſimilem gloriæ curſum multos provocavit, qui ſub eodem virtutis ſigno, eadem aggreſſione, non diſſimili pugna ac contentione, Chriſtum ducem conſecuti, cælo ſibi ſedem ac domicilium quæſiverunt. Aperuit ſe orbi Ignatius, hauſtæ divinæ virtutis vim egregiam patefecit. Vile latens virtus; quid enim demerſa tenebris proderit? Obſcuro veluti ſine remige puppis, vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus. Feliciter ceſſit inſtitutum opus.

Quis eum deprimet quem ſua manu feret Deus? Non difficili, quem vult, ducit ac promovet via. Progreditur duce Deo, cui ſe ſacræ militiæ juramento obſtrinxerat Ignatius, non ullo retinetur labore, nec ſibi, nec virtuti parcit ſuæ, quis obſtet ſanctè & fortiter volenti? Jam non inſervit Cæſari Frederico III. nec Ferdinandi Hiſpaniarum Regis purpuræ ac lateri adhæret; dat manus armis Gallicis, captus inexpugnata à Francis Navarræa Pompeïopoli, humanitatem Francorum experitur, qui nihil exigunt, ſed immunem ad ſuos ire permittunt. Ad Chriſtum Regem, è Francorum exercitu redux, aſpirat. Statim duo illa videt Eccleſiæ fulmina, Petrum & Paulum, terretur oſtento, ſequitur oſtenſum lumen, aliis gaudet armis, ſacro ſub nomine bellum parat. Non per legatos, non prima per artem tentamenta ducis, pepigit ſeſe ipſe, ſuumque objecit caput, & ſupplex ad limina venit,

nit, fortia ſunt bello pectora, ſunt animi; firmat in monte Serrato propoſitum, Virgo Deipara, Angelorum atque hominum lucentiſſimum ſidus, exuperanti ſplendore illucet Ignatio, & qua vincendum eſſet, rutilum inſonuit. Accurrit Hieroſolymam, inde Hiſpaniam repetit, quo ſpiritus vocat pergit indefeſſus, non mora, non requies, urget diem nox & dies noctem, nullum pectus à labore reclinat otium. Qui Francum victorem ſenſerat, eundem præceptorem eligit, maximam orbis petit Pariſiorum urbem; non illum marmoreæ moles, nec Regis magnificentia traxerat. Sinit Auguſtum recumbentem, purpureo bibere ore nectar, ſola invitat orbis univerſi ſolemnis univerſitas, Athenæ Pariſiorum; aliqua pars orbis, doctum eloquentes adit magiſtros, his ductus principibus, ignorantiam fugit, qui feliciter antè vitiorum evitaverat Acheronta. Ætate grandis incumbit in literas; non falſi honoris ſplendore objecto, qui boni ingenii ſui aciem perſtringeret, ſed ſcientiarum ſtudio, quibus ut alios excelleret, ſe ipſum primùm excultum cupiebat. Invidit dæmon Ignatio, aggredientem perdere voluit, ſed ipſe redegit in veros timores fatale monſtrum; præſagiit nimirum virtutis & fidei hoſtis contaminatus, magnum comportari fortitudinis irrupertæ aggerem, ſuis exitium viribus. Ut Socios ad Deum convertit? Ut Jeſum faventem Romæ habuit? Ut paupertatem adamavit? Ut Summo Pontifici obedientiam reddidit? Ut ſe ſuaque omnia contempſit? Ut minimam, quam ipſe vocabat, Societatem ad virtutem promovit? Ut Romæ ſingularem charitatem exercuit? Ut per ſuos hæreſim toto orbe debellavit? Ut ſanctè & religioſè obiit? Teſtata miraculis viri ſanctitas: Beatum Pontifex appellavit. Quis memoriam ejus? Quis honorem meritò impugnet? Fruere Chriſto, Beatiſſime Pater, & tuæ Societati provide, cujus redintegrationem cupimus, primos mores deſideramus, ne diutius præter religioſam mentem tuam, tua inſtituta ſecus interpretentur, ac ſervent.

Præſentem Societatem à prima ſua inſtitutione in aliam declinaſſe.

RESpublica Romana, à Conſulibus ad Decemviros, rurſum à Decemviris ad Conſules rediit; ab uno Dynaſta, Athenienſes excuſſerunt jugum, ut ſibi ſui rurſus præeſſent. Hunc recurſum præſens Societas Jeſuitarum exquirit, quo uſque (inclamant Patres) exulem patiemur ſacram Themidem? Quouſque à nobis peregrinabitur prima Societas? Verine ſumus an afficti Jeſuitæ? Si veri, cur primis diſſimiles ſumus? Una erat prima Societas, unis votis, una ſolemnitate, una profeſſione, nunc duplex: illi profitentur ſe profeſſos, & eminent; iſti diffitentur, & ſubjacent: illi ſolennes ſunt religioſi, iſti ſimplices. Duces ſunt illi, & regunt: Coadjutores ſunt iſti, & ſerviunt: illi coluntur ut domini, iſti deſpiciuntur ut ſubditi; habentur illi, in Collegiis, ut Senatores, iſti ut Plebæi; illis obligatur, ac debet ſe ipſam Societas, iſti ſe ipſos Societati obligant, nec tamen illis obligatur Societas, nihil promittit: ſuaviter illi monentur ut Socii, ſi quid peccent, ſeverè dimittuntur iſti ut aſcripti clientes, ſi quid oberrent: ſplendidè illi in congregationibus vivunt, & lautis excipiuntur menſis, parcè iſti, in collegiis, & communibus paſcuntur cibis: commoda ferunt illi viatica, dum peregrè mittuntur, equis & rhedis feruntur, iſti ſubſidiaria pecuniola, & ære leves, ire jubentur, ſarcinulis onuſti, & pedites itinera carpunt: ſi quid facile ac molle eſt, hoc illis molitur, ac mollitur, iſtis, ſi quid durum ac difficile cudendum ac tundendum, imponitur. Ubi prima Societas? In qua eodem omnes Religionis gradu ac voto, Profeſſi, mirifica ac ſingulari charitate intenti, tunc ſe beatos putabant, cum ſuis fratribus pauperiores ac dejectiores eſſent, cùm durioribus clavis in cruce confixi, cùm ſitim, frigus, inediam, nuditatem, ad fratres redimendos perferrent? Abiiſtis in cœlum Ignatii, Xaverii, qui veſtris corporibus infenſi, aſpera quæque patiebamini

ut

ut fratribus veſtris commodè eſſet. Aliis præcipiebatis temperata, ac non difficilia, vobis importuna, ac vix ferenda tenebatis, nuſquam hilares, nuſquam contenti, niſi in laboribus ſuprà modum, ſemper orantes, ſemper attenti, ne veſtri fratres ſupra modum urgerentur. Quis nunc in Societate tutus, ſi Superiorem adverſum habuerit? Quis tranquillè degere poteſt, ſi tempeſtates excitet Rector? Quis rectâ ire, ſi cornu ferit? Non habet collegam Superior, abrogata eſt collateralis poteſtas, qui ſævientem poterat coercere, ſuffragiis vis omnis adempta, omnis poteſtas in Dynaſtia Superiorum includitur, nihil conſultores ratum faciunt, verbo ac mente Superioris ſtant & cadunt omnia. Si vafer ſit Superior, quem non deludet? Si præceps, quem non offendet? Si tectus, cui non cavendus? Si levis, quem non avertet? Nullus excandeſcat, nemini convitium facio, juſtis ac bonis ſua ſit laus, virtutem amplector & ſuſpicio, vitiis ſecurim injicio. Quis Superiores aliquos neſciat hac ſumma poteſtate abuti poſſe? Cur tot querelæ emergerent? Cur tot ſupplices libelli? Cur tam crebræ vituperationes? Cur tam multi iſtorum hominum, frementibus iris, è Societate abacti? Quos tamen omnes Ordines amant, & optimi quique in cœlum laudibus vehunt. Cur tot accuſationes, ſi non jam aliqui rei tenerentur, ſi modeſtiæ fines nulli tranſiliiſſent? Quid audentes facit? Impunitas. Quid præpotentes? Dictatura. Quid ſecuros? Cæterorum infirmitas. Quid fortes? Imperium. Quid inclementes? Pertinacia. Quid imperterritos? Enervata ſuffragia. Nihil in prima Societate ſimile viſum eſt, cùm ſuffragiis cohiberentur Superiores, nihil incompoſitum, aut iniquum Patres animadverterint. Si quid immineret periculi, conſpirantibus animis è veſtigio propellebant. Si quem vexatum conſpiceret, non ſinebant extrema pati, ereptum moleſtiis, paci reſtituebant ſuæ, & religioni ſervabant, æquâ juſtitiæ lance ponderabantur omnia, nulli, ſi non propria ſtultitia procrearet, malum accerſebatur. Hæc inter privatos parietes. Quid ſi externa referam? Si

auſim compellare Xaverium, ut ſanctitate ſua pudorem injiciat? Nihil de paupertate, nihil de laboribus, nihil de manſuetudine, nihil de religioſo in ſocios amore, nihil de viſceribus charitatis, quæ omnia in illo commendatiſſima fuerunt. Sed audiant quis erga Epiſcopos fuerit, nonne ut ſubditus obſequebatur? Nonne prehenſabat genua? Nonne ſingulari cum modeſtia, facultatem poſcebat prædicandi verbum Dei? Nonne ſociis hoc præſcribebat, ut Epiſcoporum dicto audientes eſſent, ut nihil niſi probantibus ac benedicentibus illis aggrederentur, cum omni hominum genere ſimplices ac ſinceri viverent? Summos & imos, æquè tenues, divites, nobiles, ac ignobiles, pari charitatis lege, ad viam ſalutis, ad regnum Dei adhortarentur? Nunc verò quis Epiſcopis honor redditur à Jeſuitis? Urgent ſummum Pontificem, ut ab eorum ditione vindicentur, jura nova extorquent, quibus, ajunt, ſe ſine Epiſcoporum approbatione ac benedictione conſcendere pulpita, conciones habere, ſuſcipere pœnitentes ad abſolutionem peccatorum, ampla cum legatione, ac poteſtate, ſolvenda ab Epiſcopis crimina diſſolvunt. Pontificium exercent pœnitentiæ tribunal. Clemens VIII. providentiſſimus Pontifex, hoc ſatis intellexit, cùm Societati prohibuit in Italia, ut ne ulli ex Sociis Confeſſiones exciperent, ſine ſuorum Epiſcoporum facultate, nulli de caſibus ab Epiſcopo reſervatis abſolverent, nulli per Epiſcopum excommunicatos, Eccleſiæ communioni redderent: Privilegia vel revocavit, vel diminuit. Quomodo ſubſunt Epiſcopis, quos ut Patres ac judices ſuos recuſant? Quibus occludunt januas, ſi mores explorare, ſi domeſticæ diſciplinæ ordinem introſpicere, ſi monere velint, ſi emendare, ſi ad ſuam ædem pro majori cultu divini numinis advocent, ſi uti illis ad divina miniſteria cogitent. Novit illuſtris admodum ac reverendus Epiſcopus Carpentoratenſis, Caponius, Florentinus, quoties appellaverit ſuos Jeſuitas, ut cùm novos Sacerdotes conſecraret, aut ſolemnioribus feſtis ſacrum faceret, ſibi præſentes habitu clericali aſſiſterent; quoties

id

id ſe non poſſe objecerint, petenti nuntium remiſerint.

Sicut prima Societas unam charitatem, unam profeſſionem, unam vitæ ſanctitatem, ita unam Eccleſiæ ſanctæ conſuetudinem, unam Epiſcoporum obſervantiam, unam cum omnibus religioſis unitatem, ac conjunctionem, jus unum Religionis amplectebatur. Quis non clamet Jeſuitis? Induimini Chriſtum, ſicut induerunt Patres veſtri, vivite recti ac boni, eundem reſumite ſpiritum. Concionamini, gratiſſimum eſt, quis non vos amet? Conſolamini pœnitentes, quis non laudet? Adoleſcentes inſtituitis? Sanctè & egregiè factum. Hæreticos confunditis? Pergite, vincetis. Deus pugnabit prælia veſtra. Sed quis domeſticæ veſtræ ambitionis conſilia probet, quam ut fulciretis, Coadjutorum Sacerdotum gradum, præter Ignatii mentem, compoſuiſtis, quos veſtræ Societatis levis armaturæ milites, & quaſi velites, facilè ſacramento exolvendos de induſtria facitis, ut per illorum tenuitatem, abjectionem, conditionem, denique inſtabilem profeſſionem erigatis? Cur veſtram Societatem comminuitis? Cur tot indoctis, & imperitis obſcuram redditis? Cur Eccleſiæ Dei, hujuſmodi religioſos paratis, quos veſtræ profeſſionis indignos judicatis? Cur non omnes veſtros Sacerdotes, ut poteſtis, ut commodiſſimum ac facillimum vobis eſt, ad unam profeſſionem, iiſdem armis, eadem virtute, eadem ſcientiæ via inſtituitis? adornatis? Cur Pii V. de hac re decretum extinxiſtis? Cur primorum Patrum veſtrorum exemplum contemnitis? Qui ut omnium animos religioni connecterent, eadem ſtudia, eadem amoris ac profeſſionis vincula proponebant, qui nullum ferre poterant, quem non idoneum, ac factum, ad hanc unam votorum ſollennitatem comprobaſſent. Hinc ardor omnium communis, unum opus, una contentio, ut Chriſto frugem aliquam facerent, ut Eccleſiæ non infructuoſè operarentur. Nemo ſe ipſum, nemo profeſſionem illam veſtram, diſſimulatione, contentione, & mirificis illis artibus venabatur. Non hoc erat adhuc territamentum, quo integræ virtutis & eruditionis religioſi

ligioſi, non juſtè à ſuperioribus dejiciuntur, ſi quid miſerabile perſuaſerit invidia, vel impos mentis, alicujus exarſerit impotentia. Quid tam inviſum in prima Societate, quàm ſupremus iſte paucorum dominatus? Qui ad dignitates provecti, cùm ex voluntatis ſuæ ductu omnia meditentur, & faciant, eos tantùm promovent, qui ad ipſorum mores ſeſe totos componunt, qui ne tranſverſum quidem unguem à nutu diſcedere, qui placere, qui capiti pulvinum ſubjicere, qui cubicula quaſi beatas ſedes inviſere, qui omnia clientium officia noverint exhibere? Quid minus religioſum, quàm velle coli? Quid tam factum ad faſtum, quàm encomia, acroamata, libenter audire? ſui obſervantes extollere? honores honoribus remunerare? odia malefactis explere? ultione delectari? Quid aliud videre licet in aula principum? Quas alias artes didicerunt ii, de quibus Chriſtus ait, qui in domibus regum ſunt? Reſumite ſuffragia, unus regat Senatus religioſus, non unus, ſed unitas patrum, non una ſed unanimis voluntas: plus vident oculi, quàm oculus; plures manus fortiores: ſpiritualis iſta tam abſoluta poteſtas, in ſola Sede Apoſtolica & Eccleſia à Deo conſtituta eſt. Nihil moveret Rector, nihil tentaret ab æquitate diſſentaneum, nihil quod grave eſſet, Sociis imponeret, ſi Sociorum expectarentur ſuffragia. Si Superiorum electio ab his votis penderet, frigerent aulicæ illæ affectationes, contemnerentur inania illa obſequia, aſtus omnis & induſtria, vilibus tantùm animis inſiſterent. Multi ex fortunatis illis Superioribus, quos potentiorum favor unus erexit, quos artes ſuæ ad celſos gradus extulerunt, jacerent in pulvere, imis ſubſellis ſubſiderent, vix aditum ad infima munia reperirent. Suas illi decoquerent iras, non impellerent tam crebris moleſtiis, obſiſtentes adverſus cupiditates ſuas religioſos, continerent ſe, ne Patrum ſuffragiis fracti, pœnas in propria capita contorquerent. Quod bonum orbi! Nonne illucebit pulcerrimus ille dies quo renaſcentem primam Societatem intueri licebit! quo Patres antiquiores ſibi reddi præteritos annos gratulabuntur! Decernat Pontifex, procurent Epiſcopi, ſuis in regnis imperent Reges, Reſpu-

blicæ

blicæ ſtatuant, inſeratur Societati primus Societatis ſpiritus: firmitas religioſis reddatur, ſolenni profeſſione: modeſtia, ſuffragiorum authoritate: juſtitia, plurium & optimatum gubernatione: charitas, una votorum, ſtudiorum, ac conſiliorum communicatione. Non eſt antiquanda Societas, ſed renovanda, non fulmine percutienda, ſed ſua luce illuſtranda. Quis obductam caligine hanc lucem velit? quis obtectum & oppreſſum ampliſſimum ordinem? Nullus condemnet Theophilum, ſi hoc peroptet, vel divum Bernardum inſectetur, qui ſuæ familiæ religioſos, & externos, Epiſtolis, & adhortationibus ſevera reprehenſione plenis commonefacit. D. Bernardum dilaceret ille, qui ſummo Pontifici Eugenio non parcit, qui vitia aperit, ut avellantur, pericula deſignat, ut evitentur; nec tamen exiſtimavit ſe ulla infamia, vel ſuos religioſos, vel curiam Romanam aſpergere: divum Gregorium Nazianzenum diſcerpat ille qui Epiſcopos ferme religioſos omnes, & ex cœnobiis ad Epiſcopatus abſtractos, juſtiſſimis aculeis pungit, ut ſentiant: armata oratione, huc illuc verſat, ut ad ſe redeant, ut perverſis moribus renuntient. Ne dentem infigas, quiſquis eris in Palamedem Vlyſſes. Certè ſi verus Jeſuita, ſi Loyolæus, vera, ſana, atque utilia præponenti, nunquam ſuccenſebis, nec alios, quàm diſſimiles Beatis Ignatio & Xaverio, vita, ac moribus homines, verberari cenſebis.

Præſentis Ordinis Jeſuitarum Gradus & Jura, & ejuſdem ad primum inſtitutum reformatio ac reductio petitur.

NOn omnes eodem jure potiuntur, qui in hac Societate ſunt, non eodem titulo Religioſi. Alii Scholaſtici, alii Sacerdotes Coadjutores ſpirituales nuncupati, alii Coadjutores Laici. Alii Profeſſi ſunt. Hæc eſt Scholaſticorum ſors. Poſt duos novitiatus annos, tribus, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ votis obſtringuntur, quæ ſimplicia ſecundùm Societatis conſtitutiones emittuntur: hæc vota devinctos tenent, quamdiu

diu Societati placet. Scholaſticos ſuos Societas, ſi velit, dimittet, & non ob grandes cauſas. Quartum inſuper addit votum Scholaſticus, nempe ſe ingreſſurum in Societatem; eſto enim, per biennium, in novitiatu fuerit, nondum tamen de Societate eſt, in quam ſe pollicetur ingreſſurum. Quamvis parentibus valedixerit, Clericali Jeſuitarum habitu veſtitus, inter ipſos degat, ſtudeat, doceat, concionetur, nondum tamen ingreſſus eſt Societatem, cui ſe mancipavit, & in quam admiſſum ſe iri ſperat. Nihil enim illi aliud præter ſpem: fidecia ac ſecuritas nulla, ſi recuſet Societas. Ad nutum, Scholaſtici obedire debent, non utuntur quidem bonis ſuis, ſuaque re paterna, domini tamen ſunt patrimonii ſui, & jus in illud integrum retinent, (adhuc enim periculoſum curſum ſtudiorum tenent) in quo ſi quid adverſum incidat, repelli poſſunt à Societate, & ad ſuos dimitti. Probantur in hoc gradu diutiſſimè: & ad arbitrium Superioris, vel eriguntur, vel jacent: non eſt Sacerdotium, hujus exercitationis meta, ſed probationis indicium: quidquid laboret, valeatve Scholaſticus, nullum ſuffragii jus habet, niſi Rector ſit conſtitutus, ſive literas humaniores, ſive Philoſophiam, ſive Theologiam docuerit, egens, & nulla impenſi laboris habita ratione amandari poteſt. De illo gradu tenetur ad alium progredi, ſi eum Generalis admittere velit. Toto quo ſunt Scholaſtici tempore, non debent ſe Societatis Patres, ſed Societati devotos, atque obligatos profiteri, viceſimum triceſimumve numerent licèt à prima admiſſione vertentem annum, adhuc quaſi in prætexta ſunt, & facta per Superiores dimiſſione, ſæculares eſſe poſſunt. Ne miremur deinceps tam multorum è Societate exitum: hac enim lege admittuntur, ut à Societate dimitti poſſint, & ad ſæcularem vitam reduci, ſive inviti, ſive volentes: nec curæ eſt Societati, quid inde conqueſtionis ſucclament familiæ, nec intereſt, quod inde in multos gravis offenſio incurrat. Sic enim præeſt Societas ſuis, ſicut clientibus domini, quos, cùm videtur, à ſe repellunt: ita ſuos tum Scholaſticos, tum Coadjutores, Socie-

cletas rejicit. Ubi ſatis emeriti ſunt, & laboribus fracti Scholaſtici, vel fiunt Coadjutores ſpirituales, vel Profeſſi.

Ecce tibi, Coadjutoris ſpiritualis jura: Coadjutor ſpiritualis declaratur non aptus, & inhabilis ad Generalis & Provincialis dignitatem, nulli congregationi, niſi alio titulo intereſſe poteſt. Tria vovet, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota ſimplicia, quibus Societati ſe totum tradit, non tamen paciſcitur cum illo Societas quidquam, ſed jus integrum ſibi reſervat, ſicut in Scholaſticorum votis, ut ſi ipſa velit, abſolvere poſſit à votis, & ad ſæcularem ſtatum remittere: ne obolum quidem pro remuneratione operæ impenſæ, aut pro alimentis, dimiſſis ſacerdotibus tenetur ſubminiſtrare: ſtatutum eſt enim Sacerdotes hujuſmodi inſtitutos eſſe, ad titulum paupertatis, non profeſſæ quidem, neque ſtabilis, ſed quam ſcilicet ſervare coguntur, & ſervant, ſi dimiſſis, nihil patrimonii, vel ſubſidii, vel aliunde ſuppetat: ſi divites fundos habeant, & æs aliquod, à paupertate exempti ſunt. Novæ & inſolitæ, in ſacerdotum ordinatione, non ab Epiſcopis, non à Conciliis, aut Pontificibus, receptus paupertatis titulus. Sic figitur Coadjutor ſpiritualis: cui dulce ſit oportet, aliorum ſervire voluntati, & omnia perferre: ne ſi jus ſuum proſequatur, vel extra Societatem abire compellatur, vel ſe in difficile, ac faſtidiis implicatiſſimum vitæ genus demergat. Hic Sacerdos Societatis Coadjutor, non eſt religionis Socius, niſi aſcititius, (ſi à Julio ſummo Pontifice exſcripta diſcrimina retinenda ſunt.)

Ultimò, Profeſſi creantur, qui ſollemnia non ſimplicia (debet hoc animadverſum eſſe maximum diſcrimen legenti) paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota emittunt: tum quartum addunt obedientiæ præſtandæ ſummo Pontifici, ad miſſiones. Hi Profeſſi, Societati ſeſe obligant, & quia ſollemnibus votis, & non ſimplicibus ſeſe obligant, hæc viciſſim vota recipit Societas, & contractu mutuo, ſeſe Profeſſis ſuis obſtringit. Non poſſunt illi ad ſæcularem vitam remit-

mitti: firmo & conſtanti ſunt in ſtatu: nec niſi ex privilegio Gregorii XIII. in alium Ordinem religioſum à Generali, ſumma cum difficultate, aut certè volentes expelli poſſunt. Societatem illi adminiſtrant: ſoli Generalis, ac Provincialis munus obeunt. Jus habent ſuffragii ferendi, tum in Generali, tum in Provinciali congregatione. Sunt & alii Profeſſi, quos trium votorum appellant, ſecuri quidem ſui ſtatus, & à dimiſſione exempti, ſed ſuffragiorum inanes, & à primis dignitatibus excluſi.

Hæc convictus ratio. Scholaſticis, & Sacerdotibus Coadjutoribus protrita, ac vilia quæque ſervantur, Profeſſis præſtantiora ac ſelectiora: Profeſſis redduntur obſequia, aliis mandantur imperia: Profeſſis, qui ex inſtituto pauperiores, & dejectiores eſſe deberent, lucidiora & ſublimiora conceduntur, aliis, quibus obligatio minor, nec tam multa vota, graviora onera, moleſtiores curæ, & obſcuræ, imperantur.

Non ſic factum in prima Societate: quam reſtituendam aſſero, in qua ut Ribadeneira refert in vita Ignatii lib. 2. c. 13. & profeſſio una ſancita eſt, & ſuffragiorum vigebat authoritas, & duobus tantùm gradibus, Scholaſticorum ac Profeſſorum; tota Societas comprehendebatur. Scholaſtici ut tyrones, toto ſtudiorum tempore probari debebant: Societatis tantùm alumni & candidati habebantur: Profeſſi ut probati, pari lege, & eadem conditione, cum cæteris Ordinibus religioſis, Ordini ſuo vacabant, ac divino cultui inperpetuum inſervibant. Nulla de Coadjutorum ſacerdotum inſtabili ſorte præſcriptio, & nullus de illorum aſcriptitia, & rejectitia conditione ſermo: quæ Epiſcopis gravis, familiis dura ac non ferenda: ipſi Societati, quæ tam multis imperitis, & rudibus ſua profeſſione indignis impletur, nec utilis, nec neceſſaria eſt. Inſeram hic authenticum Primæ Societatis Jeſu inſtitutum, ipſo decem Primorum Patrum ſtylo expreſſum, & Paulo III. Summo Pontifici anno 1540. propoſitum.

PAULI

PAULI III.

PRIMA PRIMI INSTITUTI SOCIETATIS JESU APPROBATIO.

Cum reſtrinctione numeri ad perſonas ſexaginta duntaxat.

ANNO M. D. XL.

PAULUS EPISCOPUS *ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini Militantis Eccleſiæ, meritis licèt imparibus, diſponente Domino præſidentes, & animarum ſalutem, prout ex debito paſtoralis & officii tenemur, ſolicitis ſtudiis exquirentes, fideles quoſlibet, qui vota ſua in id exponunt, Apoſtolici favoris gratia confovemus, aliaſque deſuper diſponimus, prout temporum & locorum qualitate penſata, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem accepimus, quòd dilecti filii, Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, ac Jacobus Laynez, necnon Claudius Jajus, & Paſcaſius Broet, ac Franciſcus Xavier, necnon Alfonſus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Joannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla, presbyteri Pampilonen. Gebennen. Seguntin. Toletan. Viſen. Ebredunen. & Palentin. civitatum, & diœc. reſpectivè, in artibus Magiſtri, in Univerſitate Pariſienſi graduati, & in theologicis ſtudiis per plures annos exercitati, Spiritu ſancto, ut piè creditur, afflati, jamdudum è diverſis mundi regionibus diſcedentes, in unum convenerunt & Socii effecti, abdicatis hujus ſeculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini noſtri Jeſu Chriſti, atque noſtro & aliorum ſucceſſorum noſtrorum Romanorum*

rum Pontificum ſervitio dedicarunt, & jam quam pluribus annis laudabiliter in Vinea Domini ſe exercuerunt, verbum Dei prævia ſufficienti licentia publicè prædicando, fideles privatim ad benè beatèque vivendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, hoſpitalibus inſerviendo, pueros, & perſonas rudes ea, quæ ad Chriſtianam hominis inſtitutionem ſunt neceſſaria, & docendo, & demum omnia caritatis officia, & quæ ad animarum conſolationem faciunt ubique terrarum, ubi peregrinati ſunt, multa cum laude obeundo. Cùmque ad hanc almam urbem ſe contulerint, & in caritatis vinculo perſiſtentes ad perficiendam, & conſervandam eorum Societatis in Chriſto unionem, quandam vivendi formulam, juxta ea, quæ ad propoſitum ſibi finem conducere uſu didicerunt, evangelicis conſiliis, & canonicis Patrum *ſanctionibus conformem ediderint, factum eſt, ut ipſorum Sociorum vitæ inſtitutum, ſub dicta formula comprehenſum, non ſolùm à multis probis viris, & Deum zelantibus laudetur, verùm etiam à quibuſdam ita approbetur, ut illud etiam ſequi velint. Formulæ autem prædictæ tenor ſequitur, & eſt talis. Quicunque in Societate noſtra, quam Jeſu nomine inſigniri cupimus, vult ſub crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino, atque* Romano Pontifici *ejus in terris Vicario ſervire, poſt ſolemne perpetuæ caſtitatis votum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis, ad hoc potiſſimùm inſtitutæ, ut ad profectum animarum in vita, & doctrina Chriſtiana, ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & verbi Dei miniſterium, ſpiritualia exercitia, & caritatis opera, & nominatim per puerorum, ac ridium in Chriſtianiſmmo inſtitutionem, ac Chriſti fidelium, in confeſſionibus audiendis, ſpiritualem conſolationem præcipuè intendat, curetque primò Deum, deinde hujus ſui inſtituti rationem, quæ via quædam eſt ad illum, ſemper ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis viribus aſſequi, unuſquiſque tamen ſecundùm gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & vocationis ſuæ proprium gradum, ne quis fortè zelo utatur, ſed non ſecundùm ſcientiam. Cujus proprii cujuſque gradus judicium, & officiorum diſ-*

diſcretio, ac diſtributio tota ſit in manu Præpoſiti ſeu Prælati, per nos eligendi, ut congruus ordo ſervetur, in omni benè inſtituta communitate neceſſarius. Qui quidem Præpoſitus de conſilio conſociorum, Conſtitutiones ad conſtructionem hujus propoſiti nobis finis conducentes in conſilio condendi auctoritatem habeat, majori ſuffragiorum parte ſemper ſtatuendi jus habente. Concilium verò intelligatur eſſe, in rebus quidem gravioribus, ac perpetuis, major pars totius Societatis, quæ à Præpoſito commodè convocari poterit: in levioribus autem, & temporaneis, omnes illi quos in loco, ubi Præpoſitus noſter reſidebit, præſentes eſſe contigerit. Jubendi autem jus totum penes Præpoſitum erit. Sciant omnes Socii, & non ſolùm in primis profeſſionis ſuæ foribus, ſed quoad vixerint, quotidie animo volvant, Societatem hanc univerſam, & ſingulos ſub ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum ſucceſſorum ejus fideli obedientia Deo militare. Et quamvis Evangelio doceamur, & fide orthodoxa cognoſcamus, ac firmiter profiteamur, omnes Chriſti fideles Romano Pontifici, tanquam capiti ac Jeſu Chriſti Vicario ſubeſſe; ad majorem tamen noſtræ Societatis humilitatem, ac perfectam uniuſcujuſque mortificationem ſummopere conducere judicavimus, ſingulos nos, ultra illud commune vinculum, ſpeciali voto aſtringi, ita, ut quidquid modernus, & alii Romani Pontifices, pro tempore exiſtentes juſſerint, ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcunque Provincias nos mittere voluerit, ſine ulla tergiverſatione, aut excuſatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, ſive miſerit nos ad Turcas, ſive ad quoſcunque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes: ſive ad quoſcunque hæreticos, ſeu ſchiſmaticos, ſeu etiam ad quoſvis fideles. Quamobrem qui ad nos acceſſuri ſunt, & antequam huic oneri humeros ſupponant, diu, multumque meditentur, an tantum pecuniæ ſpiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta conſilium Dominicum poſſint conſommare: hoc eſt, an Spiritus ſanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, ſe laturos

 ſpe-

ſperent: & poſtquam Domino inſpirante, huic Jeſu Chriſti militiæ nomen dederint, die noctuque ſuccincti lumbos, & ad tam grandis debiti ſolutionem prompti eſſe debebunt. Ne qua autem poſſint eſſe inter nos miſſionum, ac provinciarum hujuſcemodi, aut ambitio vel detractatio, profiteantur ſinguli, ſe nunquam directè, aut indirectè, de hujuſmodi miſſionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos: ſed omnem hanc curam Deo, & ipſi Pontifici tanquam ejus vicario, & Societatis Præpoſito dimiſſuros. Qui quidem Præpoſitus, ſicut cæteri, etiam profiteatur, ſe nihil de ſuimetipſius miſſione in alterutram partem, niſi de Societatis conſilio, cum dicto Pontifice *eſſe curaturum. Voveant ſinguli ſe in omnibus, quæ ad* Regulæ *hujus noſtræ obſervationem faciunt, obedientes fore Societatis Præpoſito. Ille autem jubeat ea, quæ ad conſtructionem propoſiti ſibi à Deo, & à Societate finis cognoverit eſſe opportuna. In prælatione autem ſua benignitatis ac manſuetudinis, caritatiſque Chriſti, Petri Paulique formulæ ſemper ſit memor: & tam ipſe, quàm Conſilium ad normam hanc aſſiduè ſpectent, & nominatim commendatam habeant inſtitutionem puerorum, ac rudium in Chriſtiana doctrina decem præceptorum, atque aliorum ſimilium rudimentorum, quæcunque ſecundùm circunſtantias perſonarum, locorum, ac temporum, illis congrua videbuntur. Eſt enim maximè neceſſarium, circa providentiam hujus rei diligenter* Præpoſitum, *& Conſilium invigilare, cùm & in proximis ædificium fidei ſine fundamento non poſſit conſurgere, & in noſtris periculum ſit, ne, ut quiſque erit doctior, ita provinciam hanc, tanquam primo aſpectu minus ſpecioſam, forſitan detractare conetur: cùm tamen revera nulla ſit fructuoſior, vel proximis ad ædificationem, vel noſtris ad caritatis, & humilitatis ſimul officia exercenda. Subditi verò tum propter ingentes ordinis utilitates tum propter nunquam ſatis laudatum humilitatis aſſiduum exercitium, Præpoſito in omnibus ad inſtitutum* Societatis *pertinentibus parere ſemper teneantur, & in illo Chriſtum, veluti præſentem, agnoſcant, & quantum decet, venerentur. Cùm autem experti fuerimus jucundiorem, puriorem, & ad proximi ædificationem*

aptio-

aptiorem eſſe vitam ab omni avaritiæ contagione quàm remotiſſimam, & evangelicæ paupertati quàm ſimillimam, cùmque ſciamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſervis ſuis regnum Dei ſolùm inquirentibus neceſſaria ad victum & veſtitum eſſe ſubminiſtraturum, voveant ſinguli & univerſi perpetuam paupertatem, declarantes, quòd non ſolùm privatim, ſed neque etiam communiter poſſint pro Societatis ſuſtentatione, aut uſu, ad bona aliqua ſtabilia, aut ad proventus, ſeu introitus aliquos, jus aliquod civile acquirere: ſed ſint contenti uſum tantùm rerum ſibi donatum ad neceſſaria ſibi comparanda recipere. Poſſint tamen habere in univerſitatibus Collegium, ſeu Collegia habentia reditus, cenſus ſeu poſſeſſiones, uſibus, & neceſſariis ſtudentium applicandas: retenta pènes Præpoſitum, & Societatem omnimoda gubernatione, ſeu ſuperintendentia ſuper dicta Collegia, & prædictos ſtudentes, quoad gubernatoris, ſeu gubernatorum, ac ſtudentium electionem, ac eorundem admiſſionem, emiſſionem, receptionem, excluſionem, ſtatutorum ordinationem, circa ſtudentium inſtructionem, erudificationem, ædificationem, ac correctionem: victus, veſtituſque eis miniſtrandi modum atque aliam omnimodam gubernationem, regimen, ac curam; ſic tamen, ut neque ſtudentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios uſus convertere poſſit, ſed ſtudentium neceſſitati ſubvenire. Qui quidem poſt cognitum in ſpiritu, & litteris eorum profectum, & poſt ſufficientem probationem, in Societatem noſtram admitti poſſint, Socii omnes quicunque in ſacris fuerint, quamvis beneficia Eccleſiaſtica, aut eorum reditus non habeant, tenantur tamen ſinguli privatim, ac particulariter, & non communiter, ad dicendum officium ſecundùm Eccleſiæ ritum. Hæc ſunt, quæ ſub præfati Domini noſtri Pauli, & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, de noſtra profeſſione, typo quodam explicare potuimus. Quod nunc fecimus, ut ſummatim ſcriptione hac informaremus, tum illos, qui nos de noſtro vitæ inſtituto interrogant, tum etiam poſteros noſtros, ſi quos, Deo volente, imitatores unquam habebimus hujus viæ, quam cum multas magnaſque habere annexas difficultates fuerimus

rimus experti, opportunum judicavimus etiam ſtatuere: ne quis in hac Societate recipiatur, niſi diu ac diligentiſſimè fuerit probatus: cumque prudens in Chriſto, & vera doctrina, ſeu vita Chriſtianæ puritate apparuerit conſpicuus, tunc demum admittatur ad Jeſu Chriſti militiam, qui tenuibus cœptis noſtris favere dignetur ad gloriam Dei Patris, cui ſoli ſit ſemper decus, & honor in ſecula, Amen. Cùm autem nil in præmiſſis reperiatur, quod pium non ſit, aut ſanctum, Nos, ut iidem Socii, qui nobis ſuper hoc humillimè ſupplicari fecerunt, in eorum piè vivendi propoſito, eo promptiores exiſtant, quo ſe majori ſedis Apoſtolicæ gratia complecti cognorint, & præmiſſa per nos approbari viderint, præmiſſa omnia, & ſingula tanquam ad ſpiritualem profectum eorundem Sociorum, & reliqui Chriſtiani gregis opportuna, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ex certa ſcientia approbamus, confirmamus & benedicimus: ac perpetuæ firmitatis munimine roboramus, ipſoſque ſocios ſub noſtra, & hujus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus: Eis nihilominus concedentes, quod particulares inter eos Conſtitutiones, quas ad Societatis hujuſmodi finem, & Jeſu Chriſti Domini noſtri gloriam ac proximi utilitatem conformes eſſe judicaverint, condere liberè, & licitè valeant. Non obſtantibus generalis Concilii, & felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris noſtri, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem quòd in Societate hujuſmodi, uſque ad numerum ſexaginta perſonarum, Normulam vivendi hujuſmodi profiteri cupientium, & non ultra admitti, & Societati præfatæ aggregari duntaxat valeant. NULLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, benedictionis, roborationis, ſuſceptionis, conceſſionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XL. Quinto Kal. Octob. Pontificatus noſtri Anno ſexto. Blo.

Anim-

ANimadvertere licet in his principiis, quàm ſinceri fuerint decem primi illi Patres, qui ſuis profeſſis, Chriſtum unum, & paupertatem ejus, ut certum vitæ religioſæ ſignum tradiderunt. Hinc gubernationem antiquam & optimam commendari vides, qua de majoris partis ſententia definiri, ac fulciri omnia debebant. Jus religionis unum, ſollenni Profeſſione ſacrum, probationem Scholaſticorum egregiam: qui diu in collegiis, pietate & literis exercebantur, donec eum doctrinæ, ac præſertim auſteræ & pauperis vitæ ſpiritum concepiſſent, ut ſolo Chriſto contenti, ſine pecuniis, ſine viatico, quæcumque itinera, etiam ad infenſas Chriſto, infeſtaſque provincias capeſſerent, nullos reditus, nullum æs annuum poſſiderent, ut ſic expediti, atque omni mundi ſarcina ſpoliati, quò mundo abjectiores, ita Chriſto chariores viverent. Nihil in hoc inſtituto, de ampliſſimis fundis, quibus nunc commodiſſimè & lautiſſimè Profeſſi in Collegiis utuntur, & ſummo jure potiuntur. Nihil de illo excelſo principatu Monarchiæ, tum Generalis, tum aliorum Superiorum Societatis: multum, de rudibus doctrina Chriſtiana imbuendis mandatum, quod in ſpeciem tantùm ac raptim profeſſi faciunt, quibus præſenti corruptela, hoc præſertim infixum, ut de ſublimi loco dicere, & in nobiliori circulo verſari poſſint. Abſens Primorum Patrum Societatis Jeſu paupertas reponenda eſt, & deſpicientia rerum hujus ſæculi non ultra deſpicienda, ſed recipienda: ſimplex, & novis artibus minimè verſatilis vita repetenda.

Prima Societatis laus in muneribus obeundis.

NIhil antiquius erat Beato Xaverio, nihil ſociis, quàm veras ſibi divitias comparare, quæ non ex hominum ſupellectile, ſed ex apothecis divinis depromuntur. Sciebant Deo conſecratæ animæ, affluere & non effluere dona Dei iis qui diligunt eum. Perenne nimirum eſt donum ac fixum, quod divina largitur

manus. Satagebant magno cum fervore, Deo repetenti, data omnia repræſentare. Si quis Philoſophus, ſapientiæ ſtudio adoleſcentes inſtruebat: ſi quis Theologus, effata doctrinæ divinæ non celabat: ſi quis meditatione & oratione excelleret, condocefactos ad Deum diſcipulos rapiebat: ſtudium erat, nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. Socii alliciebant exemplo & ſimplici ſermone, ad ſacramentorum communicationem fideles: non eripiam illis hanc laudem: ſtuduerunt ſapientes illi primi religioſi, uni probatæ, ac receptæ veritati: non pugnæ verborum, non contentiones faciles, non exagitatæ opiniones audiebantur. Nondum erant apud illos nati illi homines, qui Philoſophi, qui Theologi, qui eruditi videri & haberi mallunt, quàm eſſe. Nullum emittebant modeſti verbum caſtigandum, Eccleſiæ ſanctæ fidebant. Eſtote Epiſcopi, vos Patres Eccleſiæ, ne permittite, ut poſtera illa Societas in errorem incurrat. Sancitum quidem eſt Societatis tabulis, ne quis prælegere, vel docere audeat quidquam à melioribus doctoribus rejectum. Nolim ut incutiant Societati privata peccata pudorem: utinam ut ranæ Seriphiæ in limo, aut Acauthiæ cicadæ in arbuſculis, illi reticuiſſent, qui comminiſci celeres, domeſticæ virtutis officia pertimeſcunt, ſententias adverſus regum poteſtatem & vitam ediſſeruerunt, quas ſanctiſſimus Paulus V. ſua inuſſit nota. Utinam non haberet Gallia quod quereretur, utroque laudarent pollice Societatem omnes apprimè docti, qui cùm ipſum Generalem Societatis, ſi perverſæ ſit doctrinæ, deturbandum ex celebri ordinis ſtatuto intelligerent, præcipites tantùm & propriæ gloriæ cupidos condemnarent. Cur non adhuc intra veſtæ penetralia hic ignis? Quis hunc Erichthonium Vulcanus invita Minerva? Sed ne tu refundas in primum aut univerſum ordinem hanc noxam. Non ſic primi Patres, non ſic quamplurimi in Societate præſenti; qui ſi prima inſtitutio vigeret, & paucorum dominatio non impediret, libenter verè ac liberè loquerentur. Sed ad pietatem primorum Patrum redeo. ancipites interim, & noxias
illas

illas ſuas opiniones emendent. Non exibant è collegiis, non è cubiculis, niſi charitas vocaret, non deerat illis domi Sparta, non in ædibus Eurotas, non labor obvius, plus vice ſimplici recuſans: hic fracti mundi currus, hic victæ falſis axibus pendent rotæ: hic appenſæ manubiæ, eliſa vitiorum phalanx, clara de triumpho barbarico chlamys. Quid de ſanctiſſimo otio dicam? in quo vel aſcendebant ad Deum, vel ad ſeipſos deſcendebant, & in ſe ſua deſpiciebant vitia, ſi quæ ſe in mentem trajeciſſent, erroris pœnas dabant, inepta & religioſis diſconvenientia reſcindebant, ſua & populi delicta jejunio & ſevera corporis caſtigatione obliterabant, non fucum facere, non ſimultates fovere, non in aſtutas induſtrias incumbere noverant. Si quid Reges, ſi quid Reſpublicæ optarent, ſenſa animi & vota omnia aperiebant, non maledicentiæ, non iracundiæ, non invidiæ, ac periculoſæ æmulationi obnoxii, non aliis erant intertrimentis impediti, quibus præſens Societas expediri poſſet, ſi poſtliminiò redeuntem primum ſuum ſpiritum exciperet.

THEOPHILUS SUMMO Pontifici primæ Societatis Jeſu ſtatuta reſtauranda aſſerit.

PRIMUM. *Ut unus ſit omnibus Religioſæ Perfectionis ſcopus, Profeſſionem unam quatuor Votorum in Societate eſſe debere, ad quam omnes Scholaſtici Societatis admittendi ſunt.*

Secundum. Gradum Sacerdotum qui Coadjutores ſpirituales nuncupantur, & remitti poſſunt à Societate ad ſæcularem Vitam, primæ Societati incognitum fuiſſe, at Vitæ religioſæ inconſtantiam inducere.

Tertium. Ne de Monarchiæ ſuæ poteſtate, confiſi ſuperiores quidvis audeant, per Capitula, & Conſilium, ex majori ſuffragiorum numero res omnes definiendas eſſe.

Quartum. Addendum eſſe Societati, ad majorem Dei cultum, Sollennem Chorum, ex juſſione Pii V. P. *Franciſco Borgiæ Generali, demandatum.*

Sub hac inſtitutione, probabunt omnes, quod Paulus *III. fatetur, Hanc vivendi formulam EVANGELICIS CONSILIIS ET CANONICIS PATRUM SANCTIONIBUS ESSE CONFORMEM.* In Bulla primæ approbationis Anno M.D.XL.

SANCTISSIMO D. N. D. PAULO V. Summo Eccleſiæ Dei Pontifici.

THEOPHILUS EUGENIUS pro redintegratione Ordinis Jeſuitarum.

BENE, unus ex Chriſtianiſſimis Galliæ Regibus, de ſancti Ludovici ſemine & genere, ſacrorum te ſummum Antiſtitem, & univerſæ Eccleſiæ patrem appellavit. Non minùs piè ac verè, ſereniſſima illa Angliæ Regina, te Petri collegam, legatum Dei, judicem orbis Chriſtiani ſalutavit. Excelſa tamen iſta, & ſuper omnes elata dignitas, omnibus te ſervis Chriſti, jure paternæ ſollicitudinis & apoſtolicæ adminiſtrationis obligatum facit. Non adimit curas, ſed adjicit Petri principatus. Quidam ex vatibus ait, Sapiens ſapientiam profitetur ac proloquitur: vertam ego in præſtantius elogium, Summus Pontifex de ſummæ poteſtatis ſolio veritatis oracula reddit: nulli juſtam opem flagitanti denegat. Multorum ego nomine, tenuitatis licèt meæ conſcius, ad hanc ſedem Themidis & juſtitiæ, ad hanc aram fiduciæ, ad hoc commune ſolatium bonorum omnium confugio. Non eſt noſtræ cauſæ leve argumentum. Aggrediar illud, & proponam tibi, Maxime Pontifex, cùm Religioſi ac viri graves quamplurimi pervelint expoſitum, & declaratum eſſe.

So-

Societatem Jeſu, Ordinem ab anteceſſoribus tuis approbatum, & auctum, periclitari dicimus, ſi non adſis; non hoc ab externo conflictu, ſed ab inteſtinis malis creatur periculum. Periculoſa ſunt illa vulnera, quæ ſub oſſibus luridam cogunt ſaniem, nec ulla ſe aperiente cicatrice ſub oculum veniunt: pernicioſiùs & intimiùs ulcerant quò interior plaga.

Antiquum eſt Pontificibus Romanis favere Societati, Pius IV. majori præ cæteris amore proſequendos aiebat Societatis Jeſu Religioſos, ob præſtantiores ab ipſis Eccleſiæ Dei fructus allatos, Paulus III. pium & ſanctum inſtitutum vocavit, non patietur Sanctitas veſtra deficere, & collabi fultam ac ſublatam à Pontificibus Societatem.

Non eſt deliberatius ullum conſilium, quàm primæ Societatis conſtitutio: hoc eſt quod redintegrari cupiunt omnes Societatis Patres, qui primis primorum Patrum ſuorum veſtigiis inſiſtunt. Convenerant Romam Patres ſocii Beati Patris Ignatii anno 1538. Deum appellant, per tres menſes effuſa in preces mente, tum hæc decernunt: Societatem ſub uno Generali perpetuo conſtituendam, emittendum votum expreſſum obedientiæ ſummo Pontifici, ut ſacræ fidei cauſa parati ſint Socii, ad nutum ſummi Pontificis, quaſvis obire regiones, nullum abnuere pro animarum ſalute laborem. Iis qui profiterentur, imbuendos eſſe catecheſi Chriſtiana pueros, unam quatuor votorum Profeſſionem, poteſtatem omnem in majori ſuffragiorum numero ſtabiliendam. Qui probarentur ad Societatem, Xenodochiis, piis itineribus, & ſecretis meditationibus exercendos. Tum exſcripta eſt hæc formula, & ſummo Pontifici Paulo III. oblata. Probat inſtitutum, non plures tamen ad illud admittendos edicit, quàm ſexaginta. Nondum Sacerdotum Coadjutorum eſt ulla mentio: tum permittente Paulo creſcit Societas, admittuntur permulti ad profeſſionem unam, nihil ſanctiùs, nihil religioſius, mens omnibus una. Paulò pòſt occurrit, Sacerdotes aliquos Coadjutores Profeſſis jungendos eſſe, qui abſolvi poſſent à votis, & à Societate

repelli: difficile eſt hoc impetrare: non audit libenter Paulus III. tamen quinque annis circiter, ab inſtitutione Societatis, anno videlicet 1546. concedit ut 20. duntaxat Sacerdotes Coadjutores aſcribantur. Animadvertebat optimus Pontifex, religioſorum Ordinum æſtimator & judex æquiſſimus, diſſectum iri Societatis ſpiritum, ſi votorum illa varietas paſſim liceret; latere ſub illa novitate aliquid, quod poſtmodum experientia detexit. Stetit primum Societas, ſine ulla Coadjutorum acceſſione, & ſuis incrementis latè provecta eſt; vigebat ſine illo decreto, quod ut ipſorum lingua utar, eſſentiale poſtea viſum eſt. Integra erat, nec tamen illa Coadjutorum aſcititia ſupplementa noverat. Appendix iſte Coadjutorum ad Societatem alligatus, Julio III. annuente perſiſtit anno 1550. tum ſub Pio V. anno 1570. & Gregorio XIII. 1584. conſtitutiones augentur, & illud præſertim de Coadjutoribus nova editione, & novo jure conceſſum eſt. Ut nova placent, & quæ ad dignitatem tuendam ſunt accommodata, gratiſſimum eſt Profeſſis ſuper Coadjutores eminere, & ne moleſtum ſit illis ſubeſſe, dulci diliniunt hanc conditionis abjectionem convictu ac familiaritate.

Profeſſis Profeſſi ſuccedunt, Coadjutores Coadjutoribus, ſed ubique datur progenies vitioſior; iſti de iniqua ſua ſorte queruntur, illi de ſua retinenda plus æquò ſunt ſolliciti. Profeſſi Coadjutores ſuos Sacerdotes ut clientes habere volunt. Coadjutores verò Profeſſos ut fratres. Sed cùm apud Profeſſos ſit omnis poteſtas, iidem evincunt facilè, & ſub jugum Coadjutores mittunt, relegant ad viliſſima quæque, à gubernatione amovent, in modum Plebeiorum ac rejectorum hominum tractant, dimiſſionem comminantur, omni ſuffragiorum jure interdicunt. Coadjutores vociferantur non debere fratres dominari in clero, vim iſtam eſſe quæ diuturna eſſe non poteſt, primæ Societatis conſuetudinem repetendam, una profeſſione, æquali omnes firmitate, in uno ordine fulciendos, adoleſcentibus avellendum ambitionis aculeum, non decere ex Apoſtoli verbis dominationem in clero, proſcribi oportere

tere aliquorum decemviratus, qui ſtrenuos, quos ſuis vitiis obſtare viderunt, ad expulſionem dejiciunt. Ut paria ſunt religionis onera, etſi diſpares, pro diverſis meritis, ſint honores, vitæ tamen religioſæ ſtatum, eadem Profeſſione ac ſolennitate votorum, firmandum eſſe. Quid vetat, Beatiſſime Pontifex, jure Societatis antiquo, Societatis Sacerdotes ad unam profeſſionem admitti? Quæ Societas in qua diſſociantur vota? diſcrepant ſtatus? diverſa eſt religio? Quomodo unus ordo, una religio, in qua alii perpetuo ac ſolemni voto conſtant, alii non niſi ad voluntatem præfixo, & ad arbitrium aliorum perſiſtunt? Quomodo non duplex religionis ordo, ubi duplex votorum conditio? Religioſi ſunt Coadjutores, ſed dimittendi ad ſeculum, ſi Societati videbitur. Religioſi ſunt profeſſi, ſed à religione nunquam abſolvendi. Secura in Profeſſis vita, in Coadjutoribus anceps, & plena periculi: hinc ingemuit & indoluit aliquando Clemens VIII. Pontifex maximus, cùm audivit eos qui ad Profeſſionem Societatis provecti eſſent, non aliter efferri, quàm ſi è Coadjutorum ſervitute erepti eſſent. Si una religio; cur non una religionis in omnes charitas? Cur alios ut filios adoptat, alios ut mancipes & aſſeclas frænat?

Conſules Ordini, Beatiſſime Pontifex, ſi jubeas, reſtaurato primo Societatis jure, Sacerdotes omnes Societatis ad profeſſionem quatuor votorum admitti, nullum in Coadjutorem ſpiritalem cooptari, ut, ad unam pietatem & conſentiens virtutis ſtudium, animos omnium una profeſſio accendat. Superſtes florebit ſimplicitas, frigeſcet ambitio, tranquille tractabunt litterarum ſtudia Scholaſtici Societatis, cùm tranquillum ſibi ſperabunt ætatis curſum; non minùs virtuti quàm doctrinæ ſe dedent, valedicent verſutiis; & ſuperiorum benevolentiam, ſinceritate, non proſecutione, ſibi conciliabunt: non aſſueſcent prehenſationibus & blanditiis, quæ omnem prorſus religionis ſpiritum extinguunt: non adulationi ſervient: non illi obſervantiæ dabunt operam, qua Profeſſionem potius quàm pietatem colunt. Satis acres ſunt ad litterarum ſtudia ſtimu-

li, ſubeunda doctorum hominum judicia, excellentibus tantùm ingeniis patens paleſtra honoris litterarii, laureæ, exedræ, & alia eruditionis ornamenta, Minervæ tholo ſuſpenſa, ſuum ad gloriam ignem ſatis ſuſcitabunt. Virtutem vero advocabit, & religionem aſpirabit Profeſſio. Liberè & verè dicam, non ut Societati labem aſpergam, aut ullius nomen proſciſſum velim, ſed ut conſulas Ordini, Maxime Pontifex, quem ſi non conſentanei mores exceperint, in ſuum ſponte exibit exitium.

Duo ſunt quæ vi aperta in hunc Ordinem ſeſe ingerunt: Ambitionis ardor, faſtus & aſtus, religioſæ ſimplicitatis fatum: quæ non ſine acerbo luctu ſentiunt inviti antiquiores & ſinceriores Patres. Profeſſorum poteſtas, immunitas, dignitas, ambitioni fomitem ſuggerit: Coadjutorum Patrum tenuitas, repulſa, abjectio, Profeſſorum faſtui obſtetricantur, aſtum in nefaſtam ſimplicitatis lumini lucem educunt. Profeſſi Patres regunt ad arbitrium; hinc oboriuntur offuciæ: cæteros attollunt, vel deprimunt, ut collibitum fuerit: audax penes illos fandi ſucclamandique libertas, ſuppetit illis accurata rerum omnium proviſio, eunt & redeunt itinera, equo, pecunia & multo apparatu communiti. Si quid peccant, per medias telas ſoluti erumpunt, opipara illis in congregationibus, magno ſumptu, menſa paratur: egeant omnes, vexentur imperiis, verſentur in omne latus, conviciis exagitentur, pœnis comminuantur: ſuum ſi regnum teneat Profeſſus, non eſt qui judicium ferat, felici loco ſtant omnia. Hæc videre poſſunt optimi religioſi, nec tamen pro religioſæ vitæ incolumitate vindicare poſſunt.

Tune, Beatiſſime Ignatie, ſperaſti hujus notæ Profeſſos? Exſtincti ſunt excellentes illi omni virtutis genere Profeſſi, nunc ad ambitionem pietas converſa: debent in domibus Profeſſis arctiſſimam degere paupertatem, ac victum emendicare, contra, delibant optima quæque in collegiis, uſu poſſident exquiſita, veſtiuntur commodiùs, habitant laxiùs, utuntur fratri-

bus

bus ut pediſſequis, ſilent rariùs, liberiùs loquuntur. Quàm conferti, ad veſtram Sanctitatem accurrunt, ut ſine viatico, ſola Chriſti ope fulti, vel ad infideles, vel ah hæreticos mittantur? Scholaſticos plures ſolent ad Indias dimittere, ſuo non obligatos voto, ipſi ſponſionis rei, & quarto conſtricti voto, ſoſpites ſe ſervant in paratioribus locis, & cùm duriora & aſperiora inferioribus prædicent, meliora & molliora ſibi deligunt: Hæc cum prima Beati Ignatii profeſſione longè diſconvenit vita, jam tamen Profeſſis uſitata, & Scholaſticis in ſpem propoſita.

Ecce Ambitionis artes. Profeſſi ſunt in apice ſplendidioris & facilioris vitæ. Hic Scholaſticorum ſcopus, ne hoc excidant honore: magiſtris aſſentantur ſuis, Superioribus blandiuntur, dant auribus quod placet, dicunt referuntque quod arrideat, modeſtiores ex ſuis ſociis, abſimiles ſibi, ab aſtuta illa conſuetudine adverſos, ad Coadjutores amandant. Ubi religioſus convictus? Quæ Chriſtianæ vitæ perfectio? Artifices ſæcularis prudentiæ, nec diſſimulationis expertes evadunt religioſi alumni. Profeſſionem ſpirant & ſperant, ut ſuos ſuperent fratres: vident patritios ad dignitates Profeſſione ſibi viam feciſſe: hæc attingenda eſt meta. Cùm involarunt in arcem, præſunt Coadjutoribus Sacerdotibus, eoſque deſpiciunt, hujuſmodi profeſſi Rectores plectunt inclementer, pertinaci probro fodiunt, nullas conſtantiæ dant inducias, quibus gradibus aſcendit ambitio, iiſdem religioſa ſimplicitas demittitur, nihil prodeſt ad firmum & clarum Societatis ſtatum obtinendum, pudentis ac ſinceri animi moderatio: advocanda eſt induſtria, occultis nitendum eſt machinis, verſuta ſolùm emergunt ingenia, qui vaferrimus eſt hic digito ſignatur, conjiciuntur in illum ora & oculi, committuntur illi collegia: ſi quæ ſint res cum illuſtribus viris, ipſius conſilio componuntur; laudatur quidem, ſed abſens & exul à Societate, candida ſimplicitas, ne manum quidem ad illum verterint, qui neſciat ſimulare cupreſſum: per hanc morum corruptelam, quis illuceat virtutis dies? ubi vinculum? quod conjunctos re-

ligioſa neceſſitudine animos divinciat? cùm nullus adſit expreſſus dictis & factis candor? Nihil in hominum cœtu mutua illa quæ inter Societatis intercedit confidentia dulcius, nihil beatius, nullum gratius ſolatium ore fideli, & conſentienti pectore: ſi cura, & ſollicitudo ambitionis ſe interſerit, aceſcunt hæc omnia: ſapit fucus: eſt qui pigmentis bona decoloret ſua, & mallit imagine ſinceritatis illudere quàm vera virtute ambire. Defertur religioſus habitus, ſerpit ſecularis animus, immittit ſe blandus, & cum externa diſciplina conſueſcit, in aula, in cameris, in ſcholis, in porticu, in impluvio, in Æde, in ſuggeſtu, nuſquam non adeſt prudentiæ perverſæ genius, ineptæ gloriolæ præſtigiis, piæ ſimplicitatis egentes, & ad aſtutiam verti faciles irretit. Hinc illæ totius orbis querelæ, aſtutos eſſe Jeſuitas, non eſſe rudes verſutiæ ſecularis. Hinc exigua dictis fides, ſuſpiciones artificiorum ſatis firmæ, alienatio optimatum à Societate. Subdifidunt de fidelitate reſpublicæ, Senatus regii de factione nimia conqueruntur, multa graviter incuſant, ſcripta cautius interpretantur, & notant. Socios calliditatis potius tentandæ, quàm eruditionis aut ſalutis accipiendæ ſtudio, explorant.

Perperam illa præclara munia, ſi evellitur ex animis hominum ſanctitatis opinio, ſi minus ſimplex, & à ſæculo parum remota Societas habeatur.

Nollem propterea ſelectis viris qui in Societate ſunt injuriam fieri, admiratus ſum ſapientiam ac prudentiam Claudii Aquavivæ Generalis, Mutii Vitelleſchi aſſiſtentis commitatem, Fabii de Fabiis pietatem, Juſtiniani Genuenſis doctrinam & integritatem, ut ne quàm plurimos alios citem, quorum nomina in diverſis provinciis illuſtria ſunt, & ob clariſſimas virtutes celebrata: ſed ea veſtræ Sanctitati redhibeo reconcinnanda, quæ multorum vel vitio, vel incuria peſſundata ſunt & afflicta. Religioſæ modeſtiæ placida demiſſio dimiſſa eſt? Revocetur. Squallet ignara fraudis ſimplicitas? Suo nitori reſtituatur. Inſidiantur angues gemini, ambitio & verſutia? Suffocentur.

Poſtu-

Poſtulant præterea ſinceri Patres Societatis, ut innovetur ſtatutum decem Patrum, quo res omnes ex majori ſuffragiorum pondere ac numero, & non ex unius definitione, concludi debebant. Quæ ad inſtitutionem animæ ſpectant, ad morum examen, ad fidei ſtabilitatem, ſolus Pontifex Romanus etiam de Sede motu proprio conſtituit, & dicta Romani Pontificis Spiritus Sancti afflatu inſpirata, ſecurè pronunciantur. Illi non caligo poteſt, non nubes eripere lucem, immotum eſt divinæ pollicitationis decretum, hæreſis ineluctabile fatum, Petri fidem deficere nunquam. Non habes collegam, Beatiſſime Pater, & in Eccleſia Dei, præſente ſemper & cuſtodiente divino Spiritu, à recta ſapientia dimoveri non potes. Hanc poſſides poteſtatem figendi refigendique motu proprio quod ſuggeſſerit in Eccleſia Deus. Non eſt in religioſorum ſuperioribus ſimilis authoritas: præcipere debent ſtatuta, fas non ſit illis ſuorum rejectis ſuffragiis, pro arbitrio quæ viſa fuerint imperare. Stent pluribus & melioribus ſententiis, ne Rectores ac ſuperiores Societatis in ſuo ordine parem cum veſtra Sanctitate ſibi poteſtatem vindicent: non eſt illis major promiſſa cœlitùs gratia quàm Eccleſiæ Epiſcopis, nihil tamen Epiſcopi, ac diœcetæ, in Synodis ſine ſuorum ſuffragiis decernunt; cur ſe ſubducent à communi jure, qui ad errorem proclives, ut cæteri, in eandem jacti ſunt humanæ infirmitatis aleam? Cur in ſuis collegiis eam affectent authoritatem, quam Romæ & in univerſa Eccleſia ſummus Pontifex obtinet? Vidi deceptos hoc errore Rectores aliquos, qui etſi Clemens VIII. ſanxerit ne quis Societatis, ſedem Apoſtolicam petens, per ſuperiores à cœpto deturbaretur, tamen ſuos Romam petentes, ut ſummo Pontifici multa detegerent, injuſto anathemate afflixerunt, (non enim ligare poterant) & impatientes appellationis ad ſanctam Sedem, diris devoverunt.

Hoc mihi ſemper ſuſpectum fuit, atque eſſe debuit, religioſos qui ſe glorientur ſummo Pontifici ſervire ac vivere, Pontificis tamen judicio nolle ſe ſiſtere, ne de

ſuis

ſuis negotiis ac rebus certior fiat ſummus Pontifex pertimeſcere. Technas moliri omnes, ne conſcius ſit gubernationis; ducere crimini, ſi quis ſummo Pontifici caſtiganda proponat; proſcindere verbis, aſpergere dedecore, quem viderint apud Pontificem eſſe, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiæ, ut par eſt, magis, quàm ſuæ dominationis, amantem. Ne nimii ſint Societatis Superiores, ne plus æquò potentes, ex primæ Societatis decreto, ſervandis ſuffragiis alligentur, nihil innovent aut mandent, refragante Sacerdotum collegio: nullus, excepto Generali Præpoſito, ultra triennium ſuperior perſiſtat. Non præſit ullus, quem vel congregatio, vel collegiorum Profeſſi non elegerint, nullus ad congregationem generalem vel provincialem proficiſcatur, quem non ſtatuerint Collegiorum Sacerdotes.

Nec veſtræ Sanctitati ſatis unquam cautum ſit: inquirat de illis, audiat, probet, quid rerum agant, num ut ſuperiorum jus augeant, de veſtra poteſtate aliquid detrahant: num putent veſtræ Sanctitatis eſſe, religioſorum querelas reſcire, leges ac diſciplinam omnem ponderare: Subodoratus enim ſum neſcio quid, ſecularem nimirum apellabant Pontificem aliqui: Ignaros vitæ religioſæ Cardinales: eoſdem eſſe ſeculares, ac de obedientia religioſa, de mente, de conſuetudine, de adminiſtratione, ſententiam ferre non poſſe. Obſtupui, nec niſi offenſis auribus receſſi, multa volutans animo, & hoc præſertim, præſentes veſtræ Sanctitatis oculos quaſi de ſpecula proſpicere debere, quo tam multæ immunitates, tam magnæ facultates, hujuſmodi religioſos efferre poſſint.

Supereſt, ut inane otium, quod in aucta multis hominibus Societate pernicioſum eſt, utili ac religioſo otio hauriatur. Superfluis excurſionibus erecti, ac læti vagantur ex illis plurimi: volitant per urbes, & ne ſellis ſuis immorentur, occupationes externas quærunt, alienis deſtinentur negotiis, ſolemni tandem choro poterunt contineri. Si decantent officium, Beatiſſime Pater, ſi concentum ament cœleſtem, ſi rebus divinis

ad-

adſint, ſi hoc genere Religioſæ ſervitutis non eximantur, ſi die ac nocte bonas horas pſalmodiæ impendant, otium futile ſeris impedimentis trudent, non ſalutationibus crebris, non protractis ſermonibus ſeſe effundent, non de Principibus, non de Prælatis curioſius inquirent. Rixæ, dicteria, admurmurationes, riſus, de cætu Societatis disjicientur, contentiones, quæ Religioſos animos dedecent, cavillationes, (quod decurtatæ ſimplicitatis ludibrium) & aliæ noxæ amovebuntur. Si divino huic officio aſſueſcent adoleſcentes Societatis, ſecularia faſtidient colloquia, non tenebuntur illa urbanitate ſeculari, ad quam ſe inſtituere ſolent: ſinceriores & puriores gemitus Chriſto ſuo dabunt, non ſe vertent in illam verborum diſſimulationem ac varietatem, ſenes fœlicem obitum meditabuntur, habebunt in quo deſertam ſenectutem conſolentur, tædium cubiculi, jucundiſſima divini cantus viciſſitudine traducent in tranquilliſſimum otium: pax vigebit ſumma in Collegiis, non obſervabunt ſeculares, Societatis Religioſos, tam familiares & vagos: & ideò diligent magis. Sed iſtis omnibus reclamabunt aliqui. Qui? Maxime Pontifex? Quinam obſiſtent? Qui profeſſionem illam unam condemnabunt? Qui debilitare ſuffragiorum vim? Qui pſalmodiæ obſtrepere poterunt? Illi quos profeſſio, at non Religioſa perfectio delectat, qui ſoli decernere, qui ſtudent vivere liberi ab omni religioſa obſervantia. Quinam inſurgent? Illi, qui decem primorum Patrum inſtitutionem ſepultam eſſe cupiunt, qui nolunt in primam pietatem recurrere, quos pudet & tædet, multos habere pares, multos profeſſionis ſuæ Socios, qui ſe examinari, facta ſua in judicium vocari, qui ſe ad obedientiæ ordinem redigi, pertimeſcunt. Romæ numerantur ferme quingenti: ſi liberè loqui poſſent, nec impedirent pauci Philautiæ & honoris ſui tenaces, primos decem primorum Patrum mores repoſcerent, Profeſſionem unicam, jus commune ſuffragiorum repeterent, & ſolennem celebrarent chorum in locum

illius,

illius, quam retinent moleſtiſſimæ optimis quibuſque, pomeridianæ & veſpertinæ recreationis: quàm parum abeſt, quin jam congregationis ſtatuto ſuſtulerint.

Hanc repetunt primæ Societatis redintegrationem ſelectiſſimi è Societate Religioſi. Veſtræ Sanctitati gratias agent immortales, ſi ambitionem, ac verſutias excedere jubeat, auream ſibi gratulabuntur veſtro Pontificatu rediiſſe pietatem, ſuo æquitatem ſeſſuram in loco, reperta primæ Societatis fundamenta, ſtatum erectum. Potuit à Profeſſis indifferentium ordo, à Beato Ignatio inſtitutus, abrogari, expunctus eſt collateralis à Collegiis, quem Beatus Ignatius, ad temperandam Rectorum poteſtatem, Rectoribus oppoſuerat, Collateralis Patris iſtius conſortium Rectores, ut poteſtati ſuæ adverſum, exſtinxerunt: cur non ab iis pari ratione Coadjutorum inutilis gradus auferetur? Cur non à veſtra Sanctitate (cùm ſoli cœnodoxiæ & propriæ amantes dignitatis hoc facere recuſent) Sacerdotum Coadjutorum gradus oblitterabitur? Plures & meliores erunt in Societate viri, ſi omnes profeſſione digni eſſe debebunt: Confeſſarios & Concionatores Societas habebit præſtantiores. Quid mirum ſi examinari volunt Epiſcopi Jeſuitas, ne indigni Confeſſiones audiant? Nimirùm Coadjutores Sacerdotes ad id muneris dantur, quibus interdictum eſt ſtudere, qui repulſi ſunt à ſcientiis, vel quod genere viles eſſent (quod heu inter Religioſos diſcrimen?) vel quod ad menſæ miniſterium magis apti.

Quis non juſtè dicat, conqueri Epiſcopos, dum Sacerdotes eos ſibi conſecrandos vident, quos nec patrimonii, nec beneficii, nec Profeſſionis titulus, de certis alimentis ſecuros facit? Quos hodie Religioſos, cras ſeculares eſſe poſſe norunt, ſi Superiores velint? Quos, mediocriter literis tinctos, Philoſophiæ ac Theologiæ rudes, ad gubernandas tamen conſcientias deſtinari ſciunt? Quod ſi ſint Coadjutores aliqui Sacerdotes, qui virtute, ſcientia, eloquentia non ſolùm

ſum adæquent profeſſos, ſed ſuperent, (non incredibile certe facinus, ſed exemplis clarum) quis non videt, diverſam illam diſtributionem, ex aliquorum ſenſu, ac voluntate, ut ambitioni ſuæ velificentur, obfirmatis animis retineri? Quis non hanc manifeſtæ diſſenſionis ac diviſionis ſementem, ac ſegetem putet? Quis Sacerdotio dignus eſſe poteſt, Profeſſione ſui Ordinis (quæ eſt Religionis & Sanctitatis ſolenne pignus) indignus eſſe non debet. Urgent Epiſcopi, ne Sacerdotes vitæ ac firmitatis ſuæ incertos, ne parum ad Societatis munera dignos inſtituant. Patres Societatis eximii, quorum hæc dictata ſcripſi, pro Chriſti amore, pro Societatis nomine, & redintegratione vehementer expoſtulant. Reges ac Principes peroptant ne dimiſſos & afflictos tam ſæpè Religioſos in ſuis Provinciis habeant: indigenæ, ac cives percupiunt, ne de Societatis Religioſis ſubdifidant, ne cogantur percontari, ſitne Coadjutor, an Profeſſus ille Sacerdos: videlicet doctus, an indoctus, ſervus an liber, aliquis aut nihil, ſtabilis Religioſus, an ad ſuperioris duntaxat nutum. Religioſæ annuunt omnes familiæ, quæ ſanctorum Patrum inſtitutis, & Religioſæ antiquitati Societatem adaptatam gratulabuntur.

IMPE-

IMPERATORI AUGUSTO, Franciæ Regi Chriſtianiſſimo, Hiſpaniæ Regi Catholico, omnibuſque Principibus Chriſtianis.

Pro reformatione Ordinis Jeſuitarum.

CÆSAR, Reges Auguſti, manu, conſilio, armis invicti, favete & eſtote boni. Non ullus coram Agamemnone Achivorum Principe, niſi ſit prorſus amens, nemo vana & inepta dixerit, ſed apud vos delectus, & rerum, & verborum excogitatus ſit oportet. Quis acceſſum ſperet, qui non ſit mente digna? Quem non abſoluta prudentia efformarit: nec levia, nec nimia referam, ſed quæ ab ornatiſſimis, & ſapientiſſimis de Societatis Jeſu Ordine ampliſſimo didici, & quæ de conſcia rerum experientia accepi. Xaverius Navarræus Societatis Jeſu vir religioſiſſimus, ultra Calpen, & non jam ampliùs ultimam Thulem, præter Herculis columnas, fidem apud ignotas & exteras regiones propagavit. Unus ex illorum decem primorum Patrum Societatis Jeſu collegio, ſanctiones cum Beato Patre Ignatio Loyola & aliis decem, ad religioſum convictum exactas & breves dederat, quas approbaverat ſummus Pontifex, laudabant Epiſcopi, convenientes & accommodatas ſanctorum Patrum inſtitutis aſſerebant. Poſtea adjunxit Beatus Ignatius aliqua, quæ poſteri in detrimemtum Ordinis trahunt. Privilegia & nova jura à Sancta Sede obtinuerunt, quibus non ſine totius orbis querimoniis, præter ſummi Pontificis mentem, utuntur ut volunt.

Ne averſi mores à Beato Ignatio, ne aliena ab illuſtri Xaverio vita, ne in Societatem nova ſe Societas injiciat, ad initia redeundum: hauriendi ſunt fontes. Veſtri quotquot ſunt in orbe ſubditi Chriſtiani, ac præſertim Patres Societatis, cùm ii qui adhuc in Societate vivunt, tum ii, quos atrox ſuperiorum quorundam animus è Societate migrare compulit, veſtris omnes advolvuntur genibus, ut verè Chriſtiano, & juſto edicto, tot ſelectos Religioſos ab importuna vexatione liberos faciatis, arreptam illam ſuperiorum atque inuſitatam poteſtatem, temperatis ac lenibus veſtris imperiis moderemini. Quid tam inſolens? Quid tam durum ac dirum, quàm tot inſignes Religioſos, quibus hic ardor erat ut in votis perſiſterent, è Societate evulſos? Eoſque etſi non alienum à Chriſto, alium tamen ab inſtituto propoſito ducere ſpiritum? Quid tam ferreum? Quid tam inhumanum, quàm è Sacerdotum Religioſorum cætu abactos optimos viros, inhoſpitis & immitibus linguis proſcindi? Filius de matris uberibus, violenta dejectione, ad ſolum allidi? Quid ita à Societate abhorret, cujus omnes Socii dicuntur, quàm iſta, non ex Beati Patris Ignatii ſtudio, inducta conditionis diſſimilitudo? Vitæ diſparitas, Religioſæ vocationis incertitudo, morum diſcrepantia, diſciplinæ diſcrimen, onerum & laborum ſors disjunctiſſima? Si qui recurrere audent ad ſummum Pontificem, & quæ animadvertunt proponere decreverint, inconſtantiæ & levitatis nota inuruntur, in deſertionis & apoſtaſiæ crimen, ac ſuſpicionem pertrahuntur, tam aſſiduis & acerbis moleſtiis premuntur, ut etiam opprimantur. Undè hæc malorum ilias? Qua parte certè fatalis illa monarchia tranſcendit muros, qua certè dejecta ſtrues, qua plena Profeſſis poteſtas, ac libertas patet. Rogitabunt quis ſim, ut ille Homericus, patria mihi omne ſolum in quo Juſtitia & Pietas ſedent: ego Theophilus Veſter, qui quod olim Athenienſes, magno Pompeio, ita hac ſchedula, quid petant, quid obteſtentur à vobis optimi Religioſi, manifeſtum facio. Non ſum is qui quæram, quid Tyridatem

tem terreat, paci ſtudeo, & muſis meis, nec tamen quaſi qui ad Lucrinum conchas, ita tempus eludo, Catholicis Regibus, Patriæ & amicis meis ſervio, & fidem ſervo, patriæ obſequor, cujus querelas expono, amicis adſum, quibus hanc operam meam præſto. Rem juſtam expoſcimus. Ordinem Jeſuitarum reſtitui in primigenium vigorem, quid æquius? Jus abrogari quo abutuntur in ſuam perniciem Religioſi, quid juſtius? Religioſos cum Religioſis convenire, quid congruentius? Communi lege obſtringi, quid cautius? Charitatis neceſſitudinem ſervare, quid manſuetius? Deo & Religionis cultui vacare, quid ſalubrius? Quinque primis annis, cùm ſub decem primorum Patrum legibus viguit Societas, unica Patrum tenebatur Profeſſio, omnes eodem Religionis jure potiebantur, iiſdem quoque votis ſolennibus ſeſe Deo conſecrabant, non erat novus Coadjutorum Sacerdotum gradus, qui cùm ſolennibus votis aſtricti non ſint, è Societate, cùm videbitur, dimitti poſſunt, quidquid in ea temporis, etiam ſi 30. annis perſtiterint. Non erat hæc Religioſorum Sacerdotum forma, quorum ſtatus ex mero ſuperiorum arbitrio pendet, non illa Malea, non Syrtis periculoſus ſcopulus, non hoc votorum diſcrimen, ex quo magna eſt in Societate perturbatio, quæ in prima ejuſdem inſtitutione inaudita erat, cùm ſecundùm jura ſolita religionum, una duntaxat Profeſſio colebatur. Præfigatur iterum juſtitiæ & pacis regula, uno unius Profeſſionis vinculo: nemo queretur de perpetua vitæ ſuæ inconſtantia, nemo viciſſitudinem rerum pertimeſcet, ſperabunt Scholaſtici, poſt aliquos annos, Profeſſione ſtatuta, certum à religione amoris fideique pignus, non alienas veſtigabunt artes, unicam virtutem colent, ut Religioſa profeſſione ac ſolennitate non ſint indigni. Qui dimittentur maturè exibunt, nulla ſolenni obligatione conſtricti, & eo probationis tempore, quo quidem, ſecundùm Beati Patris Ignatii inſtitutum, etſi devincti ſimplicibus votis, non debent tamen aliud teſtari, quàm ſe candidatos eſſe Societatis, & in eam ingredi velle. Deſinent tum à nobili-

Google

bilibus, tum à plebeis familiis, frequentes querelæ, quæ hoc obtrudunt Societati, liberis & adoleſcentibus ſuis uti, quamdiu placet, & tum, ubi avertit ſententiam Superior aliquis infeſtus, torqueri ſuos miris modis, conſultò duris imperiis onerari, & nulla habita ratione contemptæ pridem priſtinæ fortunæ, rejectæ rei familiaris & deſertæ domus, de Societate, hoſtili animo, deturbari. Qui erunt adhuc Scholaſtici, vel perficient ſe, & proficient, vel ſi deficere malint, & à profeſſione abhorreant, non inviti, & ſine parentum offenſione ad ſua revertentur, antequam ad Sacerdotium pervenerint. Stabilienda eſt altera, quæ erat in prima gubernatione, ex primorum Patrum ſtatuto moderatio, videlicet ut ſuffragiis jus ſuum reddatur. Rector, Provincialis, Generalis in ſuos ſubditos omnem poteſtatem exercent, ſuis ſententiis, quæ occurrunt, omnia definiunt, aliquorum audiunt ſenſa & monita, ſed tamen ipſi ſoli quaſi Dynaſtæ, & Monarchæ, authoritate ſumma, & arbitrio ſuo conſtituunt. Cur Antiquiores in Collegiis de ſententia rogabuntur? Cur ad ſuffragia ferenda vocabuntur, ſi unico Rectoris ſuffragio, velint nolint, ſtare oporteat? Si quod velit Rector, id aperiet ac ſignificabit; quod reticere voluerit, occultum ſilentio teget, nec mandabit effectui, niſi quod ipſe apud ſe defixerit. Si quem ex ſuis ille pollens Rector odio ac malevolentia inſectetur, quis temperet hominem? Si fallere velit & prævaricari, quis deteget dolos? Si res Collegii diſſipet, quis convincet criminis? Si plura in ſuos uſûs ſibi arroget, quis commonefaciet liberè? Si à lege aberret, quis exolutum omni lege reprehendet? Si quid in Eccleſiam, ſi quid in Principem auſit, quis velit hunc hominem judicare, quem intelligit, ſi infeſtum habeat, gravia & acerba quæque ſibi perferenda? Quàm multi ex Societate Davidicum illud non ſine lachrymis repetunt, Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Qui ſunt iſti homines? Infirmi ut homines, propriis dediti commodis, non ut illi Stoici ad laborum perpeſſionem fortes ac duri, ſed inclinantes quò præponderant ſenſus,

ſus, & ad facilioris vitæ uſum ac fruitionem non indociles. Qui homines? Deteriores an meliores Paulo Apoſtolo? Credo non meliores, qui colluctantem adverſus carnem ſpiritum experiuntur, qui timere debent ne fiant reprobi. Cur iis omnis in Religioſos poteſtas? Cur res Collegii omnes, ſacras ac profanas, ex propria ſententia ſtatuent? Patrum ſequentur vel reſpuent, prout viderint, definitiones? Quis dicet incolumem diu Societatem, ſi tantum Rectores expatiari, ſi nullis finibus imperia ſua coercere, ſi nullis metis obedientiæ jura velint terminare? Propterea ſummum Pontificem urgere ſolent, ut hujuſmodi principatum authoritate Apoſtolica communiat, ne ſi conſenſus Principum ac Populorum expectetur, tanta, tamque abſoluta dominatio exſcindatur. Sed neque hoc tantum extorquent, verùm ſi quos excelſi animi id ægrè ferre ſenſerint, auſterè habent, conſiliis ſuis abigunt, immoderatæ ſeveritatis tormento exagitant, quaſi noxia capita huc illucque disjiciunt, Romana profectione interdicunt, non expedire, aiunt, nec tutum eſſe ſummo Pontifici ad hæc detegenda ſe ſiſtere. Reſcire potuiſtis, Auguſtiſſimi Principes, quis fuerit animus illorum Rectorum, qui Religioſum optimum de palatio Regis Hiſpaniæ, ipſo Rege neſciente, abripere moliebantur. Hinc illæ ad Clementem VIII. querelæ, qui P. Claudium Aquavivam Generalem, in Hiſpaniam ire juſſit, ne Regibus ſuus auferretur Cliens, ne ulla integerrimo Patri fieret injuria. Si notæ, ſi calculi Patrum vim haberent, ſi vigerent ſuffragia, non efferrentur ad hos animos, non hæc tentarent, non hos fluctus immiti ſuo tridente commoverent, non tot Religioſos ad ſcopulos impellerent, è quibus non niſi facto naufragio confractas tabulas, ac vix hærentes, educere poſſunt.

Queruntur denique viri Nobiliſſimi, Religioſos, quibus nulla ſecularis cura incumbere deberet, ſollicitos tamen eſſe de gubernatione principum, de ſtatu: falcem immittere in aliam ſegetem, humana tractare, cùm divina deberent, certiùs ea cognoſcere, quæ in ædi-

ædibus Regiis, dicta vel facta ſunt, quàm quæ in ſuis Collegiis, ſub umbra literaria: paratiores videri ut audiant Romanuſve ſuperbas invidæ Carthaginis everterit arces, quàm quid ad promovendam fidem Epiſcopi, quid ad hæreſeos exetram execandam, ſui vel alii Religioſi excogitent, aut aggrediantur: non convenire Patres Societatis ad publica pietatis munia, ad indictas ſupplicationes non adeſſe, quamvis nec Cænobitæ ſint, nec Monachi, nec ſolitudinis cultores, imò ne Religioſi quidem profeſſi, niſi admodum pauci: percurrere tamen vicos, obire civitates, obambulare in compitis, ſpectatores eſſe Religioſæ pompæ, cujus actores eſſe reſpuunt in communi ſanctitatis theatro: cujus cultum, ut ſuis moribus abſimilem, exercere incommodum ſibi eſſe exiſtimant. Quod tam præſens conſilium ad inanes illas curas exinaniendas? Quæ tam utilis & religioſa cura? Illæ nimirum quam Baſilius, Ambroſius, Gregorius Magnus, & multis retro ſeculis Patres, viris Religioſis antiquam & ſolennem eſſe voluerunt: decantandæ deſtinatis horis ſanctæ Pſalmodiæ conſuetudo, continua in divina Hierurgia, & miniſteriis ſacris occupatio. Si choro detinerentur Jeſuitæ, puderet otiari, cùm id muneris præſtandum eſſet; nec tam multi patres, à literarum ſtudiis & ab omni collegiorum cura rejecti, familiares congreſſus quærerent, quibus extrudant tempus, & cubiculi mora ſe redimant: haberent unde divini ſpiritus ſolatium perſentirent, publicum illud Dei cum hominibus colloquium, ut fatigationis & laboris omnis levamen, felices experirentur, & tam ſecura ac pura cum Deo converſatione recreati, nihil de ſecularium Societate, convictu, de aucupandis ſermonibus cogitarent. Hæc tria ſunt, Principes, quæ pro Societatis reſtauratione neceſſaria ſuaſerunt mihi ipſi Religioſi Patres Societatis, ut proponerem, ne quis quaſi ex pſeudothyro egreſſam orationem meam contumelioſè objiciat: Nullus eſt, ſi ſanæ ſit mentis, qui pulcherrimum iſtum & utiliſſimum ordinem deturbari velit, ſed imprudens & indignus ſit ille arbiter, qui neget ad primam frugem revocari

debere, pacis ac virtutis leges iis repetêndas abnuat; qui primæ ſuæ regulæ uſu ac fructu ſpoliati, non ſine ingenti mœſtitia, teſtantur pene ſe alios à primis ſuis Patribus ac degeneres exiiſſe. Una & æquali omnium profeſſione (Auguſtiſſimi) ut jura communia ſanciunt, & primi Societatis Patres voluerunt, pacem, æquitatem, ſinceritatem, Ordini reſtituite, ſuffragiorum vi ac poteſtate, dignitatem, libertatem, ac res Societatis ſervate. Decantatione pſalmodiæ, religionem, pietatem, ac ſanctitatem Societatis tueamini.

Admitte ad te Alienigenam, & ſubvertet te in turbine, & abalienabit te à viis propriis. Eccleſiaſt. 11,

DANIE-

II.

DANIELIS HOSPITALII

AD REGES PRINCIPESQUE CATHOLICOS

CONSULTATIO

De Cauſis & Modis conſervandæ & amplificandæ Societatis Jeſu,

Ut perpetuò durare, deque Eccleſia Dei & Regnis ac Rebuſpublicis Chriſtianis præclarè ſemper mereri poſſit.

SI quiſquam eſt, qui Societatem Jeſu à *Divo Ignico* ſive *Ignatio Loyola* conditam & conſtitutam, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmatam, ingentes Eccleſiæ Dei omnique generi humano utilitates attuliſſe, eâque re optimi ac maximi cujuſque benevolentiâ, favore & auxilio digniſſimam eſſe cenſet, in his ego nomen profiteor meum, ac nato nemini de ſtudio erga illam ejuſque conſervandæ & amplificandæ cupiditate nec tantillum conceſſero. Verùm tamen non minimæ cautionis eſſe intelligo, ne quibus factum benè volumus, ultrò etiam noceamus, & quos com-

plectimur, imprudentes ſtrangulemus. Eſt enim, ſi verum quærimus, alia recta & laudabilis erga alios benevolentia, alia vitioſa ac turpis. Qui Jeſuitis ea cupit adeſſe, quæ cùm ipſis, tum cæteris ad ſalutem eſſe poſſunt, abeſſe rurſum, ex quibus meritò ſive ipſis, ſive aliis corruptelam exitiumque metuas, ejus enimverò benevolentia & viro & ſapiente gratoque digna eſt. Sin autem quicquid ipſis libet, contingere eis optat, parum omninò penſi ducens, quod id nec ipſorum, nec aliorum ſaluti expediat, minimè dubium eſt, quin id à muliebri quadam aut puerili benevolentia proficiſcatur, quæ ſcilicet non niſi voluptatis alicujus lenocinio conflata ſit, quod quis Jeſuitis indè à primis pueritiæ annis adſueverit, eorumque blanditiis & obſequiis delinitus nihil ipſis præter animi ſententiam evenire, eos albæ gallinæ filios eſſe, ac quicquid contigerint, roſam continuò fieri impenſè concupiſcat. Sic porrò animis affecti exemplo ſuo verum faciunt, quod ait Seneca: *Familiariter domeſtica adſpicimus, & ſemper judicio favor officit.* Quiſquis enim ſive ſe ipſum, ſive alios amat, non aliter cæcutit & allucinatur, quàm in cujus oculos ſuffuſus humor luminis aciem obtundit, velut ex Platonis ſententia Plutarchus diſputat. Ad hoc ergo exemplum, qui Jeſuitas amat, longè ille abeſt, ut eos *humana matre natos* meminerit, *humano patre*, quibus idem ipſum, quod multis aliis Religioſarum familiarum hominibus uſu venire queat, ut nimirum partim eos ævi longinqua vetuſtas immutet, partim res ex ſententia fluentes, opes, honores, Principumque ac Magnatum gratia depravet, in iiſque veteres artes ægrotent ac prorſus tandem perimantur. Neque tamen iſtius notæ homines, niſi palàm inſaniant, ſe Jeſuitarum res penitiùs perſpectas habere, aut Societatem eorum plus amare ſibi perſuadebunt, quàm qui unus omnium diutiſſimè in ea vixerit, eamque per annos ampliùs quinquaginta docendo ac ſcribendo illuſtrarit. Is eſt *Pater Joannes Mariana*, celeberrimus ætatis noſtræ Theologus & Catholici Regis Hiſtoriographus, cujus ſumma

ma virtus, integritas, in ſcribendo ac loquendo libertas, prudentia & literæ orbi jam univerſo, præcipueque Regibus ac Principibus multò ſunt notiores, quàm ut cujuſquam prædicatione commendari debeant. Is in libro ſuo *de Regimine Societatis Jeſu* (quem non ut in vulgus exiret ſcripſerat, ſed ut privatim Jeſuitas de Societatis conſervandæ & à maturo interitu vindicandæ rationibus admoneret) *Claudii Aquavivæ* ambitione totam imperii formam immutatam eſſe, & in tyrannidem teterrimam degeneraſſe, eaque ex re Societatem delatoribus & adulatoribus plenam eſſe, neminemque Sociorum non in ſummo metu ac moleſtia vivere dolentiſſimè conqueritur: eumque nimis vera ſcribere P*ater Floravantius*, & ipſe Societatis Theologus ac ſummo Pontifici à ſacris Confeſſionibus ſummo cum animi ſenſu agnoſcit. Nec non idem alii Jeſuitarum, qui veterioris notæ ſunt, ingenuè apud amicos confitentur. *Matthæus* quidem *Greuterus Argentinenſis*, qui nunc Romæ imaginibus in ære incidendis vitam tolerat, de *Patre Conrado Vetter* (quo nemo omnium in Germania magis Hæreticos agitavit, quorum ille ſumma cum gratulatione nonagenario major non ita pridem deceſſit) id eum minimè obſcurè adverſum ſe tuliſſe teſtis eſt. Sæpè enim amicis narrat, cùm adhuc adoleſcens ad eum veniſſet, eique ſuum conſilium de nomine Societati dando aperuiſſet, ſibi totidem ferè verbis ab eo reſponſum fuiſſe: *Magnam equidem tibi gratiam habeo, qui tam benè de Societate noſtra exiſtimes, ut in eam te quoque cooptari expetas. Verùm ego mihi minimè hominis ingenui aut boni viri officio fungi videar, ſi eum errare patiar, qui tanta de re mecum deliberare, meoque uti conſilio voluerit. Quod ergo te, ſi Jeſuita fias, inter meros Angelos ætatem acturum ſpe & opinione præcipis, næ te plurimùm fugit ratio. Si enim experimentum capias, pol tu extrema nequitia Cacodæmonas magno numero inveneris. Ego quidem me Jeſuitam eſſe gaudeo, neque hoc vitæ genus cum quocumque alio mutatum velim, bona etiam ſpe ſum fore, ut Deo propitio meam in eo ſalutem operari* bea-

beatoque vitæ fine quieſcere poſſim: nemini tamen alii, ut Societati noſtræ ſe ſuamque ætatem committat, auctor eſſe audeam, quippe quam ſui tam diſſimilem factam eſſe, & ab ea, quæ tum erat, quando in eam me intuli, uſque eò degeneraſſe videam. Sed neque ſummum Pontificem noſtrum optimè erga Societatem animo affectum ac rerum ejus apprimè gnarum eſſe meritò quiſquam dubitaverit.* Hic tamen apertè fert, *Generalis Jeſuitarum imperium eſſe deſpoticum*, ſive herile, hoc eſt tyrannicum, & bono cuivis meritò inviſum. Nemo enim niſi improbus tyrannidem in homines ingenuos ac bonis natos non cane pejus odiſſe atque exſecrari poteſt. Dum autem tyrannidem in eo imperio Pontifex agnoſcit, eâdem operâ fatetur, ei adeſſe illa, ſine quibus ea imperii forma ſubſiſtere & cohærere non poteſt, aſſentatores puta & exploratores ſeu delatores: quos in Societate pro neceſſariis haberi Mariana diſertim confitetur. Itaque hodiernum Imperatorem nihil hac quidem in re à Pontificis judicio diſcrepare intelligimus, quando ſe etſi Societatis amantiſſimum, Jeſuitis nihilominùs, iis puta qui adulatores & delatores ſunt, iraſci poſſe profitetur: quâ de re veteranus Jeſuita & Poloniæ provincialis *Joannes Argentus* in ſuo pro Jeſuitis Apologetico ad Poloniæ Regem cap. 7. ita ſcribit: *Non eſt rationi conſonum pro uno nocente innocentes multos condemnare: at prudentis eſt, optimam illam mentem induere, quam Sereniſſimus Archidux Ferdinandus ſe induiſſe declaravit, cùm Societatis hominibus ſe iraſci poſſe, Societati iraſci non poſſe pronunciavit.* Itaque hujus primarii Jeſuitæ, atque ipſius etiam Imperatoris judicio prudentiſſimus quiſque & optimæ mentis ſi minùs Societati, ſaltem Jeſuitis iraſci poteſt: cui conſequens eſt Jeſuitas inveniri, qui bonorum iram factis ſuis mereantur. Quis igitur jam uſque eò cæcus & amens, ac non tam Societatis, quàm ſui ipſius amans ſit, ut ſe ſolum rectè Jeſuitas noviſſe, & propter virtutes ac merita erga Remp. amare, reliquos omnes, ac nominatim Pontificem & Cæſarem, iſtoſque veteranos Jeſuitas Marianam, Flo-

ravan-

ravantium, Vetterium & Argentum, aut cæcutire in Jeſuitarum rebus, aut minimè candidè pretium operæ illorum ſtatuere perſuaſum habeat? Ego quidem pro vero ac germano amore, quem erga Societatem Deo teſte profiteor, optimè de illa meriturum me puto, ſi operâ meâ annitar, ut ſublatis illis quæ Pontificem, Imperatorem, aut quemcunque bonum in Societatis hominibus poſſunt offendere, non modò ab omnibus bonis vereque Catholicis amentur Jeſuitæ, ſed & merito ipſorum amentur, eumque erga ſe amorem illorum ſtabilem ac perpetuum fore ipſis exploratum ſit, ita ut Chriſtianiſſimus Imperator poſthac non modò Societati, ſed nec ſociorum cuiquam ſuccenſere poſſit. Hoc autem non aliis modis confectum dare poſtulo, quàm quos D. Ignatii inſtitutis, moribus & verbis conſentaneos videmus: de quo in vita ejus Maffeius ſcribit, dicere ſolitum: *Quibus artibus, quove ſpiritu excitata & conflata eſt Societas, eodem profectò alenda & conſervanda eſt.* Cenſuit nimirum, ſi, ut ſunt humana, temporis longinquitas nonnihil corruptelæ in Societatem invexiſſet, atque ab artibus illis illoque ſpiritu, quo primùm conflata fuerat, eam abduxiſſet, aliter diu ſalvam ac vitalem eſſe non poſſe, niſi ad priſtinas artes ac nativum & primigenium, ut ita dicam, ſpiritum retraheretur. Quæ porrò artes, quive ſpiritus fuerit, quo Societatem Ignatius primùm conflavit, id Maffeius paſſim explicat, & duobus hiſce capitibus complectitur, Fugâ Ambitionis & Avaritiæ. *Omnes*, inquit, *honoris gradus à ſpiritu humilitatis ac paupertatis, quem profitetur Societas Jeſu, vehementer abhorret*, lib. 2. cap. 18. *Providit B. Ignatius quantum ingenio & cogitatione aſſequi valuit, cùm ut cæteris vitiis, tum verò ut Avaritiæ & Ambitioni, quæ duæ ſunt pernicioſiſſimæ mortalium peſtes, omnino obſtrueretur aditus, veraque Humilitati & Paupertati quàm maximus & maximè diuturnus honos ob omnibus haberetur*, lib. 2. cap. 20. *Si qui ex Sociis B. Ignatii factâ poteſtate ſe ad publica ſpectacula licita conferrent, eos ipſe etiam atque etiam jubebat ſine ullo arrogantiæ*

aut levitatis indicio modeſtiam ac ſubmiſſionem tenere, cedere omnibus, & infimum ſemper locum eligere, lib. 3. cap. 6. Præterea quàm exactè ſuum ipſe inſtitutum obſervare, & exemplo Jeſuitas eadem docere conſueverit, non uno loco Maffeius commemorat. Verbi gratiâ lib. 3. cap. 5. *Ab omni faſtu & moribus imperioſis vehementer Ignatius abhorruit. Alloquendi ejus cauſâ nihil erat neceſſe tempus opportunum aut molles captare aditus: qualibet adiiſſes horâ, ſive corpore meliùs haberet, ſive deteriùs, & accipiebat benignè, & patienter ad finem uſque, ſine interpellatione audiebat.* Et lib. 3. cap. 1. *Peregrinis hominibus conditionem ipſo interprete (quod multùm apud Principes authoritate valeret) in Aula quærentibus, negabat ſibi niſi cum ſummi Regis Aula rem eſſe: ad eam ſi aditum optarent, daturum ſe operam, quantum labore ac precibus aſſequi poſſet, ut eſſent in intimis Regis amicis ac familiaribus.* Et lib. 3. cap. 8. *Voluntariam paupertatem, quam ille Religionis Murum appellabat, ad extremum uſque conſtantiſſimè coluit.* Et lib. 3. cap. 9. *Cùm lege caviſſet, ne quis è noſtris vel exſequiarum, vel ſacrificii, vel cujuſpiam omnino miniſterii nomine pecuniam aut eleemoſynam ullam acciperet, nedum cogeret: eam ipſe legem diligenter ſanctèque in omni vita ſervavit, neque commiſit unquam, ut (quod vitandum eſt maximè) ſpecie pietatis quæſtum facere videretur.* Ac tametſi operarium ſuâ mercede dignum, neque nullum ad navandam utilem Reip. operam in rerum victui, cultui, ſtudiiſque neceſſariarum copia momentum eſſe intelligebat, ſedulò tamen cavit, ne plus quàm ſat ſit, in ejuſmodi rerum præſidio confidere videretur, adeò ut Hieroſolymam profecturus nec viaticum, nec comitem admittere voluerit, *Quod à divina providentia* (ait Maffeius) *pendere uſquequaque cuperet. Perſpiciebat enim, ſi peregrinanti ſibi quippiam adverſi eveniſſet, fieri non poſſe, quin aliqua ſaltem ex parte comitis præſidio fideique confideret: proinde quicquid in eo ſpei locaſſet, id utique ex ea detractum iri fiducia, quam totam in uno Deo Clementiſſimo parente ac rectore vellet eſſe repoſitam.* Eundem in S. Xaverio

rio ſpiritum, easdemque artes fuiſſe, idem Maffeius ſic teſtatur: *Omne commeatus & viatici genus in Indias ad prædicandum Chriſtum profecturus rejecit, cùm ita diceret: Suſcepto paupertatis voto, & unius Dei cauſam agenti ſibi nequaquam eſſe de craſtino laborandum.*

Sic ergo habemus, quibus artibus D. Ignatius Societatem ſuam duraturam & incrementa ſumturam exiſtimarit, ſi nempe Socii ſui ab omni ſuperbia, ambitione, faſtu & moribus imperioſis vehementer abhorreant; ſi omnibus cedant, & infimum ſemper locum in conſeſſibus eligant; ſi nihil ſibi cum Principum Aulis negotii eſſe velint, neque conditionem aut locum apud Principes quærentibus interpretes ſe aut precatores præbeant; ſi Avaritiæ etiam ſuſpiciones fugiant, & voluntariam paupertatem conſtantiſſimè colant; ſi de craſtino non nimis laborent, neque fiduciam in commeatus aut viatici abundantia collocent, multò minùs autem ſpecie pietatis quæſtum faciant ac diteſcant.

Neminem proinde intelligentem dubitaturum arbitror, ſi nunc S. Ignatius in terris exſiſteret, quin magnoperè ei probaturus ſim meam de conſervanda & amplificanda ipſius Societate ſententiam., nihil aliud, quàm omnem à Societate Avaritiæ & Ambitionis quà culpam, quà ſuſpicionem excludendam proculque habendam eſſe cenſentis. *Omnium* quippe, *qui ad Rempub; accedunt rationes non veritate ſolùm, ſed etiam famâ niti cenſebat Ignatius*, velut idem Maffeius auctor eſt. Apoſtoli enim Pauli monitum eſt, ut *Provideamus bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, utque ab omni mala ſpecie nos abſtineamus:* hoc eſt, ut non eſſe tantùm, ſed etiam videri boni velimus, & ne cui de nobis ſuſpicioni locus ſit, accuratè caveamus. Nempe *unaquæque arbor de fructu ſuo cognoſcitur*, & tanti quicque quod dicitur, facere homines ſolent, quanti eum, qui dicit, æſtimant. Itaque nemini magis, quanti ab aliis fiat, curandum eſt, quàm qui aliorum utilitati conſulere cupit. Talis enim effugere non poteſt, quin quantum de exiſtimatione ſua, tantùm de aliorum ſalute deperdat. In quam ſenten-

tiam D. Auguſtinus ſcribit: *Non ſunt audiendi viri ſancti, quando reprehenſâ in aliquo negligentiâ ſuâ (per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt) dicunt, ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam: exiſtimationem hominum non ſolùm imprudenter, verùm etiam crudeliter contemnentes, cùm occidant animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, ſive etiam cum excuſatione imitantium non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra.*

Et Avaritiæ quidem excludendæ modus tribus mihi videtur partibus contineri. Primum, ſi Domus probationis omnes tollantur, tanquam contra D. Ignatii mentem præterque Societatis leges inſtitutæ, ac Novitii eodem prorſus modo educentur, quo apud Religioſas familias cæteras ſolent, quemque ipſi Jeſuitæ à D. Ignatio traditum benè diu ſervaverant. Ut enim libri ſui capite quinto Mariana demonſtrat, *contra mentem D. Ignatii & contra ſtatuta Ordinis introductæ ſunt Domus probationis, ubi Novitii exquiſitis epulis ac fructibus paſcuntur, variiſque deliciis & plurimis commoditatibus adſueſiunt: eoque fit ut animi magnæ partis Jeſuitarum ſint amantes deliciarum & intolerantes laborum ac moleſtiarum, adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolint.* Hunc porrò graviſſimorum damnorum cùm temporalium, tum ſpiritualium, Societati fontem & cauſam eſſe idem Mariana diſputat. Quod enim ad temporalia attinet, primùm nimio numero Laici ſeu Coadjutores temporales admittuntur: qua de re cap. 7. & 8. Marianæ verba ſunt. *Societatem perdit nimia Laicorum multitudo, cùm quaſi dimidia Societatis pars ſint Laici, quoniam noſtri volunt Novitios & ſtudentes in nimio otio educare, neque ulli labori admovere, & quoniam dedignantur ab aliis Monachorum Ordinibus quicquam diſcere. Ordinariè autem ſeu plerumque Laici noſtri ſunt parum rationis capaces, inge-*

ingeniis aſperis, velut ex officina aut ab aratro profecti, laboris etiam fugitantiores, ita ut unus novitius tantum operis faciat, quantum duo aut tres Laici, cùm tamen duo Laici tantum conſumant, quantum tres Sacerdotes, quippe qui multum comedant, multum bibant, multum rumpant aut frangant, in faciendis denique impenſis animoſi ſint non aliter quàm ſi Comitum eſſent filii. Deinde res hæc grandi ære alieno Societatem obruit, quod cap. 5. Mariana queritur, qui etiam cap. 8. ita damnum hoc exſequitur: *Societas ingenti ære alieno eſt obruta, ita ut in ſola provincia Toletana pluſquam* 250. *millia ducatorum debeamus: nec enim facimus, quod aliis ſuademus & præcipimus, ut metiamur reditus noſtros, nec plus expendamus quàm poſſidemus. Quando adhuc valde exiguæ erant facultates noſtræ, nihil alieni æris habebamus: nunc autem ditiores facti debitis penitus obruimur.* Præterea iſta Novitiorum educandi ratio eos reddit adminiſtrandæ rei familiaris imperitiſſimos, velut ex his Marianæ verbis cap. 5. intelligi poteſt: *Noſtri nunquam didicerunt eſſe homines, ac propterea non aliter, quàm beſtiæ, ab aliis curari neceſſe habent. Quippe qui in Novitiatu ſuo ad nullam rei familiaris partem adhibeantur, itaque habeantur concluſi, ut neque eos videant, qui ſunt ejuſdem Religionis, neque ab illis videantur.* Tandem ex eadem cauſa multi Sociorum valetudinis jacturam faciunt, aut etiam præmaturè vitâ carent, quoniam ductâ in Novitiatu conſuetudine, *diu multumque comedunt, neque tamen quicquam operis faciunt, contra mentem & praxim D. Ignatii*, ut cap. 5. Mariana queritur; cujus ibidem hæc quoque verba ſunt: *Noſtri non ægrotant, neque moriuntur quia nimium laboraverint, ſed quia intemperantiùs cibis ſe repleverint ac delicatè nimis vixerint.* De ſpiritualibus verò damnis iisdem oriri ſolitis ex his Marianæ verbis, quæ eodem capite quinto leguntur, judicium fieri poteſt. *Noſtri Novitiis educandis minimè ſatisfaciunt ſtatutis Societatis, quæ jubent Novitios probari peregrinationibus, hoſpitalium viſitationibus & miniſteriis ſervilibus. Nam talia aut omnino prætermittuntur,*

tur, aut defunctoriè tantùm ac dicis causâ, ſeu pro forma ab eis præſtantur. Itaque humilitatem, caritatem, patientiam aliaſque virtutes potiùs ſpeculari ſeu meditari, quàm opere ipſo exercere diſcunt.

Alterum excludendæ Avaritiæ caput eſt, ut qui Jeſuitarum profeſſi ſunt, in domibus Profeſſis, non in Gymnaſiis aut Scholarum Collegiis vivant, neque eorum reditus conſumant, ſed paupertatem, quam voverunt, bonâ fide colant, & ex ſtipe oſtiatim corrogata victitent. Quod contra nunc fieri in Epilogo Mariana ſignificat: *Major pars Jeſuitarum, qui quatuor vota profeſſi ſunt, non ſervant paupertatis votum, cùm vivant in Collegiis eorumque reditus conſumant.* Iſti enimverò ſic ſe à Seneca compellari rectè ſtatuerint: *Eſt intolerabilis res poſcere nummos & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium. Hoc profeſſus es. Hanc perſonam induiſti: Agenda eſt. Iniquiſſimum eſt te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere.*

Poſtrema Avaritiæ pellendæ ratio eſt, ut Collegia certis & ſtatis vectigalibus contenta ſint, & eleemoſynas nec petere à quoquam, nec accipere audeant, ita ut ſi verbi gratiâ civitas quæpiam quinquaginta Jeſuitarum operam habeat neceſſariam, in ſingula capita octoginta floreni vel aurei ſtati ac perpetui reditus ſtatuantur, in Bibliothecam trecenti, totidem in ſacram ſupellectilem, certa item ſumma in Valetudinarium, in ſarta tecta ædium, quæque alia res poſcet, ut omninò ſibi ac neceſſitatibus ſuis abundè proviſum, nec de ulla re ad victum, cultum & tectum; tum etiam ad operam docendæ juventuti & ſaluti animarum navandam neceſſariâ ſibi laborandum fore intelligant. Si quorum Collegiorum majora ſint vectigalia, ea ſive ad alendos pueros literarum ſtudioſos, quibus neceſſaria non ſuppetunt, ſive ad Scholas in aliis civitatibus inſtituendas Epiſcoporum (non autem P. Generalis Præpoſiti) authoritate converti poſſunt.

Hoc modo ſi à Societate exſulet Avaritia, ut ſcilicet neceſſariis ad vitam & ad operam Dei gloriæ animarumque ſaluti navandam contenti ſint, primùm omnium

nium malo illo vacabunt, quod opibus & divitiis, hoc eſt, rerum ſupervacuarum copiæ perpetuò ferè annexum invenitur, *In ſatietate* puta, ſive plura poſſidendi deſiderio, *nunquam improba ſpei* (ait Seneca) *quod datur, ſatis eſt. Eo majora cupimus quo majora venerunt, multoque concitatior eſt avaritia in magnarum opum congeſtu collocata, ut flamma infinitò acrior vis eſt, quo ex majore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea menſura honorum conſiſtere, quæ quondam ejus fuit impudens votum. Cui aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis jaces: ei verò, qui ad illa pervenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc quærit adſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas, gradus eſt.* Propter hoc periculum, ſupervacuarum opum deſiderium recidere ſic à Spiritu Sancto monemur. Proverb. 23. *Noli laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ* (id eſt, in acquirendo induſtriæ) *pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Id eſt, quia oculi tui ſive cupiditates tuæ ad altiſſima quæque ferentur, nec unquam quantiſcumque opibus ſatiari poterunt. *Infernus* enim *& perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.* Proverb. 27.

Deinde plus multo temporis Jeſuitæ habebunt, quod literarum ſtudio, & ſacris meditationibus impendant, cùm cauſa nulla ſit futura ut ad captandam Magnatum, divitum, orborum, præcipueque opulentarum viduarum gratiam, & ad ineſcandos inque gregem ſuum pelliciendos peculioſos aut formoſos adoleſcentes omnem cogitationem, ſtudium & laborem ſuum conferant, in eoque dies & noctes occupentur.

III. Multò plus in literis quà ſacris, quà profanis proficient, cùm tempus omne ſtudendo ac meditando conſument, eoque pacto longè pluribus in omni diſciplinarum genere eximiis viris Societas eorum illuſtrabitur, & multò majores Eccleſia utilitates ex ea percipiet.

IV. Non magnoperè ſatagent, ut Principum fiant Confeſſarii, cùm ea in re nec ipſis, nec Societati quicquam ſeri aut meti intelligent; quippe qui jam habituri ſint omnia quæ vitæ uſus poſcit, & quicquam præterea cùm petere, tum accipere vetentur.

V. Neminem Principum aut Magnatum nec privatim nec publicè adulabuntur ad gratiam eorum colligendam, cùm inde boni nihil ſcilicet exſpectent. Ita nec aliis exemplo erunt ad gratiam Principum fœdis aſſentationibus colligendam.

VI. De fama & exiſtimatione aliarum Religioſarum Familiarum minimè detrahent, ſed omnes potiùs commendabunt, & honore ac reverentiâ proſequendas curabunt, idemque eis officii genus ab illis viciſſim præſtabitur. Neutris enim cauſa erit, cur alios velut quæſtui ſuo obſtantes impeditum eant.

VII. Alios inſignes in literis viros nequaquam exiſtimatione ſuâ exuere volent, nec à docendi provincia ſubmovebunt, quippe quos benè audire numeroque diſcipulorum ſine ullo Societatis damno florere poſſe intelligent.

VIII. Nullis utentur inimicis, nec alios homines aut doctos aut Religioſos experientur infeſtos, ſublatâ videlicet æmulationis & invidiæ materiâ, mutuæque detractionis vel obtrectationis occaſione.

IX. Multò meliores inque Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis præſtantiores facient diſcipulos, quippe qui ſive apud ipſos, ſive apud alios Magiſtros ſolidiora in humanioribus literis fundamenta jecerint. Nunc enim, ut Mariana ſcribit cap. ſexto, *ii literas in Societate docent, qui eas neque didicerunt unquam, neque diſcere volunt*, cùm eas contemni ac literatos jacere, nulloque ferè numero haberi in Societate videant: unde porrò idem fieri queritur, *ut perpaucos Societas bonos Philoſophos ac Theologos habeat, nullos excellentes Concionatores, nullos Eccleſiaſticarum rerum, nullos humaniorum literarum peritos*, ut ejuſdem cap. 14. videre eſt. Itaque apud Tranſalpinos eum, qui benè ſit in Græcis ac Latinis ſcriptoribus verſatus, pro Hæretico

tico habere contingit, quod ſatis exploratum ſit, Jeſuitarum auditores in Hellade ac Latio hoſpites eſſe, nec ferè niſi *Pontanos*, *Raderos*, *Bidermannos*, *Famianos*, *Gallutios*, *Maffeios*, alioſque ſemidoctos & ſemibarbaros nugarum ſcriptores cognitos habere.

X. Nihil villarum, fundorum aut ruſticorum prædiorum habere volent, aut poterunt, ademtâ eis omni de rebus ad vitæ uſus neceſſariis cogitandi neceſſitate.

XI. Aberunt à faſtus ac ſuperbiæ periculo, ut rectiùs ſe colligere & humilitatem religioſamque modeſtiam, quam profitentur, opere ipſo præſtare poſſint. Nunc enim, ut Mariana cap. nono experientiâ compertum ſcribit, *prædia ruſtica cauſa ſunt, cur Jeſuitis animus accedat parum humilis, & parum ſpiritualis.*

XII. Nimio Laïcorum numero non gravabuntur, quoniam opera eorum ad prædia ruſtica non requiritur, in Collegiis autem domeſtici miniſterii partes Novitiis, iiſque qui literis operantur, mandari poterunt: quod ex multiplici Societatis uſu futurum Mariana cap. 5. & 7. demonſtrat.

XIII. Vix ullam jure cum aliis experiundi ſeu litigandi occaſionem habebunt, neque cauſis eorum tribunalia perſtrepent, quoniam ſcilicet neque hæreditates ullas captabunt aut perſequentur, neque prædiis abdicatis ulla de re cum vicinis ambigent, quemadmodum nunc quotidie, Romæ præſertim, eis uſuvenit: ubi hoc etiam ab Illuſtriſſimo Cardinali *Marcello Creſcentio*, cùm Cameræ Auditorem ageret, aliiſque juri reddendo præfectis obſervatum eſt, etſi perſæpe cauſâ cadant Jeſuitæ, nunquam tamen eos animum inducere, ut verè victos ſe agnoſcant, ſuamque cauſam minùs juſtam fateantur, quin invidioſiſſimè de Judicibus querantur, velut in alteram partem æquo inclinatioribus, ſibique ſub eis parem dimicationem fuiſſe negent.

XIV. In ſuo poſthac ære eſſe poterunt, nec alienos poſcere nummos neceſſe habebunt, quoniam nec præ-

dia

dia ruſtica, nec tantum otioſorum hominum, præcipueque Laicorum alent. Ut enim cap. 5. 7. & 8. Mariana monet, Societas ingenti ære alieno nunc eſt obruta, ita ut *in ſola provincia Toletana pluſquam ducenta quinquaginta ducatorum millia debeat*: cujus rei præcipuas eſſe cauſas ait, *quòd Novitii & Studentes in nimio otio ac deliciis educentur, neque ulli labori admoveantur. Hinc enim fieri, ut animi magna partis Jeſuitarum ſint amantes deliciarum, & laborum ac moleſtiarum intolerantes, adeoque pedibus iter facere & frigus æſtumque tolerare nolint: ut etiam dimidia quaſi Jeſuitarum pars ſint Laïci, homines plerumque rationis parum capaces, velut ab officina aut aratro profecti, qui honorem parvi faciant & labores refugiant, multum tamen interea comedant, multum bibant, multum corrumpant, in faciendis verò impenſis animoſi ſint non aliter ac ſi Comitum eſſent filii:* Eo accedere, quòd litium quoque impenſæ vehementer Societatis facultates imminuant; *quotannis* quippe *in lites & vecturas librorum ac literarum pluſquam quinquaginta ducatorum millia in Societate ſumtus fieri.*

XV. Curâ Collegiorum, in quibus convictores pueri aluntur, poſthac ſe abdicabunt, & oneri iſti omnium ingratiſſimo, nec minimum lubrico & ſuſpicioſo, hominibus quidem certè tranquillitatem & quietem animi conſectantibus vehementer adverſo, ſeculares potiùs Sacerdotes, aut quemvis alium ſuccedere patientur. Siquidem cauſa erit ademta, cur aliquantulum lucelli ex convictoribus facere, eorumque impenſis nonnullas Societatis ſuæ tolerare cupiant.

XVI. Magno vereque improbo levabuntur labore alienos libros compilandi, ut ingentia ac Giganteæ molis volumina ſubinde extrudant, eoque pacto plauſum popularem & ſingularis cujuſdam præ cæterarum Religioſarum ſodalitatum hominibus ingenii, ſapientiæ & eruditionis opinionem ſibi conficiant. Cùm enim nihil eis ad vitam neceſſarium ſit defuturum, nihil etiam præterea emolumenti acceſſurum, quis eos gratis nulloque tanti laboris pretio tam ſatageos vereque ærumnoſos futuros credat?

XVII.

XVII. Non habebunt, cur cæterorum Religioſorum ſimiles videri, Deoque preces, laudes & hymnos in Choro decantare tantoperè aſpernentur. Plurimum enim temporis Avaritia iis, quos dixi, modis coërcita lucrifacient, quippe ubi nec de colligenda Principum gratia erunt ſolliciti, nec in occaſiones captandarum hæreditatum intenti, nec litium moleſtiis diſtricti, nec convictorum rationibus ſubducendis & conſolidandis occupati, nec villaticarum rerum adminiſtratione impediti. An ergo erit, ut quod eis temporis ſuperfluet, alibi quàm in Choro conſumtum Deique laudibus tributum malint?

XVIII. Hoc conſequentur, ut & Homines & Viri exiſtimentur, qui ipſi corpus ſuum procurare, & labores ferre, pedibus iter facere, & frigus æſtumque tolerare, deliciis verò vitæque commoditatibus æquo animo carere poſſint: quod contra nunc fieri Mariana cap. 5. conqueritur, ob pravam & menti S. Ignatii ac Societatis legibus adverſam Novitiorum educandi rationem: cui acceptum refert, quòd *Jeſuitæ nunquam diſcant eſſe homines, ac propterea non aliter, quàm beſtias, ab aliis curari neceſſe habeant.*

XIX. Morbis ex otio, deliciis ac vitâ deſide oriri ſolitis minùs infeſtabuntur, ac diutiùs vitales erunt. Ut enim eodem capite quinto Mariana affirmat, *multi Jeſuitarum diu multumque comedunt, nec tamen quicquam operis faciunt, nec ulli eorum ægrotant aut moriuntur, quia nimium laboraverint, ſed quia ſe cibis intemperantiùs repleverint, ac delicatè nimis & in otio vixerint.*

XX. Dabunt voci ſuæ vocem virtutis multoque erunt ἀμπιστότεροι ac fide digniores, cùm à vitiis, præcipueque ab avaritia & ab hæreſi revocare homines, eiſque liberalitatem, juſtitiam, paupertatis ſtudium & fidei catholicæ veritatem perſuadere conabuntur. Paulus quidem Apoſtolus quâ potiſſimum arte gentiles ad amplectendam Chriſti doctrinam impellere ſoleret, hoc modo explicat, 1. Theſ. 2. & 2. Theſ. 3. & 1. Corint. 9. *Scitis introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit, ſed an-*

antè paſſi & contumeliis affecti fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Evangelium Dei. Non quaſi hominibus placentes loquimur, ſed Deo, qui probat corda noſtra. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli, (Id eſt, cùm poſſem ſtipendium à vobis exigere, ad me ipſum eoſque qui mihi miniſtrant alendos, quod Petrus, Jacobus, & cæteri Apoſtoli faciunt) *tamen non uſi ſumus hac poteſtate, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Non quaſi non habuerimus poteſtatem* alimenta à vobis exigendi, *ſed ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti, & ut nosmetipſos formam demus vobis ad imitandum nos.* Hæc eadem ſi de ſe Jeſuitæ verè profiteri poterunt, pro exploratiſſimo haberi debet, nullo genere minorem ab eis, quàm ab ipſo Paulo, Dei gloriæ ſalutique animarum operam navatum iri. *Sermo* quippe *& prædicatio Pauli non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis*, 1. Cor. 2. Reliqui etiam Apoſtoli *virtute magnâ teſtimonium reddebant Chriſto, & gratia magna erat in illis*, quia ex tanto auro & argento ad pedes eorum à fidelibus depoſito eorumque ditioni ac nutui permiſſo, *nemo eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed inde dividebant ſingulis prout cuique opus erat.* Act. 4. Quis tandem Principum eſt, quantumcumque Jeſuitas amet, cui non riſum erumpere neceſſe ſit, ſi hodie Jeſuitas Apoſtoli verbis de ſe profitentes audiat? *Non quaſi hominibus placentes loquimur, nec fuimus aliquando in ſermone adulationis, ſicut ſcitis; neque in occaſione avaritiæ, Deus eſt teſtis.* Ut enim de avaritia dicere prætermittam, cujus occaſionem nullam nec minimam eis effluere Deus teſtis eſt, & mundus novit univerſus: adulationum nemo magis, quàm ipſi Principes eis eſt conſcius. Nec enim in privatis modò ſermonibus curæ habent exquiſitiſſimo

mo, aſſentationis genere Principes demereri, ſed in ipſis quoque ſacris concionibus & ſcenicis actionibus in laudes præſentium effundi non dubitant, & quoniam voci ſuæ diffidunt, nec linguas ſuas adulatoris partes ſatis peragere credunt, in partem vocantur parietes, columnæ & periſtylia, & elogiorum laudationumque nulla fronte in Principes congeſtarum implentur. Atque hoc in Societate eſt epidemium, ſolenne ac pervulgatum, nec ullus terrarum locus eſt, ubi domicilium habent Jeſuitæ, quin fœdiſſimarum id genus adulationum anniverſaria ſpecimina videat. Itaque cùm Jeſuitarum, tum Principum noſtræ ætatis exemplo fides fit, minimè vana eſſe, quæ à Seneca ſcripta legimus. *Illud præcipuè impedit, quod citò nobis placemus. Si invenimus qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus. Nec ſumus modica laudatione contenti. Quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum pendimus. Optimos nos eſſe; ſapientiſſimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus illos ſæpè mentiri. Apertis & propitiis auribus adulatio recipitur, & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa, quo lædit. Non eſt, quod nos magis alienâ judices adulatione perire, quàm noſtrâ. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? Quis non inter laudantium blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt? Adulatoribus ergo latus ne præbeas. Artifices ſunt ad captandos ſuperiores. Par illis, etiam ſi benè caveris, non eris. Habent hoc in ſe naturale blanditiæ: etiam cùm rejiciuntur placent: ſæpe excluſa, noviſſimè recipiuntur. Hoc enim ipſum imputant, quod repelluntur, & ſubigi ne contumelia quidem poſſunt. Alius adulatione clam utetur parcè: alius ex aperto palàm, ruſticitate ſimulatâ, quaſi ſimplicitas illa, non ars ſit. Plancus artifex maximus aiebat, non eſſe occultè, non ex diſſimulato blandiendum. Plurimum adulator cùm deprehenſus eſt, proficit: plus etiamnum ſi objurgatus eſt, ſi erubuit. Adulationi opponimus, non claudimus oſtium, & quidem ſic, quemadmodum oponi amicæ ſolet: quæ ſi impulit, grata eſt: gratior, ſi effregit. Quò apertior eſt adulatio, quo improbior, quo magis frontem*

tem perfricuit, hoc citiùs expugnat.Eò enim jam dementia venimus, ut qui parcè adulatur, pro maligno ſit. Jam ſi quis certò ſcire velit, gloriamne ab hominibus Jeſuitæ quærant, experimento capto id ei diſcere licebit. Accedat ad eos, narretque auditum ſibi virum quendam doctum, qui præ ſe ferre non dubitet, non omnes omnium Jeſuitarum actiones ſibi placere, neque rectè atque ordine ab illis fieri, quod bonorum auctorum libris ſuis auditoribus interdicant, & linguam Latinam diſcere aventibus ſuos *Gallutios*, *Stradas*, *Maffeios*, *Pontanos*, ejuſdemque farinæ alios, nihilo quovis nummo novo meliores obtrudant. Statim, ſat ſcio, velut gravi acceptâ injuriâ totis irarum habenis in illum, quiſquis erit, debacchabuntur,& *aſinum, ſtipitem, illiteratum, Societatis hoſtem, meritoque de hæreſi ſuſpectum* dicent. Adeò illis gloria ſua & popularis de ſe exiſtimatio cordi eſt, ut præ illa nihil jam modeſtiæ, nihil humilitatis, nihil patientiæ, nihil denique præclari illius præcepti ac promiſſi ſui meminiſſe poſſint, quo ſeſe cùm in Societatem Jeſu admitti peterent, obligarunt. Chriſti ſcilicet verbum eſt.Pſalm. 68. *Improperium exſpectavit cor meum & miſeriam*; de quo & Propheta Thren. 3. *Saturabitur opprobriis.* Hic Socios & diſcipulos ſuos in prima admiſſione hoc præcepto imbuit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, hoc eſt imitamini quod in me videtis, eſurite opprobria, exſpectate improperia, utque ab omnibus contemnamini, irrideamini, proque fatuis, inſipientibus & indoctis habeamini, in votis habete. *Hoc jugum* eſt *meum*, quod à vobis cervicibus veſtris tolli, *hoc onus*, quod humeris impoſitum portari, hæc denique varia ſeu verſicoloria veſtis & *Livrea* mea, ex qua familiæ meæ domeſticos cognoſci, & ab iis, qui de Mundi cohorte ſunt, internoſci volo. Itaque S. Ignatius in Examine generali eorum, qui Jeſuitæ fieri cupiunt, cap. 4. eos, qui examinantur docet, *diligenter animadvertere oportere, magnificando ſummique momenti id eſſe ducendo in conſpectu creatoris noſtri, quantopere juvet ad vitæ ſpiritualis profectum, non ex parte tantum, ſed om-*

omninò abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere ac totis viribus concupiſcere, quicquid Chriſtus amavit & amplexus eſt. Ut enim mundani homines diligunt & quærunt honores, famam, magni nominis exiſtimationem in terra, ſicut Mundus eos edocet: ſic qui ſeriò Chriſtum amant, ardenter exoptant iis contraria, indui nimirum eadem veſte & inſignibus Domini ſui pro ipſius amore; adeò ut ſi ſine offenſione ulla Dei & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia & injurias pati, ac ſtulti haberi (nullâ tamen ad id per eos datâ occaſione) eo quòd exoptant aſſimilari & imitari aliquo modo Chriſtum, ejuſque veſtibus & inſignibus indui, quandoquidem ille ipſe propter majorem profectum noſtrum ſpiritualem induit, nobiſque exemplum dedit, ut in omnibus eum imitari & ſequi velimus. Examinandus proinde interrogetur, an decreverit paratuſque ſit injurias, illuſiones, & opprobria in Chriſti Livrea ſive *inſignibus incluſa, quæ ei inferentur per quemvis viventium, admittere & patienter ferre, nullique malum pro malo, ſed bonum pro malo reddere.* Hoc ipſum in libro, qui *Regulas Societatis Jeſu* complectitur, capite undecimo *Summarii Conſtitutionum*, ab omnibus Jeſuitis obſervandum præcipitur: & *Alfonſus Rodriguez* parte ſecundâ de perfectionis & virtutis Chriſtianæ exercitio, eos qui hanc regulam non examuſſim obſervant, negat eſſe verè Religioſos, neque Jeſuitarum præter nomen quicquam habere. Quotusquiſque verò Jeſuita hanc inſignem familiæ Jeſu veſtem non projicit, omneque contemtus genus non toto pectore averſatur? Scilicet omni vi perſuaſum omnibus volunt, Jeſuitas omnes eſſe ſanctos, eſſe inculpabiles, eſſe literarum, omniſque doctrinæ ac ſapientiæ principes: qui verò aut Jeſuitæ non ſint, aut in ſcholis eorum docti non fuerint, eſſe vilia ac plebeia capita, frivolos minimæque rei homunciones. His vocibus aures Jeſuiticorum diſcipulorum quotidie perſonant, eoque fit, ut illi vel maximi nominis in literis viros prorſus ignorent, ac neque de nomine noverint, quamvis eos ipſe Pontifex, Imperator, Reges ac Principes doctrinæ vir-

virtutiſque laudibus ad cœlum uſque extollere ſoleant. Quia ſcilicet mundum amant Jeſuitæ, eaque quæ in mundo ſunt, præcipueque quia opes ab hominibus in Collegia ſua certatim congeri exoptant, ſua plurimùm intereſſe arbitrantur, ita perſuaſum eſſe hominibus, nemini pietatem, virtutes aut literas poſſe contingere, niſi Jeſuitis utatur Magiſtris. Itaque ſi quos per vias Jeſuitas incedentes videas, *modeſtiam vultus ac maturitatem inceſſus* nequaquam requiras, atque adeò ex ſubducto illo ſupercilio, ex vultu multa ac præclara minante, ex ſumma denique eorum accuratione, ut ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrent, Socratem tibi, vel dicam Divorum aliquem, Hieronymum puta, Auguſtinum vel Ambroſium, videre videaris. At eoſdem ſi vel diſcipuli, vel quivis alius paulò familiarior domi conveniat, ac vel ſolœciſmi aliquid magnum ac ſpectatum virum in aliquo Jeſuitarum notaſſe renunciet, ibi eos nihil quovis foſſore aut caprimulgo intereſſe, omnique maledictorum genere in eum invehi admireris; prorſus ut quicquam erroris in ullo Jeſuita reprehendere, id ſit grande nefas admittere, ac paulò minùs quàm divinam Majeſtatem minuere. Hic enimverò aures obſurdeſcunt ad monitum vel præceptum illud, quod in ſummario Conſtitutionum 29. loco ejus inſtillatur, *ut veram humilitatem in maturitate motuum omnium ſine ullo impatientiæ aut ſuperbiæ ſigno exhibeant.* Verè igitur qui tantâ laborant impatientiâ, nihilo tamen minùs de familia Jeſu videri poſtulant, *ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ. Sic & illi à foris quidem parent hominibus*, animo maximè compoſiti, mites & humiles corde, *intus autem ſunt pleni hypocriſi*, impatientiâ & regio prorſus ſpiritu, ut ſe iis quoque quos graviſſimè priores læſerunt, inviolatos eſſe debere judicent, ſibique licentiam dari velint in alterum, in ſe nolint alteri. Adeò *radix omnium malorum* etiam *κενοδοξίας* gloriolæque inanis, *eſt cupiditas. Nam qui volunt divites fieri*, & ſupervacua, ſive ſuo proprio, ſive com-

communi nomine poſſidere, *incidunt in tentationem & laqueum Diaboli & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum*, ut Apoſtolus docet, 1. Tim. 6. Qui ergo Principum ex animo Jeſuitis factum volunt, ſuâ pietate dignum fecerint, ſi ſummâ nitantur ope, ut iſtam tantorum malorum radicem præcidant, & ſupervacuorum cupiditate Jeſuitas liberent, auctoritate ſuâ interpoſitâ facientes, ut habeant illi quæcumque eis ad vitam & ad operam Eccleſiæ navandam ſunt neceſſaria, neque quicquam præterea eleemoſynarum ſuis Collegiis neque petere, neque accipere eis fas ſit. Ita non erit eis periculum, ne incidant in tentationem & laqueum diaboli, neu deſideria eos ſua multa & nociva mergant in interitum.

Reliquum eſt, ut de Ambitione ſimiliter videamus, quo ea modo à Societate excludi proculque haberi poſſit. Ambitio verò vel Præpoſiti generalis eſt, vel Sociorum, exemplo Præpoſiti ſui peccantium. Illa eſt latiſſimè imperandi cupiditas, ut ſcilicet omnes Societatis homines de ſe pendentes nutumque ſuum obſervantes videat, extra Societatem verò optimum & maximum quemque ſibi obnoxium ac propè devotum habeat. *In multitudine* ſcilicet *populi* ſubjecti eſt *dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*, ut Proverb. 14. affirmat Salomo. Alios etiam libentiſſimè imperia ſuâ excipientes, ac ſimul vel innuerit ipſe, vel increpuerit digitis, agillimè ad jubendum occurrere, & juſſa capeſſere paratos intueri, hoc enim verò eſt diviſum cum Jove imperium obtinere, ac paulò minùs eſſe, quàm præſentem Deum. Hujus porrò immenſæ & infinitæ ſuæ Ambitionis dominandique libidinis illuſtriſſimum nuper documentum dedit, cùm per Societatis ſuæ Patres ab Imperatore contendit, ut omni jure Carolinæ Academiæ Regni Bohemi in Pragenſe Jeſuitarum Collegium auctoritate regiâ tranſlato, ſuum Archiepiſcopo Cardinali ab Harrach jus eriperet, & alicui Jeſuitæ, quemcumque Patriarcha ſuus ei Collegio Rectorem præfeciſſet, omnes Regni Scholaſticos, tam diſcipulos, quàm Magiſtros, tum Bibliopolas & Libra-

rios

rios ac Typographos, hoc eſt quaſi dimidiam regni partem ſubjiceret: etſi Cæſarem eo facto piacularem futurum, inque ſanctionem, quæ *Bulla Cœnæ Domini* dicitur, graviſſimè peccaturum minimè ignoraret, qua de re ipſius Cardinalis Archiepiſcopi libellus videri poteſt qui ad immanem illius audaciam demonſtrandam ſufficit. Socii verò, quos idem cacoëthes tenet, ſe Magnatum amicitiâ ac familiaritate florere, multumque in Aulis præcipuè Principum, gratiâ & auctoritate poſſe, magni negotia momenti ſuæ prudentiæ ac fidei à Principibus committi, nec minimum clientibus ſuis procurationes ſive officia, aut dignitates & honores ambientibus præſidium in ipſis eſſe gaudent. De quo Ambitionis genere audire eſt operæ pretium, quid ipſe P. Claudius Aquaviva in ſuo *Induſtriarum* libro *de curandis Jeſuitarum morbis* anno 1615. Romæ edito cap. 15. judicarit.

Sæcularitas (inquit) *& Aulicismus inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, morbus eſt in Societate & intra & extra periculoſus, & iſtis qui eum patiuntur, & nobis ferè neſcientibus paulatim ſubintrat, ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad divinum obſequium hujuſmodi homines Societati, juvandi proximos &c. Sed revera quærimus interdum Nos ipſos, & paulatim ad ſæcularia deflectimus.*

Similiter *Inſtructionis pro Superioribus*, libri eodem tempore locoque editi cap. 1. ſic eundem morbum deſcribit:

Eſt & alia malorum radix longè periculoſiſſima, eoque periculoſior, quò minùs vulgo noxia cenſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occupatio, in quam Superiores ferri UT PLURIMUM, *ac variis nominibus ſupra modum effundi ſolent. Sunt enim qui naturâ quadam propenſione ad diſtractiones proni, non ſolùm oblatas occaſiones cupidè arripiunt, ut operam ſuam impendant, ſed eas ipſimet ultro*

trò quærunt, & naſci quodammodo ac ſuccreſcere faciunt. Alii per ſpeciem proximos lucrifaciendi, multis ſeſe viſitationibus (ſeu Principum, Magnatum & divitum congreſſibus) *implicant, iiſque non modò non neceſſariis, ſed parum etiam utilibus, atque in his ita verſantur, ut à ſæcularium moribus parum abſceaant.*

Quanti porrò quævis Ambitio ſit periculi, quàmque præſens Societati exitium portendat, in *Conſtitutionum Societatis* libro parte decimâ hoc modo ſignificatur.

Erit ſummi momenti, ut perpetuò felix Societatis ſtatus conſervetur, diligentiſſimè ambitionem, malorum omnium in quavis Repub. vel Congregatione matrem, ſubmovere.

Et in libro *Inſtructionum ad Superiores Societatis.* Inſtruct. 14. cap. 7.

Præcidantur initio iſtæ familiaritates cum Principibus, antequam adoleſcant & radices agant, quæ Societati noſtræ, niſi fortiter obſiſtamus, graviter minitantur, præſertim cùm Superiores connivent.

Et in eo, qui *Regulas Societatis* complectitur, regularum communium regulâ 41.

Sæcularia negotia, ut quæ ſunt à noſtro inſtituto aliena & vehementer à ſpiritualibus averſant, averſari convenit.

De ipſa verò Patris Generalis Ambitione Pater Mariana libri ſui de Regimine Societatis cap. 10. ex profeſſo diſputat, & à gravi querela hoc modo incipit.

Pervenimus nunc ad fontem & originem noſtrarum turbarum ac moleſtiarum, quas in Societate experimur. Singularis ferus depaſtus eſt eam. Monarchia iſta, meâ ſententiâ, nos humi affligit ac proſternit, non quia ſit

Monarchia, ſed quia non ſit benè temperata. Hæc enimvero bellua eſt, quæ quicquid attigit, populatur ac vaſtat. Quam niſi vinculis compeſcamus, non eſt, quòd ullam nobis quietem polliceamur, &c. Et ſi leges habemus, eaſque plures numero, quàm neceſſe ſit, Generalis tamen nihil in gubernatione leges moratur, neque in dandis officiis, neque in admittendo Socios ad profeſſionem, neque in conſtituendis Collegiis, neque innumeris in rebus aliis. Nam ſi leges ſint, ille in omnibus, aut propè in omnibus diſpenſandi ac legibus quem libeat ſolvendi auctoritate utitur. Cumque Monarcha, niſi Tyrannidem exercère velit, de rebus ſingularibus ac temporariis, nihil niſi de conſilii ſententia facere debeat, commiſeratione dignum eſt, de quo paſſim querelæ audiuntur, quòd res omnes in unaquaque provincia pro eo adminiſtrentur ac Provincialis, itemque alter ac tertius ſcribunt, quos ſibi Generalis novit fidos & obnoxios, reliquorum verò nulla ducitur ratio, etſi omni ex parte multùm illis præſtent.

Et capite proximo diſtinctè mala omnia exſequitur, quæ ex Pambaſilia, ſive abſoluta nulliſque legum vinculis adſtricta Generalis eique ſimilium Provincialium Præpoſitorum imperii formâ naſcuntur: quorum præcipua ſunt, quòd minùs juſtitiæ ſit in præmiis ac pœnis pro cujuſque merito tribuendis, quàm in quavis latronum ac ſicariorum ſocietate: quòd excellens virtus aut doctrina ad honores ac munera impedimento ſit, ac vel odium, vel contemptum inveniat: quòd atrocia eorum, qui præſunt, ſeu Superiorum delicta impunita maneant, non parùm ſæpe etiam iis ad majores dignitates ſuffragentur: quòd vectigalia Societatis ex piorum hominum eleemoſynis conflata Superiorum ſive temeritate & imperitiâ, ſive infidelitate ac fraude dilapidentur, corrumpantur, aut alienentur: quòd præclariſſima ingenia, quæ alioqui utiliſſimam Reipub. operam navare potuiſſent, in Societatem recepta ſine ullo ferè operæ pretio in ea deſideant, nec ſolùm in quovis diſciplinarum genere parum proficiant, ſed etiam in virtutis amore relangueſcant: quòd quicumque

ia-

ſaluti & incolumitati ſuæ conſultum volunt, aut ad procurationes & officia adſpirant, Superiorum gratiam vel aſſentationibus, vel deferendis Sociorum nominibus colligere neceſſe habeant: quòd denique multi innocentes Dei famuli injuſtè affligantur, prorſusque etiam in Societate interficiantur: cujus rei cùm ingens ſit atrocitas, quæ non temerè fidem inventura videatur, cumque Hetruſcus interpres vitioſum nactus codicem minùs rectè (item ut in multis aliis) Marianæ verba converterit, totum illum locum capitis XIV. ex Hiſpanico exemplari recitari placet.

Es coſa miſerable, que por nueſtros peccados muchas veces ſe hace el contrario de toto eſto: que los buenos ò ſin cauſa, ò por coſas ligeras ſon affligidos, y aun MUERTOS *por penſar, que no hablaran, ni reſiſtitan: de que ſe podrian poner la ſtimoſos exemplos: y los ruines ſon ſobre lievados, porque les tienen miedo, que es eſtat el govierno mal trazado y ſin niervos. Punto que ſolo baſta, para que Dios hunda la compagnia. Yo ſiempre he traydo delánte de los ojos, que Dios nos afflige por diſguſtos, y afrentas, y agravios, que à ſus ſiervos en la compania (aun que con buena intencion) ſe han hecho indevidamente: pues à ſu bondad pertenece boluer por los ſuos, y vengarlos de quien con qualquier color los affligiere contra razon.*

Id eſt:

Miſerrimum eſt, quòd propter peccata noſtra plerumque contra fit, ac fieri oportebat. Boni enim aut ſine ulla cauſa, aut ſaltem levi de cauſa affliguntur, atque etiam interficiuntur, quòd non videantur oblocuturi, nec reſtituri, cujus rei luctuoſa afferri poſſunt exempla. Improbi viciſſim tolerantur, eo quòd metui ſint. (*Hoc eſt*, ſe defenſuri multaque aliorum delicta propalaturi videantur.) *Hoc enim verò eſt vitioſam eſſe ac ſine nervis regiminis noſtri formam: quo quidem uno in capite ſatis cauſa eſt, cur Deus Societatem funditùs ſubmergat. Mihi ſemper*

ob oculos obverſatur, nos à Deo plecti propter moleſtias, injurias & vexationes, quæ ſervis ejus (bono quamvis animo) in Societate immeritò obvenerunt, eoſque ulciſcatur, qui nulla cum ratione quocumque colore eos afflixerint.

Cùm ergo tam ingentium in Societate malorum cauſam Ambitio ſuſtineat, omnibus ſalutem & conſervationem Societatis cordi habentibus meritò gratiſſimum debet accidere, ſi quis nihil ad diligentiam faciat reliqui, ut peſtem iſtam longiſſimè à Societate ſubmoveat, omnemque ei reditum in poſteritatem præcludat. Ejus autem rei facillimam idem P. Mariana rationem commonſtrat, ſi nimirum iſta Patris Generalis Monarchia Ariſtocratici imperii mixtione temperetur. Quod quidem futurum judicat, ſi quatuor leges perpetuum duraturæ in Societate figantur. Tanquam

I. Generalis Societatis Præpoſitus legibus ſit devinctus, ut & ipſe eas obſervet, nec quemquam ſine Provincialium Conventuum conſilio iis ſolvere, ſeu cum quoquam diſpenſare poſſit.

II. Conventus ſeu Congregationes Generales ſtatis temporibus habeantur, & loco omnibus nationibus commodiore.

III. In Conventibus generalibus adminiſtrationis ſuæ rationes Præpoſitus Generalis reddere, eorumque decretis parere neceſſe habeat.

IV. Conventus Provinciales, vel certè Præpoſiti provinciales unà cum optionibus ſive Aſſiſtentibus (quos provinciarum ſingularum cœtus ſuis ſuffragiis elegerit, & Pater Generalis confirmaverit) jus habeant Rectores, Procuratores, Miniſtros, alioſque officiales conſtituendi, & abigendi, Sociorum, quos velint ad profeſſionem admittendi, peccantes puniendi, in ſcholis & Eccleſiis docendi munus dandi & adimendi, quos & quò velint ablegandi, omnia denique illa faciendi, quæ certam & diſtinctam rerum ſingularium, & perſonarum notitiam requirunt, neque tantùm moræ ferunt, ut de iis Romam referatur, indeque reſponſum expectetur.

In

In iſtis legibus nihil prorſus iniqui eſſe cùm diſtinctè ac ſigillatim Mariana demonſtrat, tum omnes æqui ac prudentes exiſtimatores ſuâ ſponte intelligunt. Quàm multiplex portò ex iſta nomotheſia exſpectanda ſit utilitas, vel ex iis quæ ſubjiciam, perſpicuum evadet.

I. Omnes, qui in Societate vivunt, æquis erunt animis. Superiores enim ſeu Prælatos ipſi poſthac eligent: quoties velint convenient, in proximo conventu aut mutabunt, aut reficient, iis penitius noti erunt, & ſi quid ſit quod eos urat, ſpe propinquæ mutationis ſe ſuſtentabunt.

II. Multò plures Societas habebit in omni diſciplinarum genere eminentes. Videbunt enim literis eſſe pretium, nec (ut adhuc fieri ſolitum Mariana queritur) quo quiſque eſt doctior, eo ad procurationes & officia minùs idoneum exiſtimari.

III. Multorum virtus magis erit conſpicua, & cùm Societatem, tum totam Eccleſiam exornabit. Electio quippe Superiorum penes eos erit, qui ſuâ intereſſe cenſent, ſe optimo cuique ſubjectos eſſe, nec eis aliena virtus formidoloſa eſt: quod contra nunc uſuvenire Mariana quiritatur, ut quorum eſt officia diſtribuere, iis boni, quàm mali, ſuſpectiores ſint.

IV. Non erunt in Societate Adulatores, ſublatâ cauſâ cur quiſquam eorum qui præſunt, gratiam aſſentatione colligere conetur. Officiorum enim conſequendi ſpes iis tantùm relinquetur, quos provinciales Socii multorum annorum uſu ad ea maximè idoneos compererint.

V. Exploratores, delatores, ſycophantæ, deterrimum genus hominum, à Societate poſthac exſulabunt, quippe in qua nemo erit, qui ſuâ intereſſe putet, ſibi ſingulorum ingenium, proclivitates ad vitia, & occultiora peccata noteſcere. Præpoſiti enim provinciales cum ſuis Aſſiſtentibus multorum annorum contubernio provinciæ ſuæ ſodales ita pernoſſe poterunt, ut de illis potiùs aliorum delationi, quàm ſuæ ipſorum experientiæ credere nequaquam debeant. Generalis verò Præpoſitus ſatis habebit, ſi de majoris tantùm momenti

rebus provincialium conventuum relatione, aut ſaltem ab iis Sociorum, quorum fides & integritas ſatis ſpectata ſit, ſubinde doceatur.

VI. Nullum erit periculum, ne officia Societatis fiant vænalia: quo quidem periculo Societatem hoc tempore minimè vacare in libri ſui Epilogo Mariana ſignificat. *Multa* enim *ex Collegiis munera Romam ſubinde mitti, quorum numerus uſque eò multiplicari poſſit, ut ad officia pretio paranda ſatis ſint.*

VII. Societatis vectigalia majori cum fide, integritate ac prudentia adminiſtrabuntur, quàm adhuc fieri ſolere ex Mariana cognoſcimus. Ait enim cap. 8. *Superiores imperium habere nimis abſolutum & independens, ac quidquid cuique libeat facere. Quod alter ædificavit, ab altero dirui; quod alter plantaverat, alterum evellere, eâque re maximarum impenſarum minimè neceſſariarum cauſam præberi: nec etiam bonâ fide impenſarum rationes exigi, & quamvis exigi ſolerent, ſi quis tamen Rector aut Procurator minùs fidelis ſit, magnas eum ſummas pecuniarum dilapidare poſſe.* Et cap. 14. queritur *Provinciales ac Rectores, ſi vel graviſſimè peccent, violando regulam ac ſtatuta, ædificando & diruendo ſine ulla neceſſitate ac nèmine conſulto, dilapidando facultates Societatis, aut largiendo conſanguineis, non niſi poſt multos demum annos puniri, ſed non aliâ pœnâ, quàm ut eis abrogetur officium quod geſſerunt, dato plerumque alio meliori.* Poſthac nihil horum uſuveniet, ſi Superiorum poteſtas ſit legibus adſtrictior, neque eis ſine conventuum provincialium conſenſu quicquid libuerit facere liceat.

VIII. Societas poſthac ære alieno non ſic obruetur, ut nunc fieri Mariana cap. 8. queritur. *In ſola* enim *Provincia Toletana pluſquam ducenta quinquaginta ducatorum millia aliena æris eſſe, eoque id fieri quod facere Jeſuitæ negligant id quod aliis ſuadent & præcipiunt, ut nimirum reditus ſuos metiantur, nec plus expendant, quàm poſſident.* Et cap. 15. univerſè omnes Jeſuitas ſumtuoſos eſſe totidem verbis fatetur: *la gente de la Compañia es tan amiga de gaſtar, los grandes y los chicos,*

cos, que non ſe como en eſte non ſe repara. Id eſt, *Societatis homines à minimo uſque ad maximum tam ſunt propenſi ad expendendas pecunias, ut neſciam qui fiat, quod malo non adhibetur remedium.* A Superioribus ſcilicet ſumtuum factorum rationes non exiguntur, eaque res eos in faciendis impenſis reddit animoſos, Alii porrò eorum exemplo depravantur, ut ſe pauperes eſſe ac peccata populi comedere, ſive eleemoſynis victitare, parum meminerint.

IX. Nulli poſthac impunè erit deliquiſſe, neque quemquam vel Superiorum gratia ac favor, vel mutua peccatorum conſcientia ac diſſimulatio commeritæ pœnæ eximet, velut quotidie uſuvenire, nulliuſque Superioris ob graviſſimas culpas multati exemplum exſtare ſæpius Mariana dolentiſſimeque expoſtulat.

X. Nulli bono & innocenti vel leviſſimæ injuriæ, ne dum capitis diſcrimen à Superiorum impotentia imminebit. Conventus enim provincialis erit *τῶν εὐθυνῶν κύριος*, hoc eſt, geſti officii rationes à Superioribus repoſcet, factaſque innoxiis injurias vindicabit.

XI. Non ſic mutuò alter alterius honorem depeculabuntur, ut nunc faciunt, Marianâ teſte, cujus cap. 13. verba ſunt: *Yo oſaria aſegurar, que ſi los Archivos de Roma ſe deſembueluen, que no ſe hallarà uno ſolo, que ſea hombre de bien.* Id eſt, *Liquidò aſſeverare auſim, ſi Romæ Patris Generalis ſcrinia evolvantur, ne unum quidem ſolum Jeſuitam inventum iri, qui ſit vir bonus.* Quid nunc externos de ipſis exiſtimare volunt, ſi ipſi inter ſe mutuò ſe tabulis conſignatis & Romam miſſis teſtantur eſſe improbos & inteſtabiles?

XII. Errores ſi qui ſunt tam in docendo, quàm in vivendo, Provincialum conventuum intelligentiâ animadvertentur & auctoritate corrigentur: quod contrà qui nunc rerum potiuntur, Marianâ teſtante, ſunt & rerum & literarum imperiti, ex eoque confidentes, qui monere ſe aſperrimè patiuntur, ſuamque ac Societatis univerſæ exiſtimationem in eo verti putant, ſi quid credatur in Societate minùs rectè fieri, ſeque a-

lieno vel exemplo, vel monito indigentes videri. Hac de re Mariana videri poteſt cap. 1. & 2. & 6.

XIII. Generalis Præpoſitus Societatis minùs poſthac negotiis obruetur, abdicatâ curâ rerum ſingularium, quarum notitia explorata, rectæque adminiſtrationi neceſſaria, ex longinquo haberi non poteſt, cùm aliter atque aliter iiſdem de rebus ſcribi ad eum ſoleat, pro eo ac quiſque gratiâ aut odio impellitur, aut etiam in deſcribendis actionum alterius attributis ſeu circumſtantiis aut fallitur aut fallere conatur.

XIV. Liberabitur idem Generalis moleſtiſſimâ multa abſorbendi ac diſſimulandi neceſſitate, dum veretur eos offendere ſibique infeſtos reddere, qui auctoritate pollent, & aſſeclis adſcitis Societatem in ſtudia factioneſque diducere, aut Principum favore ſubnixi Romam provocare, ibique occulta dedecoris manifeſtare, & invidiam Generali conflare multiplexque negotium exhibere poſſunt. Quod quemdam Valliſoleti Jeſuitam feciſſe Mariana cap. 4. narrat, ubi etiam monet, *Valde debilem eſſe Generalis potentiam, ſimul ac reſpectum & auctoritatem apud Socios amiſerit, cùm multæ ſint rationes, quibus ei reſiſti & cuniculi adverſus eum agi poſſint.*

XV. Nemini Sociorum inviſum erit Generalis imperium, ſi non illius, ſed Provincialium conventuum auctoritate, ea quæ aliquid habent odii, adminiſtrari viderint, de quibus agit Mariana cap. 16.

XVI. Non præbebitur mala ſpecies, nec offenſæ ac ſcandali occaſio, quæ vitari non poteſt, ſi Superioribus nulla legum cura ſit, cùm eas non ſecus ac telas aranearum perrumpunt ac libidine ſuâ pro ratione utuntur. Marianæ verba ſunt cap. 19. *In omnibus ferè legibus diſpenſat non modò Generalis, ſed alii quoque Superiores.* Et cap. 15. *Quàm multæ conſtitutiones fuerunt mutatæ, & quidem (quod pejus eſt) nulla cum auctoritate?* Quid tandem refert bonas ferri leges, ſi Superiores illas non teneant, earumque vim jus faſque ſit Superioribus minuere? *Reges gentium dominantur earum;* hoc eſt ex libidine ſua, non ex legum præſcripto eis imperant; *Vos autem non ſic.*

XVII. Ex-

XVII. Externi longè pluris Societatem facient, in eamque admitti expetent, cùm leges in ea probè ſtabilitas eſſe, nihilque in eas Superioribus licere intellexerint.

XVIII. Longè ſtabilior ac diuturnior erit Societas ſublatis offenſarum, diſſidiorum ac factionum occaſionibus. Nec enim quiſquam erit, qui formam imperii mutari ſuâ intereſſe putet, quemadmodum adhuc fictitatum Mariana paſſim teſtatur. Verba ejus in procemio ſunt: *In Societate tam multæ turbæ ac ſeditiones fuerunt excitatæ, ut miraculi ſit, inveniri aliquem qui non fuerit illis implicatus.*

XIX. Nullum poſthac à ſæcularitate & Aulicifmo Societati erit periculum, cùm qui aulas & Magnatum domos ſectantur, pluſque negotiis ſæcularibus implicantur, eo plerumque id faciant (ut cap. 20. Mariana diſputat) quod ſe in Societate jacere nulloque numero haberi intelligunt, ſibi etiam adverſus Superiorum injurias præſidium ac tutelam comparare ſtudent. In poſterum virtuti erit pretium, neque quiſquam à Superiore ſibi minùs æquo metuere neceſſe habebit.

XX. Principibus poſthac Jeſuitam à Confeſſionibus & domus ſuæ familiarem habere poſtulantibus minore negotio præcidetur, & ingens, quod iſtæ Principum familiaritates Societati comminantur, periculum evitabitur, ſi Superiores ſibi quemquam legibus Societatis ſolvere integrum non eſſe, remque eam à Conventus generalis auctoritate pendere excuſaverint. Quam ad rem etſi ſatis videri debet, quod ſecundæ Congregationis Generalis Canone perſpicuè ſancitum eſt, *ne quiſquam* Jeſuita *Principibus aut Magnatibus, ſive Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, aſſignetur, qui Aulas eorum ſequatur, & Confeſſarii, aut Theologi aut quovis alio munere fungatur*; quia tamen Principes interdum improbiùs contendunt, ac ne bimeſtri quidem Jeſuitæ alicujus contubernio contenti ſunt, parum omninò penſi habentes, quòd Chriſtum à Petro ter negatum ſciunt, qui tamen ſine controverſia & Religioſus, & de Societate Jeſu, & primus ejuſdem Societatis Præpoſitus ge-

neralis fuit, & non *duobus menſibus* (quod Jeſuitis idem Canon permittit) ſed vix duabus horis in Eccleſiaſtici Principis Aula deſederat: propterea præclaram Societati operam navaſſe cenſendus eſt Gaſpar Scioppius, cùm veram omnique injuſtitiâ & periculo vacuam capiendi & conſervandi idonei Confeſſarii rationem Principibus ſubjecit. Sic enim illi Societati moleſti eſſe deſinent, nec ut ſuâ cauſâ leges ejus migrentur, & agendis ad ſtatum ejus convellendum cuniculis occaſio præbeatur, poſtulare volent. Monitos autem Jeſuitas volo longè Conſultationem illam Scioppii fore πιςότερον magiſque flexanimam, ſi & ipſi feriò connitantur, ſibique Aulas omnes, Principum amicitias, clientium officia, omnem denique *beatæ Fumum & opes ſtrepitumque Romæ* in offenſu eſſe fidem omnibus faciant. Ita poterunt illi, quod homini Religioſo in primis votis eſſe debet, *ſub paupere tecto reges & Regum vita præcurrere amicos.* Aliter parum moniti illius memores videbuntur, quod eſt Eccleſiaſtici cap. 32. *Ne credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum.*

ANNO C. N. M. D. C. XXXIV.
MENSE MAIO.

III.

III.

FORTUNII GALINDI

CANTABRI

DE CAUSIS

PUBLICI ERGA

JESUITAS ODII

DISPUTATIO.

QUOD paſſim uſque eo inviſi ſunt Jeſuitæ, nec ab Hæreticis modò, ſed etiam à pleriſque Catholicorum in ſermonibus minùs bellè audiunt, id ego partim gratis, partim nonnulla quorundam culpa fieri exiſtimo. Gratis quidem, quia ut pleriſque perſuaſum eſt, niſi Jeſuitæ ſingulari Dei dono hac ultima mundi ætate excitati ſummis viribus obſtitiſſent, actum jam eſſet in Germania de religione Catholica: nam hi juventutem ad Religionem adſuefecerunt, Sacerdotes non minùs bonis moribus, quàm literis inſtruxerunt, Principes excitarunt, Hæreticos voce ac ſtilo repreſſerunt: quibus nominibus immortales Societati gratias deberi, neminem qui bona fide ſit Catholicus negare, nec veræ Jeſuitarum apud Deum hominesque gloriæ intercedere velle arbitrantur: qui nimirum delectos populi Iſraël ſub duce Jeſu in campeſtribus adverſus Amalechitas ſignis collatis depugnantes vident, eorumque virtuti ſecundum belli exitum aſſignant, qui tamen uni Moyſi in collis vertice oranti ejuſque adminiculatoribus debetur. *Cùm enim Moyſes levaret manus, vincebat Iſraël: Sin autem pau-*

lulum remiſiſſet, *ſuperabat Amalec*, Exod. 17. Hanc porro figuram fuiſſe modi illius, quo Eccleſiæ hoſtes vinci oportet Judit. 4. ſic monemur. *Moyſes Amalec confidentem in potentia ſua, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando dejecit. Sic erunt univerſi hoſtes Iſraël*, ut nimirum non humanæ potentiæ, eruditionis aut eloquentiæ armis, ſed hominum ſanctorum Deo vacantium orationibus devincantur.

Culpa verò Jeſuitarum, quæ ipſos paſſim inviſos reddit, hæc eſt, quòd nonnulli plus aulis & conſiliis ac negotiis Principum immiſcentur, & Monopolium quoddam gratiæ apud Deum & Principes inſtituere conantur, ut omnes ad ſe convolare, & non modò apud Principes, ſed etiam apud Deum ipſis interpretibus uti poſtulent: eos verò, qui apud Franciſcanos, Dominicanos, Auguſtinianos alioſque peccata confitentur, pro viris minùs bonis habeant. Itaque videre eſt in aulis, ubi Jeſuitæ dominantur, pietatem eſſe quæſtuoſam. Si quis enim crebrò Jeſuitis confiteatur (poſtquam ſcilicet atrociora peccata priùs Monacho alicui confeſſus eſt) & in audienda miſſa utroque genu continuò nitatur, pectus quoque fortiuſculè oppugnaverit ſeu pugno percuſſerit, Sodalitati B. Virginis nomen dederit, pueriles eorum comœdias ac fabulas, quamvis pædagogicarum ineptiarum & præſtigiarum pleniſſimas, plauſu proſequatur, in omnibus denique rebus ſuum eis ſtudium probaverit, hunc continuò pium ac Deo devotum hominem eſſe, & Principibus accuratè commendari, officiiſque lucroſiſſimis affici oportet: in quibus ſi poſtea vel facinoroſiſſimè ſe gerat, Principes depeculetur, Provinciales ſpoliet, dum tamen Collegio mittat munera, eiſque, ſi qua pecunia commiſſa, ſi qua mulcta pecuniaria impoſita ſit, maturè indicium faciat (ne quis eos ſcilicet in ambiendâ ea pecunia apud Principes antevertat) eum tueri nequaquam ſibi Religioni ducunt, quippè qui Societatem opibus, potentia, Principumque gratia florere minimè gloriæ Dei diſconducere intelligant. *Sive manducatis* (ait Apoſtolus 1. Cor. 10.) *ſive bibitis*,

ſive aliud quid facitis, & homines facinoroſos in Societatem munificos patrocinio veſtro complectimini, *omnia in gloriam Dei facite. Univerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, etiam impium*, maximè qui opibus ſuis piorum conatibus adjutorem ſe præbet, *Prover.* 16. Laudem ergo ſummam meretur ſapientia quorundam magnorum Principum, qui quamvis Jeſuitas ament plurimùm, eos tamen in Collegio ſuo continent, neque pedem in Aulam ponere permittunt, niſi cùm vel Confeſſore eis opus eſt, vel alioquin neceſſitas aliqua Jeſuitis ad Principem accedendi imponitur. Nimirum poteſt pietas etiam generoſa ac virilis, minimeque aut puerilis aut effeminata eſſe, neque continuò odit Jeſuitas, ſi quis non in omnibus arridet aut applaudit, neque mimo eorum hiſtrionem ſe præbet. Et ſanè nemini plus quàm ipſis contulit, qui operam addit, ut ſuarum rerum ſatagant, neque præfecturam aulicorum negotiorum ſibi vindicent. Cùm enim ſint homines de ſchola, pædagogicique loci ac judicii, fieri facilè poteſt, ut aberrent & allucinentur in dandis conſiliis politicis & œconomicis; quod cùm fit, omnis rei malè geſtæ culpa in ipſos, & quidem in totam Societatem imponi ſolet, adeòque publico omnium odio obnoxii minùs deinceps aliis prodeſſe poſſunt, recteque illud Homeri in eos confertur, quod de Margite protulit: *Multa quidem norat, ſed pravè eadem omnia norat.* Quin etiam cùm pernicioſorum & malè vertentium conſiliorum participes aut conſcii minimè fuere, quia tamen multùm in aulis apparent, & familiariùs Principibus utuntur, ſuſpicionem πολυπραγμοσύνης, quodque talia ipſi dederint conſilia, effugere nequeunt. Sed etiamſi nihil ejuſmodi uſuveniret, adhuc tamen S. Petri exemplum eis relinquendarum Aularum conſilium ſubjicere debebat: nam is ſemel modò Aulam ingreſſus, ter Chriſtum negavit, quid mirum, qui in Aulis habitant, ſi vel ſemel Chriſtum negent? Cùm ſe ſcilicet plus S. Petro Chriſtum amare vix videri velint.

Odium etiam ipſis commovet, quòd palàm eſt, eos

nimium ſeipſos amare, nimiſque pretioſos operarios eſſe, qui quidem putent, ſe minùs Eccleſiæ navare operam poſſe, ſi non omnibus rerum copiis & commoditatibus affluant: quid autem fiat Monachis, aliiſque qui & ipſi prodeſſe publico poſſent, edantne an eſuriant, parum penſi ducant: modò ipſis de copioſis fructibus annuis ſatis proviſum ſit, quibus magnificas palatiorum moles excitare poſſint. Itaque ſæpè nihil verentur, Principibus ac proceribus oneri eſſe, magnaſque in ærariis eorum vel cum integrarum provinciarum damno maximo, lacunas facere, cùm tamen velut Religioſi & publicæ utilitatis ſtudium profeſſi, id unicè dare operam deberent, ut ſua opera quàm minimè hominibus conſtaret. *Si populo conſulis* (ait Cicero) *remove te à ſuſpicione privati alicujus commodi.* Et verò, ſi vel maximè ſua ſponte Principes adeò in ædificandis ipſorum palatiis damnoſos eſſe viderent, rectius facundia ſua ad diſſuadendam ejuſmodi inſaniam uterentur, iiſque ad ſuſcipiendam eorum curam, quibus egeſtatis metus, ne Catholici fiant, quod ſibi ſcilicet, uxoribus ac liberis nulla victus ſpes apud Catholicos oſtendatur, auctores eſſent, hocque Clementis Alexandrini aureum dictum auribus eorum inſtillarent: *Scio Deum poteſtatem nobis uſus dediſſe, ſed eum tamen uſque ad id, quod eſt neceſſarium, & uſum communem eſſe ſtatuit. Abſurdum verò ac turpe eſt unum lautè vivere, cùm multi eſuriant, quanto enim eſt glorioſius multis benè facere, quàm magnificè habitare? Quanto autem prudentius in homines, quàm in lapides & in aurum impenſas facere?* Atque hoc tanto ſtudioſius facere deberent, quòd multis jam ſuorum experimentis cognoverunt, quanti ad permovendos hominum animos momenti habeat verus, non adumbratus paupertatis amor. Sic enim Poſſevinus ſcribit lib. 4. Biblioth. cap. 9. *Sinenſes & Indos cùm in Jeſuitis pecuniæ rerumque mundanarum contemptum vident, mirificè in eorum admirationem rapi, & ad amplectendam Chriſti fidem velut præparari.* Oportet ergo ut minimè verum ſit, quod vulgo dicunt, *Cœlum non animum mutant, qui*

trans

trans mare currunt. Quamdiu enim apud nos Europæos ſunt Jeſuitæ, longè aliud, quàm apud Indos & Sinenſes ingenium præ ſe ferunt, neque unquam ſatiari poſſunt, quin poſtquam jam de victu abundè eis cautum eſt, ſemper ſive in ſacram ſupellectilem, ſive in commodiorem & laxiorem habitationem, ſive in hortorum amœnitatem, ſive in apparatum Comœdiarum, quem niſi ſumptuoſiſſimum habeant, cadere fabulas putant, ſeu quam denique aliam ad rem minimè neceſſariam ſtipes odioſè corrogent. Et ſanè ſi verum quærimus, ſi vel optimum finem habeant propoſitum, animarum nempè ſalutem & Dei gloriam, plus tamen in humanis adjumentis, quàm in Dei auxilio, fiduciæ ac præſidii collocant. Itaque Deus minùs etiam conatibus eorum benedicit, neque Miraculorum gratiam item ut aliis Religioſis Ordinibus largitur. Sunt enim modicæ fidei, manuſque oculatas habent, nec ferè credunt, niſi quod vident. Sic enim affectos dicit Chriſtus eos, qui parum in fide firmi ſunt: *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt:* Ii ſcilicet, qui fidem non habent: ſed fidei Miraculorum effectricis eſt, *contra ſpem in ſpem credere, nec hæſitare diffidentia, ſed gloriam dare Deo, qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt.* Magnopere quidem ipſi animis anguntur, quòd Miraculorum dono multo cæteris Religioſis inferiores inveniantur, & quotieſcumque caſu aliquid rari ab ipſis patratur, continuo miraculum clamant. Sed nondum adhuc Deus ulli ex Societate tantum largitus eſt, ut ejus conſecrandi & Divis adſcribendi ſeu canonizandi ſatis juſtas ſe cauſas Eccleſia habere crederet, non quidem quòd Societatis inſtitutum non æquè ſanctum aut Eccleſiæ fructuoſum ſit, quàm Franciſcanorum, Dominicanorum, ac ſimilium; ſed quia Jeſuitis occaſionem ſuperbiæ naſci non vult. Cùm enim partim propter magnos viros, quos Societas habuit, partim propter Principum gratiam multi tantoperè inflentur, velut mox attingam, quanta ſui ignoratio eis acceſſura eſſet, ſi etiam miraculo-

culorum gloria Societatem illuſtraret? Hac de cauſa Deus Prophetas non ſtatim ſolet exaudire, ne ſibi ipſis blandiantur, ut Elias, Eliſæus, Jeremias exemplo ſunt. Altera cauſa eſt, quia Deus docere vult, in omnibus rebus, maximè in negotiis ipſius Dei gloriam præcipuè ſpectantibus, non quidem negligenda eſſe ordinaria rei conficiendæ adjumenta ſive media, non tamen nimium humanæ prudentiæ aut operæ fidendum; nam hoc perinde eſt, ac ſi quis ipſe ſolus omnia peragere, Deo autem nullas partes relinquere velit.

Sed etiam apud homines minùs gratiæ propterea invenire ſolent, adeoque ipſi ſibi ſæpè occaſiones maximorum operum præcidunt. Multi enim quo minùs eos admittant, iiſque Collegia ædificent, hoc potiſſimùm metu præpediuntur, ne nunquam ſatis habituri, ſed ſemper plus petituri ſint, donec nihil quod impetrare queant, reliqui fecerint. Nam tametſi gratis docent, nec quiſquam ipſorum ullius rei dominus eſt, quid hinc tamen Principes ac Provinciæ compendii lucrique faciunt, cùm aliter eorum opera uti non poſſint, niſi maximis impenſis Collegia eis exſtruant, & vectigalibus peramplis augeant?

Præterea Monachos, alioſque viros doctos, qui egent, plerumque ſibi infenſos reddunt, cùm omnes hæreditates & legata ipſi captent, omneſque bolos cæteris præripiant.

Hæretici denique, cùm pecuniarum in Collegia Jeſuitica ingredientium multa paſſim, egredientium verò nulla uſquam veſtigia videant, eoſque frugaliter vivere credant, neque in victum & amictum multum impendere ſciant, Theſauros ab ipſis cumulari, & rerum novarum ſive turbarum fundamenta jaci & adjumenta comparari ſuſpicantur, injuſtè quidem eos agere, qui inter opus jam paratas adhuc tam in petendo odioſi ſint, cæteriſque egentibus obſtent, eamque ob rem odio dignos eſſe exiſtimant. *Eſt intolerabilis res poſcere nummos & contemnere. Indixiſti pecuniæ odium: hoc profeſſus es, hanc perſonam induiſti, agenda eſt.*

Iniquiſſimum eſt te pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere, ait Seneca 2. de vit. beat.

Odium quoque Societati parit, intolerabilis quorumdam Jeſuitarum typhus ſive faſtus; cùm quia Societas multos excellenti doctrina præditos viros habuit, continuò ſe quoque pro talibus haberi poſtulant, quaſi magnificè ſe circumſpiciant & conclament: *Nos poma natamus.* Itaque neminem jam pro Oratore, Poëta, Philoſopho ac Theologo haberi volunt, niſi vel Jeſuita ſit, vel certè Societatis diſcipulus fuerit. Omnijugæ denique ſapientiæ officinam, imò Monopolium inſtituunt, neminique vel minimæ doctrinæ opinionem, niſi eam Jeſuitis acceptam referat, relinquunt: eâque ſcientiæ perſuaſione inflati doctiſſimo cuique ſuperciliosè imperare, eorum ſcripta non aliter, quàm claſſicorum ſuorum compoſitiones cenſuræ ſuæ vindicare, tyrannidem denique in literis exercere audent. Quid quòd Principum favore ad patrocinandum ſceleratiſſimo cuique, ſæpè non aliam ob cauſam abutuntur, niſi ut ſuam potentiam oſtentent? Ut nimirum alios in clientelam ſuam alliciant, quam manifeſtò noxiis utilem fuiſſe conſtiterit. Quin uſque eo amabilis illa inſania & dominandi libido eos agit, ut ſubditis adverſus magiſtratum ſtimulandis exemplo eſſe audeant, & Principes ſummos non in omnibus obſequio ſuo paratos contumelioſè tractent, cujus rei exempla in medium afferre poſſem, niſi ipſorum Principum exiſtimationi conſulendum putarem.

Poſtremò, Curioſitas non poſtrema multorum adverſus eos odii cauſa eſt. Romæ quidem omnibus omnium rebus ac negotiis ſe admiſcent, & nihil ſeu ſacrum, ſeu publicum, ſeu privatum, niſi ſe interpretibus aut internunciis tranſigi volunt. Itaque qui Canonicatum, Abbatiam, Præpoſituram ambit, relictis rebus ad Jeſuitas advolat. In contrahendis rebus majoris paulò momenti, inque Nuptiarum conciliaturis, nihil felicius, niſi Jeſuitis proxenetis, tranſigitur. Pontifex denique Paulus V. in cura rei familiaris ſive conſtabiliendæ, ſive locupletandæ, Jeſuitarum Procura-

tore

tore utitur: quem etiam opinio eſt, tametſi faciem vix hominis habet, & nihil admodum literarum didicit, mox Cardinalem creatum iri, quia videlicet cùm fœcundum fallaciarum pectus concuſſerit, inveniendi argenti technas inſtituere, & difficultates nummarias expedire novit. Itaque non modò quotieſcumque velit velo ſublato intrare, excluſis qui priores accerſiti venerunt, Principum Legatis, ſed etiam quos viſum ei fuerit alios ſecum introducere poteſt. Adeò præſtat acquirendarum pecuniarum, quàm animarum ſtudioſum & peritum eſſe, apud illos certè, qui cùm animarum Chriſti ſanguine redemptarum curam in ſe receperint, vel quid anima ſit neſciunt, vel non pluris animam hominis, quàm piſcis faciunt, quod, credo, ſuum officium piſcatum quendam eſſe aliquando per ſtrepitum inaudierint: quibus propterea gratior fuerit, qui animam Auri cum Paracelſo, quàm animam Saxoniæ Electoris inveniſſe ſe nuntiet. Cùm ergo Jeſuitæ quoque in eorum cenſum veniant, qui aurum & argentum unde, quo jure, quaque injuria eruere & cumulare ſciunt. (*Unde habeas, quærit nemo: ſed oportet habere*, ait Poëta) quomodo non πολλὰ πράττοντες ſive Ardeliones & Curioſi habeantur, qui quidem curam ſuam in negotia tam longè diverſa ſimul intendant? Nam tametſi Pontifex poteſtatem habet diſpenſandi de incompatibilibus, hoc eſt, eos legibus ſolvendi, qui ſimul Sacerdotia poſſident, quæ alioquin per leges ſimul poſſideri nequeunt: rurſum tamen diſertim Chriſtus negat, poſſe unum eundem hominem ſimul Deo & Mammonæ ſervire, ſive ſimul regnum Dei, & pecunias quærere. *Non poteſtis* (ait Apoſtolus) *Deo ſervire & Mammonæ. Ideò dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini: hæc enim omnia gentes inquirunt. Quærite autem regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Sic Apoſtoli ipſi, & qui Apoſtolis ſuccedit Pontifex ipſe, non ſimul poſſunt regnum Dei & pecunias quærere (*nam qui unum horum diligit & ſuſtinet, alterum odio habebit & contemnet*, ait Chriſtus) multò minùs hanc tantam

tam plura ſimul curandi poteſtatem Jeſuitis Pontifex impartiri poterit. Viderint ergo Jeſuitæ, qui utriuſque ſtudium & curam profitentur, aut certè non diſſimulant, quomodo juſtum non Hæreticorum modò, ſed etiam Catholicorum odium effugiant. Mihi quidem jam multis abhinc annis minimè curioſitas eorum probari potuit, cùm adoleſcentes quoſdam, amicorum meorum filios, quos Romæ ad Jeſuitarum ſcholas deduxeram & in diſciplinam dederam, tam ſubtiliter & ſigillatim de omnibus, quæ ad parentes, eorumque bona fortunaſque pertinerent, examinatos comperi. Cùm enim putarem eos à ſtudiorum Præfecto ſeduci, ut eorum in literis profectus exploraretur, concluſi fuerunt in cubiculo quodam, ubi Jeſuita quidam magnum volumen, cujuſmodi ſunt Menſariorum tabulæ, ſive acceptorum expenſarumque codices, protulit, in eumque omnia quæ rogati reſpondiſſent, magna cum fide perſcripſit. Quæſtiones porrò hujuſmodi ferè erant: Quod ipſis nomen eſſet? quæ ætas? quas priùs Scholas adiiſſent? qui eſſent parentes? quæ illorum ætas? qui cenſus? haberentne prædia & fundos, & ubi? quas cognationes, conſanguinitates, affinitates, & utrùm ex iis adhuc hæreditatum aliquarum acceſſionem ſperarent? tum utrùm ipſis eſſent ſorores, eæque innuptæ, & nubiles, an jam nuptæ & quibus? Hæc ubi mihi domum reverſi nuntiarunt adoleſcentes, non uſque eò obtuſus aut ſtupidus fui, quin illud, quod ſibi cum ejuſmodi examinibus ac voluminibus volunt Jeſuitæ, planè perſpicerem. Cùm enim poſtea ſupplemento opus eſt, juveneſque hortandi ut *eandem ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ*, tum nequaquam diu in delectu laborare attinet. Statim enim ad libros ejuſmodi conſultum itur, qui optima fide referunt, quos benè nummatos & ampliorum patrimoniorum hæredes cooptare in Societatem poſſint, in promptuque eſt eis, ut dicant Terentii verbis: *In illis fructus eſt, in his opera luditur.* Itaque non multò pòſt cùm adoleſcentulos illos prorſus nihil in ſcholis proficere intelligerem, niſi quòd ſæpiùs fabel-

bellas aliquas ab oſcitante magiſtro in lectionis loco recitatas domi referebant, ſimul etiam quod mihi alii quidam nobiliſſimi juvenes, qui in contubernio, & convictu Jeſuitarum vivebant, affirmaſſent, Pæderaſtian quotidianum inter Scholaſticos convictores peccatum eſſe, quod quidem, ſi quis neſciret, vel ex ipſius Rectoris verbis, quibus ab eodem auditores dehortari minùs prudenter ſoleret, id addiſcere poſſet: quemadmodum etiam alicubi in Germania Jeſuitis in Confeſſione imprudentius ſciſcitantibus, adoleſcentes ad ejus peccati notitiam inductos, eâque occaſione integra penè collegia contaminata fuiſſe ex hominum ſpectatæ fidei teſtificatione mihi conſtat: propter has igitur aliaſque cauſas nolui adoleſcentes illos deinceps in ſcholas Jeſuitarum mittere, ſed præceptori eorum domeſtico, ut domi eos doceret, mandavi. Sed etiam illud Curioſitatis ſuſpicionem Romæ, atque haud ſcio an & alibi, conflare eis ſolet, quòd complures primariæ matronæ tantùm non quotidie ad eorum Eccleſiam accedere, ibique non minùs duabus, tribus horis deſidere, & cum Confeſſariis ſuis ſerere ſermones ſolent. Et tamen veriſimile non videtur, eas quotidie tam multa peccare, quibus enumerandis tantum tempus ſit neceſſarium. Itaque cùm mulieres ſint futiles ac rimarum plenæ, neque res arcanas facilè continere ſciant, non videntur alio conſilio quotidie tam diu à Jeſuitis detineri, quàm ut ab iis multa expiſcentur & audiant: cùm præſertim ſe novarum rerum audiendarum cupiditate teneri non obſcurè ferant. Itaque certatim à maximo, minimo quoque viſitantur, totoſque ſæpè occupant dies in admittendis ſalutatoribus, quorum alii aliis ſuccedunt, ita ut ſæpè ſingulis vacare nequeant, ſed ferè comperendinent aut quamvis aliam diem eis conſtituant. Itaque opinio eſt plerorumque omnium, non eſſe ullum totius orbis ſive Regem, ſive Principem, qui perinde ac P. Generalis omnium, quæ in univerſo orbe, etiam apid antipodos aguntur, notitiam habeat: non modò quia Rectores ac Provinciales per orbem totum diſperſi vi ſacramenti, quo ei au-

auctorati ſunt, octavo quoque die ad eum ſcribunt, ſed etiam quia quotidie partim qui operâ ipſorum indiget, partim qui novi aliud audire deſiderat, partim qui novarum rerum nuncium aliorum ſive literis, ſive ſermone accepit, ſive ad ipſum Generalem, ſive ad alios Jeſuitas advolat, qui quoniam non unius omnes nationis ſunt, adeoque partium ſtudium omnino deponere nequeunt, nequaquam falli ſe putant, qui ſingulos omnia ad nationis ſuæ commodum referre, & Generalem eodem flectere conari ſuſpicantur, parumque adeò abeſt, quin conferant in Jeſuitas, quod ante aliquot ſæcula Johannes Sariſberienſis lib. 7. cap. 21. in quoſdam ſui temporis Religioſos ſcripſit: *Rumuſculos inquirunt, tumultibus gaudent, diſſidentium ſecreta explorant, ut eadem nunc ad amicos perferant, nunc ad hoſtes, utriſque grati, utriſque perfidi; magis tamen ad iſta videntur idonei* (nimirum ad ſecreta horum illis enuncianda) *qui ab imagine Religionis minus habentur ſuſpecti.* (Quis enim Princeps credat, ſuum ſecretum per Confeſſarium P. Generali apertum eſſe, eaque via ad alios poſtea emanaſſe?) *Quid in Palatio, quid in foro, quid in agris expediat, ſoli creduntur noſſe, quia univerſa hæc præ cæteris videntur curare, qui iſtis jugiter immiſcentur. Si conveniant patres in Curia, cives in foro, milites in expeditione, ſi denique Concilium aut Synodus convocetur, præcipuam ſedium partem occupabit umbratilis iſta Religio. Arguunt Clerum de moribus corrigendis, ſollicitant Principatus & poteſtates: teſtimonium ſibi acquirentes juſtitiæ ſuæ, ſi vitâ detrahant alienæ. Laudabilium virorum Collegia expetunt, arduas ſubeunt profeſſiones, oſtentant difficilia, & familiarius, ſibi propitii, poſſibilia & quæ humaniora ſunt, exſequuntur. Nec tamen à fraude iſtorum, religionis veræ diminuitur gloria. Nam indubitanter omnibus conſtat, quia nomina quæ profitentur, & quorum pollicentur officia, honeſtiſſima & fideliſſima ſunt. Facie pallorem oſtentant, profunda ab uſu trahunt ſuſpiria, obſtipo capite, coma brevi, capite ferè raſo, voce demiſſa, inceſſu tranquillo, & quaſi greſſu quadam proportione compoſito, pannoſi,*
ſordes

ſordes veſtium & affectatam venditant vilitatem, ut eo faciliùs aſcendant, quò ſe ſtudioſiùs videntur in locum noviſſimum dejeciſſe, & qui ſponte ſuâ decreſcunt, creſcere compellantur inviti. Hi ſunt, qui Poteſtatibus perſuadent, ut propter vitia perſonarum jure ſuo priventur Eccleſiæ. Decimationes & primitias Eccleſiis ſubtrahunt, & Eccleſias ipſas accipiunt de manu Laicorum. Hi ſunt, qui prædia avita ſubtrahentes indigenis, vicos & pagos redigunt in ſolitudinem, & in ſuos uſus vicina quæque convertunt, Eccleſias diruunt aut in uſus revocant ſeculares. Quæ domus orationis fuerat, aut efficitur ſtabulum pecoris, aut opilionis aut lanificii officina. Et quidem majora impunè faciunt, & quaſi cornibus geminæ poteſtatis Eccleſiam, in cujus ſinu quieſcunt & proteguntur umbra, ventilare non ceſſant. Ad Eccleſiam namque Romanam confugiunt: implorant opem ejus, protectionis impetrant clypeum, ne cujuſquam poſſint malignitate vexari, & ut ſe poſſint pleniùs exhibere, ne decimas dent, Apoſtolico privilegio muniuntur. Procedunt ulteriùs, & quo ſibi plura impunè liceant, à juriſdictione omnium Eccleſiarum ſeipſos eximunt, & efficiuntur Romanæ Eccleſiæ filii ſpirituales. Deinde ſecularium poteſtatum implorant auxilium, & eis divinam gratiam pollicentur. Eos qui veniâ indigent, ſuis aggregant Societatibus, *Confeſſiones excipiunt, ligare præſumunt & ſolvere. Potentiores tamen & ditiores, favore vel mercede receptâ, faciliùs exonerant, & peccatis alienis humeros ſupponentes, jubent abire in tunicas & veſtes pullas, quicquid illi ſe commiſiſſe deplorant. Conſentiunt ergo moribus iniquis, & popularem provocantes affectionem aſſentationibus obturant aures hominum, ne increpatione audiant Prælatorum. Si eis obloqueris, Religionis inimicus, & veritatis diceris impugnator. Feras itaque patienter, ſi injurias & damna intulerint, qui licentiam omnium Apoſtolicâ & Regiâ authoritate obtinuiſſe videntur; nam & hoc meritis eorum deberi creditur. Circumeunt ergo Eccleſias,* Collegiorum *ſuorum merita præconantur, abolitiones criminum portant, & interdum prædicant Evangelium novum, adulterantes verbum*

bum Dei. Primò quidem dum eorum Religio paupertate gaudebat, & in aliorum neceſſitates aut uſus effundebat viſcera ſuæ inopiæ, indulta ſunt privilegia profeſſionibus, quæ neceſſitate jam ceſſante & frigeſcente charitate potiùs avaritiæ, quàm religionis inſtrumenta creduntur. Ecce enim quia omnes hi privilegiati quæ ſua ſunt quærunt, & JESUS qui prædicatur in publico aut omnino abeſt, aut in abditis latet. Hæc & alia Sariſberienſis.

Hæc igitur ferè ſunt, quæ Jeſuitas Hæreticis offenſos reddere ſolent, quæ quoniem plus in oculos incurrunt, quàm virtutes, celeriùs etiam excipi & divulgari ſolent. Nam & virtutes ab iis, qui eas habent, ferè diſſimulari ſolent propter vitandum ſuperbiæ periculum, & actiones virtutum calumniam ſæpè effugere nequeunt, ut res præclarè geſtæ non bono conſilio ſuſceptæ videantur. Hominum porrò plerorumque ingenium eſt, ut errata aliorum etiam minima perſcrutentur, benè facta verò, quamvis in propatulo poſita, prætereant; quemadmodum vultures corpora viva ac ſana non ſentiunt, morticina verò ſive cadavera, tametſi longè remota, odore perſequuntur. Multos quidem Societas Jeſu habet viros ſine omni malitia, non paucos etiam cùm doctrina, tum virtute minimè vulgari præditos, ſed ii niſi vel libris editis ingenii ſpecimen dederint, vel familiari uſu perſpecti fuerint, in obſcuro latent. Ferè autem ſolent officiis majoribus non tam ii præfici, qui vel eruditione vel ſanctitate pollent, quàm qui audentes ſunt & firma fronte præditi, minimeque incallidi. Nam cùm ſibi propoſitum habeant, magnas opes colligere, quibus nempè velut maximè idoneo gerendarum magnarum rerum inſtrumento (ut dixi) utantur, homines autem literis dediti & ſimplices plerumque, nec animi nec ingenii ſatis habeant ad captandas hæreditates & petendas majores ſummas, rectè provinciam hanc iis demandant, quibus quantumvis magna poſtulare nulla ſit δυσωπία, neque ſemel ſæpiuſque repulſi iterum redire dubitent, & momenta atque articulos omnes commoditatis teneant. Ab

Ab iis porrò cùm quid peccatur (quod quidem maximè humanum eſt, nec omninò caveri poteſt) duo ferè ſunt, quæ ex eo uſu venire ſolent. Unum, ut continuò obſervetur & in ora vulgi perveniat. *Id enim profectò omnes novimus*, (ait Xenophon in Ageſilao) *quicquid viri celebres egerint, occultum eſſe non poſſe:* id quod etiam Poëtæ verſiculi confirmant:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

Alterum, ut id quamvis exiguum malevolentia hominum amplicet, & ex muſca, quod aiunt, elephantumfaciat. Itaque hujuſmodi hominibus in excelſo ſive dignitatis ſive exiſtimationis collocatis ſalutare præceptum hoc inſtillat Seneca 1. de Clem. cap. 8. *Alia conditio eorum eſt, qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum virtutes ut appareant ac videri poſſint, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra facta dictaque rumor excipit: & ideò nullis magis cavendum eſt, qualem famam habeant, quàm vobis, qui qualemcumque merueritis, magnam habituri eſtis.*

Bononiæ Kal. Decemb. anno 1610.

IV. LI-

IV.

LIBELLI SUPPLICES

Summo Pontifici CLEMENTI VIII. *oblati à pluribus Societatis Jeſu Provinciis, pro reformatione obtinenda in eadem Societate.*

A Tergo

Patri Beatiſſimo Clementi VIII. Eccleſiæ Catholicæ Oecumenico Paſtori.

Intus

Pro Societate Jeſu ad Clementem VIII. Pontificem Maximum.

SALUTARIS ADMONITIO.

TUA authoritate, Pater Beatiſſime, vel potiùs divino conſilio, perfectum eſt, ut vivo Patre noſtro Generali, juſtis ſuffragiis delecti Patres è cunctis noſtris Provinciis Romam de rebus non levibus diſceptaturi convenirent.

Tuæ nunc ſapientiæ, & in cunctum noſtrum hunc Ordinem paternæ charitatis eſt providere, Beatiſſime Pater, ut quæ in hac noſtra ſodalitate ſanari poſſunt, quacumque ratione ſanentur; quæ reſecanda ſunt, non pati ut ad perniciem totius corporis latiùs manent. Nam nova quædam miſceri & concitari mala in noſtra ſodalitate qui negat, amens eſt, aut cæcus. Et qui in illis partibus nihil pravi eſſe credit, aut dicit, mavult eam ægram eſſe, & miſerabiliter interire, quàm conſaneſcere, & valere.

Quæ autem Sociorum, & veterum Patrum animos adhuc exulcerarunt, atque etiam nunc exedunt, hæc ſunt, Pater Beatiſſime.

Rudes & tyrones, in noſtriſque Inſtitutis peregrinos antiquis; prudentioribus & doctioribus ignaros & imperitos; melioribus deteriores præfuiſſe.

Seniorum ſapientiam à juvenibus Rectoribus eſſe deſpectam, neglecta conſilia.

Iis, qui imperant, omnia collibuiſſe, atque impunè licere: Imperia diuturna ac penè perpetua eſſe, nec certa parendi & imperandi ſpatia conſtituta eſſe.

Patrem Generalem ſumma poteſtate pollere, omnia ſuo arbitrio adminiſtrare, nihil formidare, cunctos nutu terrere, magnos viros & de Societate optimè meritos deprimere, propeque exanimare, bonum publicum ſæpè privata gratia vinci.

Quatuor votorum profeſſionem non iis, qui & fama virtutum, & magnitudine meritorum, & egregiorum facinorum gloriâ, ſunt cæteris commendatiores, ſed qui Generali chariores & jucundiores, deferre: id quod fuit, eſt, eritque ſemper noſtro Ordini maximarum diſcordiarum ſeminarium, niſi tanto malo medicina reperiatur.

Ita nobis etiam omnes bonæ artes jam conſeneſcunt.

Ne igitur major vis aliqua morbi, & tabes, noſtræ Societatis corpus invadat, hæc comparanda videntur eſſe remedia.

Primum, ut qui tot annos imperarunt, incipiant aliis religiosè parere, certaque ſint poſthac tempora imperandi, atque parendi.

Secundum, ut geſta poteſtate, qui præfuerunt aliis, cenſorias notas ſubire cogantur, quod ipſum in tam multis aliis Religioſis familiis factitatur.

Tertium, ut Generalis, non ſuo, ſed nutu domeſticarum legum Societatem regat; non ad libidinem ſuam hunc vexet, illum foveat in ſinu. Ut ad majora negotia ſuorum quatuor Aſſeſſorum ita conſilio utatur, ut repugnantibus illis ea conficere non poſſit. Ut in de-

deligendis Provincialibus, præcipuorum Patrum, qui in Provincia verſantur; in Collegiorum Rectoribus præficiendis, in Præpoſitis Domorum conſtituendis, eorum, qui vel in Collegiis vivunt, primariorum Patrum, vel, qui in Profeſſa domo commorantur, Profeſſorum Patrum, & Conſiliariorum ſententias exquirat, & illas ferè ſequatur. Ut in creandis quatuor votorum profeſſis à præſcripto noſtrarum legum ne diſcedat, quæ in ejuſmodi profeſſis probitatem & doctrinam minimè vulgarem requirunt.

Quartum, ut à Sede Apoſtolica detur noſtro etiam Ordini Protector aliquis: ſic enim erimus reliquis Religioſis minus invidioſi, & nimia licentia, regiaque Generalis poteſtas, quæ valde periculoſa eſt, cohibebitur. Quem quidem Protectorem cur recuſemus, nulla probabilis ratio ſuadet: quandoquidem cunctæ Religiones, quæ noſtrâ antiquiores, & nobiliores ſunt, habent, & noſtra etiam, dum Pater Ignatius ageret in terris, habuit Cardinalem Carpenſem.

Quintum & maximum remedium eſſet, tertio quoque anno Protectoris juſſu Viſitatores in Provincias mitti errata tum ſuperiorum, tum ſubditorum corrigenda. Hi autem Viſitatores ex antiquorum Patrum numero, qui charitate & prudentia maximè commendentur, eſſent ſeligendi, quos Generalis nullis muneribus, nullis præmiis, nullis honoribus, nullis promiſſis, ad ſuum ſtudium perduxiſſet.

Hæc omnia ſalutaria eſſe, & peroportuna noſtris malis remedia cuncti fatebuntur, qui malunt ſoli quàm cum tota Sodalitate perire. Ita mihi hac mea ſalva Societate cum bonis omnibus perfrui liceat, ut nihil mea cauſa, ſed communis boni duntaxat cupiditate incenſus, hæc excogitavi, veſtræque Beatitudinis Pontificiæ menti ſubjeci.

Sanctiſſimo Patri, & Pontifici Maximo, Clementi VIII. Soli & in manu propria, Memoriale.

Beatissime Pater, Per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti oramus Sanctitatem tuam, ut dignetur reſpicere Societatem noſtram Jeſu, & providere ſuâ authoritate tantorum inquietudini, ne oriantur tot ſcandala, & tot murmurationes.

Primò, Provideat Sanctitas tua, ut omnino certum tempus præſcribatur Superioribus, & Miniſtris, & Procuratoribus, nempe duorum vel trium annorum, quo tranſacto, teneantur reddere rationem adminiſtrationis; & vivere per totidem annos ſicut ſubditi. Nam cùm quis eſt creatus Superior, nullum timet, facit quod vult, tractat ſubditos ut libet, obliviſcitur obedientiæ, humilitatis, paupertatis, & denique dicit, *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi*, exercens tyrannidem in quos ei placuerit: quia ſcit à nullo poſſe privari Prælatura, præterquam à Generali, qui ad conſervationem ſuæ Monarchiæ putat expedire, ut Superiores diutiſſimè gubernent. Et licèt ſint inſufficientes, ſcandaloſi & perturbatores pacis, tamen Generalis vel non credit ſubditis, vel ſi credit, ne videatur feciſſe malam electionem, pertinaciter ſinit illos gubernare. Hinc eſt quòd tam multi coguntur egredi extra Societatem noſtram, quia Generalis magis credit Superioribus mendacium, quàm aliis veritatem: imò non habent ſubditi quò recurrant, ſi velint, vel tueri ſeipſos contra calumnias Superiorum, vel juſtè accuſare Superiores, qui, cùm ſint ipſi homines, poſſunt errare.

Secundò, Provideat Sanctitas veſtra, ne ſit in poteſtate ſola Generalis promovere ad prælaturam quem velit: nam videmus cum magno detrimento Religionis noſtræ, & ſcandalo mundi, quòd Generalis, nulla habita ratione, nec antiquitatis, nec laborum, nec meritorum, facit quos vult Superiores, & , ut plurimum,

mum, juvenes & novitios, qui ſine ullis meritis, & ſine ulla experientia, cum maxima arrogantia, præſunt ſenioribus, & illis, qui diu laboraverunt, & laborant in Eccleſia Dei. Et denique Generalis, quia homo eſt, habet etiam ſuos affectus particulares, & cùm afficitur erga aliquem, promovet illum, etiamſi verè indignus: & quia eſt Neapolitanus, melioris ſunt conditionis Neapolitani. Ex adverſo, ſi aliquis non placet guſtui Generalis, etiamſi ſit de Religione benè meritus, & optimis moribus, pro nihilo habetur. Quare S. V. amore Dei ſtatuat, ne aliquis poſſit fieri Superior cujuſvis Ordinis, niſi vixerit in Societate per aliquot annos, & ut poteſtas eligendi, ſeu creandi Superiores non ſit penes Generalem tantùm, ſicut modò eſt: nam licèt Generalis habeat ſuos Conſiliarios, tamen non tenetur ſtare ipſorum conſilio, ſed eſt Dominus Dominantium, & facit quod vult, nullis legibus adſtrictus, unde mortificat & vivificat, deprimit & exaltat quem vult, ac ſi eſſet Deus, qui liber eſſet ab omni animi perturbatione, & non poſſet errare: & ô utinam in multis non erraret, forſitan non videremus tot apoſtatare à noſtra Religione.

Tertiò, ad tollendam inquietudinem, & murmurationes multorum, omnino Sanctitas veſtra definiat, ne ſit penes Generalem facere Profeſſos, quos vult, & quando vult. Nam multi, qui per ſeptem, vel decem, vel etiam quinque annos fuerunt in Societate, promoventur à Generali ad profeſſionem, nulla habita ratione, nec antiquitatis, nec meritorum, ſolùm quia ita vult. Multi autem, qui per multos annos vixerunt, & laborarunt, adhuc non ſunt profeſſi. Et profectò in hac re eſt magna acceptio perſonarum, cum magno ſcandalo totius mundi. Ideò neceſſe eſt, ut S. V. ſtatuat certum quoddam tempus, ante quod non poſſit Generalis pro libito promovere quemquam ad profeſſionem, & quo tranſacto teneatur facere omnes profeſſos. Et quia illi fiunt profeſſi, quos voluerit Generalis, neceſſe eſt ultra tempus determina-

tum præſcribere aliquas regulas, quibus obſervatis debeat quiſque promoveri ad profeſſionem. Injuſtum enim omnino videtur, ut debeat quis ſatisfacere voluntati unius hominis, ſi velit eſſe profeſſus. Sciat autem S. V. pauciſſimos eſſe profeſſos, imò Conſtitutiones ordinant, ne multiplicentur profeſſi, quod an ſit benè conſtitutum, videat S. V. Nam hoc eſt certum, quòd pauci ſunt contenti in Societate, præter paucos Superiores & Profeſſos. Et ſi ſaltem in creandis profeſſis obſervaretur juſtitia, & haberetur ratio, & temporis, & laborum, & meritorum, eſſet aliquo modo tolerandum: ſed res dependet à beneplacito Generalis, qui homo eſt; quod quàm ſit indignum, nemo eſt qui non intelligat.

Quartò, mirum eſt, Pater Beatiſſime, quòd Gregorius XIV. in quadam Bulla conceſſerit, ad inſtantiam Generalis, quòd nulla ſervatâ formâ judicii, ſed ſimpliciter inſpecta veritate, poſſit Generalis procedere ad punitionem alicujus ſubditi: hoc enim eſt adeò iniquum & odioſum, ut plerique putent totam illam Bullam eſſe ſubreptitiam. Nam quomodo poteſt Generalis, vel alius Superior, eruere veritatem, niſi ſervando quod ſacri Canones ſtatuunt? Certè hoc eſt facere Generalem majorem Papa: nam Sanctitas ſua neminem condemnat, niſi priùs auditis partibus, & prolata ſententia juridicè. Videat ergo veſtra Sanctitas, ſi hæc Bulla poteſt ſtare: nam nullum eſt refugium ſubditis, quo ſe tueantur. Non enim habemus Protectorem, Generalis meritò eſt ſuſpectus, quod ſemper favebit Superioribus accuſantibus: quia ipſe ſolus facit Superiores. Solùm relinquitur nobis facultas appellandi ad tuam Beatitudinem, quod quàm ſit difficile, S. V. judicet: præſertim cùm Generalis ſemper reſideat Romæ, & præoccupet Sanctitatem tuam.

Quintò, in eadem Bulla prohibetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quiſquam contradicat etiam verbis Inſtituto noſtro. Sanctitas tua tollat hanc cenſuram, quia ſunt multa in hoc noſtro In-

Inſtituto, quæ, ſi viveret Pater Ignatius, omnino mutaret, doctus experientiâ, & etiam mutaret ipſe Generalis, ſi non eſſet perpetuus: & ſunt aliqua etiam, quæ humana ratione non poſſunt intelligi.

Sextò, ſtatuat veſtra Sanctitas, ut in Congregationibus Provincialibus determinentur omnia per vota ſecreta; nam omnes, propter timorem Generalis, non loquuntur liberè ut ſentiunt: quia ſciunt quòd omnia ſcribuntur poſtea ad Generalem.

Pater Sancte, hæc quæ dixi, & alia plura benè novit Illuſtriſſimus Cardinalis Toletus, qui multum poterit juvare cauſam noſtræ Societatis, ſi tamen loquetur in favorem veritatis, ut ſperamus, & non in gratiam Generalis. Sed præcipua, imò tota ſpes noſtra ſita eſt in te, Pater Beatiſſime. A generali Congregatione nihil eſt ſperandum; tum quia ferè omnes Patres congregati, ſunt Superiores dependentes à Generali, & deſiderantes perſeverare in prælaturis: tum quia ſi quis eſſet cupidus boni publici, & alicujus reformationis, ne offendat Generalem, tacebit potiùs: præſertim quia apud iſtos Superiores, eſt ſacrilegium & crimen læſæ Majeſtatis tractare de immutatione alicujus rei: cùm tamen tempore iſtius Generalis factæ ſint maximè alterationes in noſtro Inſtituto, ſed ſemper procuratæ ab ipſo Generali in favorem propriæ authoritatis. Sed an expediat habere perpetuum Generalem, & juvenem, cum tanta poteſtate, tuum ſit judicium, Beatiſſime Pater.

LAUS DEO.

V.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS, DOMINI CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPI PRAGENSIS, LEGATI NATI, &c.

Judicium & Cenſura Bullæ à Patribus Societatis Cæſari oblatæ, Cæſareâ ac Regali auctoritate firmandæ, pto erectione Carolo-Ferdinandææ Academiæ.

PROPONITUR Cæſareæ ac Regiæ Majeſtati à Patribus Societatis Tranſlatio Privilegiorum Carolinæ Univerſitatis in Academiam Ferdinandæam, cujus ſumma poteſtas ſit penes Societatem, abolitis privilegiis in contrarium facientibus, aliis auctoritate Cæſareâ ac Regiâ additis in eum finem, ut hactenus collapſa fides Catholica, nec non & adminiſtratio politica ſublevetur ac reſtituatur. Rationes adducuntur nimirum:

Hactenus propter Religionis diſſidium toleratam in unica Civitate dualitatem Academiarum: nunc devolutâ ab Hæreticis in Catholicos omnimodâ Juriſdictione, nullam ſubeſſe cauſam cur maneat. Ergo vel oportet ut ambæ coaleſcant in unam, vel altera è duabus abolenda. Utra autem duarum tollatur, dedecet. Si Carolina extinguitur, id prohibet ejus antiquitas, Caroliique Cæſaris meritum, ac memoria. Sin verò Ferdinandæa, cur ſtabit Carolina, hactenus rebellionis ac hæreſium mater, ſublatâ Ferdinandæâ, fidei in Deum ac Principem magiſtrâ? Ergo neceſſum eſt ambæ coaleſcant

leſcant in unam, ita tamen ut Carolina, Deo & Principi rebellis, cedat in Jus Ferdinandææ, quæ cùm hactenus non alium habuerit Rectorem, præter eum qui è Societate eſt de more Rector Collegii Pragenſis, deinceps is id juris retineat, vel ex eo, quod incomparabilis ſit Societatis virtus in propaganda doctrina, fide, ac pietate, adeò ut vel Protectorem aut Patronum tamquam impedimenta repudiet.

Placet Domino Archiepiſcopo finis, qui eſt reſtitutio religionis Catholicæ in hoc regno, provinciiſque incorporatis, id enim ſpectare eſt Archiepiſcopale onus & munus, licèt hæc conſilia inſcio Archiepiſcopo inita ſint cum Principe Politico, qui tamen pro ſua prudentia & religione eo inconſulto nihil decretum eſſe voluit.

Diſplicet medium: quia attentata erectio Carolo-Ferdinandææ Academiæ habet annexam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam. Nam omne quod derogat juriſdictioni Eccleſiaſticæ inhibet Chriſtianis quibuſcumque ſub pœna prædictæ excommunicationis, quod cùm ex multis Canonibus, tum maximè probatur ex Bulla in Cœna Domini, quam nuperrimè elapſâ feriâ quintâ majoris hebdomadæ non dubitatur fulminatam juxta conſuetam formam quoad immunitatem Eccleſiaſticam: Cujus inter multa hæc ſunt formalia verba.

Excommunicamus omnes &c. Nec non qui ſtatuta, ordinationes, Conſtitutiones pragmaticas, ſeu quavis alia decreta in genere vel in ſpecie ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu literarum Apoſtolicarum uſu non receptarum ſeu revocatarum, & cujuſvis conſuetudinis aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinarint, & publicarint, vel factis & ordinatis uſi fuerint, unde Libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur vel deprimitur, vel aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis aut quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expreſſè præjudicatur &c.

Caterùm à prædictis ſententiis nullus per alium quàm

per Romanum Pontificem niſi in mortis articulo conſtitutus, neque etiam tunc, niſi ſtando Eccleſiæ mandatis & ſatisfaciendo cautione præſtitâ abſolvi poſſit &c.

Declarantes ac proteſtantes quamcumque abſolutionem &c. Qui etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcumque alios actus contrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam in præmiſſis omnibus & ſingulis ac quibuſcumque juribus Sedis Apoſtolicæ ac Sacræ Romanæ Eccleſiæ undecunque, & quomodocunque quæſitis vel quærendis nullatenus præjudicari poſſe ſeu debere, non obſtantibus privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus ſuprà dictis, vel eorum alicui ſeu aliquibus & aliis cujuſcunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis & praeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quâvis aliâ etiam mundanâ præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede ex quavis cauſa etiam per viam contractus, aut remunerationis & ſub quavis alia forma & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, conceſſis etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari vel interdici non poſſint per literas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumque longiſſimis & aliis quibuſlibet obſervantiis ſcriptis & non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus ac ſententias, quo minùs includantur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri. Quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo infererentur præſentibus pro expreſſis habentes penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque &c. Hæc ex Bulla Cœnæ Domini.

Hæc ipſa privilegia, quæ cuiquam ſuffragari poſſent, quo minùs incurratur præfata excommunicatio, alio titulo ſunt revocata à Pio IV, in Bulla edita Anno 1565 ter-

tertio decimo Calend. Martii: Nimirum *ut Decreta Concilii Tridentini* (quibus adverſatur imminutio Eccleſiaſticæ libertatis) *in effectum deducantur, non obſtantibus juribus ac privilegiis Patriarcharum, Archiepiſcoporum &c. ac etiam Laicis cujuſcunque dignitatis & ſtatus ac gradus, & Excellentia, ac etiam Ducali, Regia, Imperialique dignitate fulgentibus* &c. Vide Bullam præfatam.

Verùm ut hæc Bulla Conciliique Decreta legis vim obtineant, tanquam à jure ſancita, ac proinde non obligare cenſeantur, niſi ubi Concilium ſit uſu acceptatum, tamen Bulla in Cœna Domini non legis tenorem, ſed præcepti vim habet, utpote ab homine lata, quapropter ejus vim non niſi non baptizatus declinare poteſt; ubi verò Concilium Synodali Decreto acceptatum eſt, cætera omnia obligare non eſt dubium.

Quapropter Viro Catholico non eſt dubitandum, quin omne quod minuit Eccleſiaſticam Juriſdictionem habeat annexam excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam. At Inſtitutio Carolo-Ferdinandææ Academiæ minuit Eccleſiaſticam Juriſdictionem: nam eximit Cæſaris authoritate politica totam Academiam, hactenus quoad Carolinam Archiepiſcopo Pragenſi, tanquam Capiti, ſubjectam, ab omni prorſus hujus Regni Judice Eccleſiaſtico, transferturque eadem politicâ Cæſaris authoritate in Jeſuitas Academiæ moderatores omnimodum jus ordinarium in totam Academiam, in omnes Pædagogos Pragenſes, totiuſque regni ſcholas triviales & Gymnaſia, nec non & jus omnimodæ cenſuræ omnium librorum totius regni, cùm jure Inquiſitionis ac Correctionis hæreticæ pravitatis in omnes Academiæ Profeſſores; pædagogos Pragenſes; totiuſque regni ludimagiſtros; ut alia reſpectivè minora, ſed abſolutè ſatis gravia omittantur, quæ omnia ex Bulla quam Patres Societatis Cæſari ſignandam ac firmandam obtulerunt, ad oculum clariſſimè demonſtrantur: Nimirum quòd tale jus transferatur ab Archipieſcopo in Patres Societatis; quodve

hæc tranſlatio fiat authoritate Cæſareâ ac Regiâ. Illud quidem diſertiſſimè explicatur in præfata Bullæ Cæſareæ formula, ad quam hac in parte provocamus: Hoc verò ex eadem adductis formalibus verbis ac clauſulis oſtenditur, ſic enim habet textus,

Quapropter æmulatione pietatis Majorum &c. authoritate noſtrâ Imperiali & Regiâ Univerſitatem Carolinam Univerſitati Ferdinandææ Societatis Jeſu in noſtrâ Civitate Pragenſi pleno in perpetuum jure unimus &c. Paulò infrà.

Neque huic noſtro conſilio obtendi poteſt qualecunque Carolinæ privilegium: (nota, licèt Papæ Privilegio Archiepiſcopus ſit Univerſitatis ſupremum caput) *quando nos illam ob ejus demerita abolere penitus potuimus, & quoad ea prorſus abolemus, quæ præſenti à Nobis erectæ unioni repugnare contigerint. Itaque ſupremum hujus totius Univerſitatis Rectorem perpetuis futuris temporibus eum eſſe volumus, qui Collegii noſtri Cæſarei Societatis Jeſu Rector pro tempore extiterit, à Superioribus ejuſdem Societatis de more inſtitutus.*

Deinde infrà iterum ceſſant jura Carolinæ obſtantia huic novellæ erectioni his verbis:

Præſenti diplomate auferimus, abrogamus, & abrogatum, caſſumque eſſe authoritate noſtra pronuntiamus.

Ubi verò confirmantur privilegia Carolinæ in uſum Carolo-Ferdinandææ & ſpecialiter exemptionis à Judice politico ex Wenceſlai Cæſaris, & ab omni Judice Eccleſiaſtico ex Bonifacii IX. decretis. Sic habet textus: *Itaque nos eandem &c. poteſtatem Rectoribus hujus Carolo-Ferdinandææ Academiæ confirmamus, & quantum in nobis eſt innovamus, &c.*

Non eſt autem in Cæſaris poteſtate jura Archiepiſcopalia Archiepiſcopo adimere, ac in jus Jeſuitarum transferre. Deinde paulò infrà ſic habet.

Inſuper ſubjicimus eidem Rectori omnes & ſingulos trivialium ſcholarum in Urbe Praga magiſtros & quoſcunque Pædagogos &c. Qui in omnibus ſeſe dicti Rectoris

ctoris aut Delegatorum ejus poteſtati, diſpoſitioni, inſpectioni, viſitationi accommodent &c.

Et paulò pòſt.

Nemini verò prorſus liceat ullam novam pædagogiam aut cujuſcunque facultatis &c. niſi obtenta in ſcripto à Rectore Academiæ licentia, emiſſa in manibus ejus fidei ſanctæ profeſſione, inſtituere, quin etiam Rectori, exceptis quæ ad aliquod aliud Societatis Jeſu Collegium antea ſpectabant, omnia totius regni Gymnaſia & triviales ſcholas ſive jam erectas ſive erigendas ſubjectas eſſe volumus &c.

Ubi vides excepta eſſe Gymnaſia Jeſuitarum, nulla verò quæ Juris Archiepiſcopalis ſunt. Demum ad evitandam prolixitatem, ſola authoritate Cæſarea ac Regia conferuntur Rectori Jeſuitæ jura Inquiſitionis ac Correctionis hæreticæ pravitatis, Cenſuræ librorum & ſimilium, ita ut in tota hac Bulla ne minima quidem notetur clauſula, quæ jus Pontificium vel Archiepiſcopi Pragenſis reſervet, ſed deſpotica, Cæſarea ac Regia poteſtas ſola ſupponitur & adducitur. Neque dubium eſſe debet, quòd ſi Cæſar hoc facere poſſet, aut præſumeret, ex vi privilegii cujuſpiam ſive collati à Summo Pontifice, ejus privilegii vel unicam Patres Societatis feciſſent mentionem aut inſinuationem, prout fieri debet, quando extraordinaria jurisdictio exercetur, ſed nihil horum redolet illa Bullæ formula fabricata ſtudio & conſilio Patrum Societatis. Quis ergo dubitet per hanc Carolo-Ferdinandææ Univerſitatis erectionem exauctorato ex parte Archiepiſcopo intrudi authoritate politica ad ea jura unum hominem Jeſuitam? At hoc maniteſtiſſimè derogat jurisdictioni Eccleſiaſticæ: nam jus inſtituendæ Univerſitatis, maximè in qua jus Canonicum, Theologia ac Biblia doceantur, eſt penes Summum Pontificem. Sic ſentiunt Theologi ac Canoniſtæ. Id patet cùm ex multis Canonibus, tum maximè ex Decretis Innocentii tertii in Concilio generali & Honorii III. item in Concilio generali. Vide extra: de Magiſtr. per tot. Hoc intel-

lexit Carolus IV. qui à Clemente VI. Summo Pontifice ſupplex petiit erectionem Carolinæ Univerſitatis, quam à præfato Pontifice erectam & Archiepiſcopali juriſdictioni innixam, ampliſſimis prædiis & cenſibus Eccleſiaſticis, Eccleſiaſticorumque liberali contributione donavit, ut refert Hugo in ſua Bohemica Chronica pag. 2. ſub. Anno Domini 1348. quam Carolinam nunc Patres Societatis everſum eunt, novamque (licèt titulo tenus antiquam) à Principe politico erectam volunt, ipſi Societati emancipandam, ab Archiepiſcopo. Deinde jus in Academias & Univerſitates de Jure Canonico præcipuè demandatur Ordinario illarum partium, ubi vigent ſtudia generalia. Vide præfatum decretum de Magiſtr. per totum. Unde nulla extitit Univerſitas Catholica exempta à juriſdictione Ordinarii, quin imò ut plurimum ſupremum jus habet Epiſcopus titulo Cancellarii Univerſitatis. Hoc ipſum noviſſimè decrevit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 5. cap. 1. & ſeſſ. 25. cap. 18. Ubi triviales ſcholas, Seminaria & Collegia ſtudiorum univerſalium providentiæ & juriſdictioni Epiſcoporum demandat: hanc verò Carolinam Clemens VI. juriſdictioni Archiepiſcopi Pragenſis ſubjicit quoad doctoratus ac magiſterii dignitatem conferendam, ut patet ex illius Bullæ copia. At Patres Societatis authoritate Principis politici amotum volunt ab Univerſitate Archiepiſcopum, ſibi omnimodam juriſdictionem arrogantes.

Cenſura verò librorum ſive venalium, ſive imprimendorum, maximè in concernentibus fidem, eſt juris Epiſcopalis & Inquiſitorum. Sic habet perpetua conſuetudo in Eccleſia Dei. Noviſſimè verò Sacra œcumenica Synodus Tridentina hanc cenſuram Summis Pontificibus delatam voluit, qui Cardinalium Congregationi, Magiſtroque Sacri Palatii ad id muneris conſtitutis, ampliſſimas facultates & privilegia conceſſere: præcipuè Pius IV. Sixtus V. Clemens VIII. quorum authoritatem voluerunt præfati Pontifices eſſe præci-

puam

puam, cui omnes reliqui ſive Eccleſiaſtici, ſive Seculares, & nominatim Univerſitates omnes ſubjiciuntur, ut expreſſè habet Bulla Clementis VIII. data 17. Octobris Anno 1595. His verò ſuam operam navare teneantur Epiſcopi, & Inquiſitores, ut habetur in præfatione ad Indicem librorum prohibitorum facta à deputatione Tridentinæ Synodi. Quod jus ademptum Archiepiſcopo Cæſareo ac Regio Decreto ſibi uſurpant Patres Societatis.

At Inquiſitio & correctio hæreticæ pravitatis, ubi viget officium Inquiſitionis, ſpectat ad Inquiſitores, ſecus eſt juris Epiſcopalis. Inauditum verò eſt Regulares à Seculari Principe poſtulare ordinarium jus præfatæ Inquiſitionis, in pleroſque ſubditos proprii Epiſcopi. Res eſt evidentiùs abſurda, quàm quæ indigeat confutatione, & tamen Patres Societatis id juris ſibi committi volunt à Principe politico.

Sed jus in ſcholas triviales Eccleſiæ Cathedralis Pragenſis eſt penes ſcholaſticum hujus Metropolitanæ Eccleſiæ. In reliqua verò totius Regni Gymnaſia, eſt etiam penes Decanos & Parochos Archiepiſcopo ſubditos, ſic enim habet ſtatutum Eccleſiæ Pragenſis.

Scholaſticus Pragenſis, uti Prælatus Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ de cauſis omnium Rectorum, ſcholarum Civitatis & Diœceſis Pragenſis & ſuburbiorum ejus, tanquam eorum Ordinarius, judicialiter habet cognoſcere, & ipſâ ratione præviâ terminare, rebelles per ſuſpenſionem à rectoria ſcholarum compeſcendo, ad quem etiam examen ſeu approbatio Rectorum ſcholarum pertinet, &c.

Quo igitur jure fit tam præceps irruptio in omnium Eccleſiaſtica jura, & quidem à Regularibus, invocatâ ad id authoritate politicâ, quâ illorum arbitrio ſtet totius Regni Scholarum Rectores ad Rectorem Univerſitatis revocare, correctos remittere, loco ac Regno movere ac proſcribere?

Demum exemptio ab omni judice Eccleſiaſtico, nominatim verò ab Archiepiſcopo Legato Nato, & jus-

jus Eccleſiaſticum ſimul & politicum & civile in innumerabiles perſonas, quæ in cauſis ſpiritualibus & mixtis ſubduntur Archiepiſcopo, eo Eccleſiaſticæ immunitati magis adverſantur, quod hæc à Principe politico poſtulantur. Sanè prudentiſſimè Sacra Cæſarea atque Regia Majeſtas id negotii inconſulto Archiepiſcopo terminare detrectat, imitatus Carolum Quartum, qui in Bulla aurea, quâ ſuam Carolinam Univerſitatem Privilegiis donavit ſeptimo Idus Aprilis, Anno 1348. authoritate Regiâ, non Pontificiâ, Regalia non Eccleſiaſtica jura ac munera largitus eſt, in qua præter regiam protectionem, & magnifica dona, quæ promittit, nihil concedit: (præter privilegia, immunitates & libertates omnes, quibus tam in Pariſienſi, quàm Bononienſi ſtudiis Doctores & Scholares authoritate Regiâ uti & gaudere ſunt ſoliti:) ſunt Caroli verba formalia: Vide copiam.

Id verò efficaciùs adſtruitur ex eo, quòd Synodali Decreto in toto hoc Bohemiæ Regno ſit Concilium Tridentinum receptum, præceptumque in virtute ſanctæ obedientiæ, ut obſervetur, quemadmodum teſtantur acta Synodalia Archidioceſana habita Anno 1605. Porrò ſi hæc non derogare Eccleſiaſticæ juriſdictioni volumus, ridiculam faciemus Summi Pontificis totiuſque Eccleſiæ authoritatem, & pernicioſiſſimo exemplo proſtituemus Eccleſiaſtica jura cuilibet temeranda, quod abſit.

Itaque cùm hæc erectio Carolo-Ferdinandææ Academiæ transferat authoritate politica jura Archiepiſcopalia in eum, qui nec eſt Ordinis Epiſcopalis, nec eſt ullo jure emancipatus ab Archiepiſcopi ſubjectione, cùm, inquam, exinde graviſſimè minuatur hujus Metropolitanæ Eccleſiæ libertas, nec non & ſummi Pontificis Sediſque Apoſtolicæ authoritas, haud dubium quin ea annexam habeat excommunicationem latæ ſententiæ, Papæ reſervatam. Hoc igitur titulo ea Carolo-Ferdinandææ Academiæ erectio per ſacros Canones Bullamque in Cœna Domini deteſtabilis eſt. Sed nec qualecumque ſit hoc Societatis (alioquin prudentiſſimæ

mæ ac ſanctiſſimæ) abortivum conſilium, ſatis ſincerè Cæſari ſuadetur. Nam ad ſpeciem deſæviunt in Carolinam, quaſi rebellem & hæreticam, cùm nunc temporis nihil ſuperſit illius, præter Archiepiſcopum Pragenſem aliaſque perſonas optimè meritas de Deo & Cæſare, & præter illius jura bonaque mobilia & immobilia, ex quibus Patres Societatis authoritate politica ſibi vendicant omne jus, & bona omnia mobilia & immobilia, hæreſis verò rebellioniſque ſub umbra deſæviunt in Archiepiſcopum Pragenſem, Carolinæ Univerſitatis Caput, aliaque membra Catholica, inque eorum jura ac privilegia, quæ omnia citra ullam culpam ac judicii formam abolita ac caſſata eſſe volunt, & quidem ab eo qui id juris non habet. Nam ex præſcriptione ortum ducente ab impia hæreticorum invaſione in jura Archiepiſcopi, nec minimum juris decedit ipſi Archiepiſcopo, quod utique ſcire debuiſſent, qui ſoli in Univerſitate docere præſumunt.

Præterea committitur fallacia, dum ex eo quòd Rector Collegii Pragenſis hactenus fuerit Caput Academiæ Ferdinandææ, arguunt debere eundem eſſe Caput Carolo-Ferdinandææ, cùm longè ſit diſpar ratio. Nam illa nullum Epiſcopale jus contra jura ſibi vendicabat, hæc verò id juris præſumit, quod Archiepiſcopo injuſtè ademptum inaudito exemplo tranſfertur in unum hominem regularem ſpecie propagandæ Religionis.

Denique negotium videtur invidiæ, rixarum, ne dicamus ſeditionum prægnans, iis qui tantam præ ſe ferunt ſitim dominandi in Cleros ac Populos, concedere tam arbitrariam, & eatenus, ut dictum eſt, à Principe politico expoſtulatam ſummam omnium prærogativarum, exemptionum, antelationum, favorum & privilegiorum omnium totius Chriſtiani orbis Univerſitatum à juriſdictione ordinariorum nuſquam locorum exemptarum, nec non vagam & in omnem partem ductilem juriſdictionem decernendi, & ſtatuta condendi quæcunque ſpectabunt ad lectiones, exercitationes,

tationes, promotiones, ritus, inſignia, morum diſciplinam & correctionem, & univerſè quicquid ad promovendum illarum Facultatum bonum expedire judicatum fuerit, in quos fines nunc à Cæſare poſtulatur jus ac privilegia juri Eccleſiaſtico ac politico adverſantia, ut patet.

Sed de his quæ Politicam & Civilem tangunt jurisdictionem, aliorum eſt cenſura.

Utilius ergo eſſet inhærere ac inſiſtere Decretis Sacro Sanctæ œcumenicæ Tridentinæ Synodi, quæ ut fidem Catholicam alicubi collapſam reſtitueret, reſtitutamque conſervaret, de more Univerſalis Eccleſiæ per Ordinem Epiſcopalem, cui Regulares tanquam adminicula deſerviant, id præſtari decrevit, ac propterea imminutam Epiſcoporum authoritatem reſtitutam eſſe voluit, quod cùm plurimi Pontifices, tum maximè præſtet Pius IV. per Bullam præfatam. Quapropter idem Pontifex motu proprio ſui Pontificatus anno quinto deputavit Cardinalium Congregationem, qui Concilii Decreta obſervare faciant, ſed Patrum Societatis conſilium de inſtituenda dicta Univerſitate ex adverſo occurrit conſilio Patrum præfati Concilii.

Nam ſic devolvitur in unum regularem, & clavis ſcientiæ in toto Regno Bohemiæ: (ſi demas jus concionandi necdum invaſum:) & magna pars poteſtatis jurisdictionis Archiepiſcopi, cui tantùm integra relinquitur poteſtas Ordinis. Unde non eſt mirum, ſi nuperrimum conſilium de fundandis quatuor Epiſcopatibus in hoc Regno exſpiraverit, Patribus Societatis interea de facto totam Academiam uſurpantibus, bonaque illius ſtabilia adminiſtrantibus, & actus publicos ac ſolemnes in eadem exercentibus, inconſulto penitus Archiepiſcopo.

VI.

VI.

EPISTOLA

R. P. NICOLAI CAUSSINI

Societatis Jeſu Presbyteri, Regis Chriſtianiſſimi LUDOVICI XIII. *Confeſſarii, ad Reverendiſſimum Patrem MUTIUM VITELESCIUM ejuſdem Societatis Præpoſitum Generalem.*

REVERENDISSIME PATER.

I. NISI per ætatem tibi & rerum ambiguarum ſcientiam, nihil ferme mirari contigiſſet, novum fortaſſe videretur, quòd ea, quam ad me in Aulam deſtinabat epiſtola ad extremas Galliæ auras deprehenderit de Confeſſore Regis, factum martyrem veritatis. Gravem equidem patior ærumnam ſub ictu vaſtæ poſitus magis quam beneficæ potentiæ, cui me fratres mei non ex Societatis mente, ſed ſua, non odio quidem, ſed metu, dediderunt, rati nullam ſibi ſalutem eſſe, niſi ſuper defoſſi ruinas ſtarent. At verò qui me acrius perſequuntur, in hac tota pœnarum mearum ſerie, nihil de re præter cauſam proſcriptionem prædicant, rationem occultant, ut eorum lateat pudor in caligine uſitatis. Præter mentem & vota nihil jam habeo liberum: numerantur verba, notatur vultus, inquiritur in litteras, nullus ſine luce & inſpectoribus oculis ſeceſſus; impetunt me undique accuſationes, ad quas non tantum reſpondere ſed ne hiſcere quidem permittor, præpe-

di-

ditus gravi obedientiæ Sacramento. Aperiuntur vulnera, clauduntur ora, & quæ omnium acerrima pœna eſt, jubeor pati omnia; queri nihil. Mihi tamen rem attentius cogitanti ſuccurrebat nullas unquam ab obedientia textas tam piis manibus catenas, quibus religioſum arceret, ne in ſuperioris ſinu arcanos ſenſus deponeret. Quæ me ratio impulit ut eas ad te litteras mitterem, quibus obvoluto negotio lux affuſa veritatis & conſcientiam exoneraret meam, & rebus afflictis ſolatium à veſtra Paternitate quaſi communis pietatis ara fidentius imploraret. O utinam felicibus auſpiciis eat epiſtola, penetret ferrum & ſaxa, fugiat emiſſarios, tranſcendat Alpes, in tuas ſoſpes deveniat manus. Ego ille, quem etſi ignotum multis, repentinus hic turbo notum fecit, hoſpes tibi eſſe non poſſum, tam ſæpe abditus in illo curarum tuarum & magnæ mentis ſacrario.

II. Novit Paternitas veſtra qualem hactenus vitam egerim à negotiis & ambitu alieniſſimam, in religioſa traductam diſciplina, innocentibus diſtrictam ſtudiis, qua docendo, qua concionando, qua ſcribendo, contritam laboribus, domi probatam & foris. Is ſum qui fui hactenus, & licèt picta carbone nuper innocentia nihil amiſit illius lucis quam veſtræ Paternitatis exempla & præcepta totam in Societatem transfuderunt. Noli erubeſcere crucem Chriſti, nec me exulem ejus: ſacra res eſt forti animo miſer. Etſi in me multa falſa adverſa, multa globo velut aſſiliant, nunquam veritas cauſam, nunquam conſtantia pectus deſtituet.

III. Perſtringam igitur verbis quantum potero rem ſua natura diffuſam, & dicam quo pacto poſt tranſactam in ſereno maximam vitæ partem, devexam ætatem, ingens circumfremuit procella, quæ ſtantem ſuper caduci corporis imbecillitatem animum alliſit potius quàm defecit. Nondum plane perſpectum habeo mirificum divinæ providentiæ conſilium, quod me hominem ab aulica vita & ingenio & voto alienum in aulam detulit, quam in libris tantum * meis videram ejus calamo tetigiſſe contentus umbram, cujus ſciebam in feſtum eſſe corpus re-

* In libro cui titulus, *La Cour Sainte.*

religioſis virtutibus, deveni in illud inconſtantiæ regnum, ubi tot verſipelles animi, tot artes, tot fortunæ ludibria, tot rerum anfractus, ubi potius perdere me conſtitui quàm innocentiam. Neſcio quis præterea afflatus hominum in hanc me impulerit regionem, niſi quod quærebatur vir commodus, non qui *Aulam* faceret *Sanctam*, ſed qui ferret prophanam. Hoc polliceri ſibi videbatur omnia ſibi ad optatum fingentibus ingenii mei ſuavitas & acta per ſimplices curas vita; deſtinabar turpiculæ ſervituti, homo mente, ſi quiſquam alius, liber. Ad hæc quædam ſtudiorum & ingenii quæ me circumfluxerat fama commendatura putabatur Cardinalis delectum, nec exarmata bonitas ejus obfutura conſiliis. Verſare mihi permittebatur animo totam illam cæleſtem Aulam, modo me terrena tractabili facilitate commodarem.

IV. Sed hæc fuit hominum opinio nimis demiſſè de religioſa virtute judicantium, nam qui acerrimis ducibus ad militares laureas eſt animus hunc in rebus divinis præferendum eſſe conſtitui, & in hac benignitate morum, pectus mihi finxi quod nec vis infringeret nec mulceret adulatio: permiſi me totum Deo, cujus opem in ipſo Aulæ aditu deſtinatis precibus & ſacrificiis exoravi, ut de cælo vis amica in Regis caput & regnum totumque miniſterium meum deflueret: nec fuerunt irritæ preces fauſtis auſpiciis ingreſſo.

V. Rex me tenera quadam benevolentia complexus, intimos animi ſenſus mihi credebat: Cardinalis, ea qua eſt artificioſa nimirum affabilitate, non ceſſabat blanditiis obruere, non tantum hortabatur ut peterem ab eo quid vellem, ſed urgebat; accipereque ſe credebat, cum daret beneficium. Ego vero qui ſciebam nonnullos ad terrores ferreos, cereos ad delicias, obfirmabam ſedulo pectus contra hæc luxuriantis fortunæ delinimenta; cavebam ne expirarem in floribus; quot blandimenta, tot admotas virtuti machinas, tot vincula libertati prævidebam. Hærebam mihi ipſi, & quoties eundum in ejus Aulam erat, toties in aciem me componebam; toties mihi duas arces tutandas arbitrabar, hono-

rem

voris polluerent, nec adoratæ magnitudinis fulgor hebetaret. Mirabatur inuſitatam animam, quæ ſenſus illi ſuos tam ingenue aperiret, ipſe viciſſim regium nudabat pectus admittebatque fidem meam quaſi in interiora velaminis & auguſta ſacraria. Timebat tamen interdum mihi ne premerer potentia mundi & mole; & in conſervationem meam impigre ſollicitus tam exquiſitis artibus incumbebat, ut qui ejus amorem venerarer, non poſſem non laudare potentiam. Hæc prima quidem Aulæ rudimenta videbantur his qui me diligebant ſatis fortunata, ſed tamen inter eorum plauſus nullam capiebam partem quietis, imo intimus infixus medullis æſtuabat dolor, cum luctuoſi belli venena in omnes Chriſtiani orbis venas permanare viderem.

VI. Angebar vehementer cum Chriſti eccleſiam deturpatam fuligine, ferro & flamma opertam undique cernerem, exanimabant me commiſſarum querelæ provinciarum, & ſine conſolatione gemitus; ſuſpirabam ad aras, & dolorum incendiis in publica intentus ſolatia: memini me cum ad tumulum Henrici Magni anniverſario ejus die proſtatus orarem, cum bella, cum victorias glorioſiſſimi Principis animo volverem, cum ejus erga hoſtes clementiam, erga ſubditos amorem, cum vigorem præcellentis animi, & exageratæ robur authoritatis haberem præ oculis, ſolutum in lacrymas, cogitantem quo in ſtatu Francia, cum in rerum articulo uxorem ſuam tantorum regum matrem & ſocrum reliquiſſet: tum quaſi ex cineribus ejus micante charitatis flamma ſentiebam pectori meo admoveri faces, & urgeri ut conſternato & laboranti mundo ſalutarem porrigerem manum: multa me ut de ſtatu rerum cum Rege tractarem admonebant. Primum enim videbam ejus conſcientiam & meam non mediocriter laborare ac vehementer implicari; ſciebam quidem me vocatum ad hoc munus, non ut eſſem Confeſſarius hominis & prævaricator Regis, neque tantum in principibus privatorum habendam peccatorum rationem, ſed eorum maxime quæ piam juſtamque populorum gubernationem ſpectarent; quippe hominum errata pluma aliquando

do leviora, Regum & Imperatorum ſæpe plumbea; illa ad paucos ferme pertinent, horum in omnes ſerpit contagio. Animadvertebam hanc Dei vocem, *diligite Juſtitiam qui judicatis terram*, non viles de plebe homunciones, ſed coronata circumtonare capita: noveram Reges paſtores eſſe populorum, quibus diſtricta ratio de tot mortalium regimine ad formidandum Numinis tribunal eſſet aliquando reddenda: pervidebam omnino perdito Ludovico XIII. non poſſe ſervari Ludovicum. Ille vero me adjuratum initio urgebat, ut de iis quæ ad ſalutem æternam facerent nullo modo conticeſſerem, ſed monerem animoſe, habiturum me principem quaſi unum de plebe noviter obſequentem. Percellebat interim aures meas gementis eccleſiæ perpetuus clamor; audiebam continuo voces acerbe ſuſpirantes, non ex aliquo factioſorum globo afflati rumuſculi deferebantur, ſed unus erat totius orbis convulſi & dilacerati gemitus, certiſſime tenebam Regem ipſo in augurationis Sacramento adſtrictum ut eccleſiam matrem contra facinoroſos hæreticorum & infidelium omnium impetus armis animiſque tueretur. At è contrario cernebam contra mentem Principis ſpoſam Chriſti confederatis ejus cum impiis hominibus ſignis acerbè divexari, & ea ſub ejus auſpiciis fieri, quæ lamentarentur boni, ipſi averſarentur improbi, omnis horreret ſeculorum memoria. Quærebat tum Deus virum qui ſe, ut ait Propheta, quaſi *murum opponeret pro domo Dei, qui tepentes cruore gladios* ablueret, qui flammæ omnia devoranti miſeras ſubtraheret reliquias. Ubi ille regiæ conſcientiæ moderator, ubi pater, quem in hunc finem providentia Dei ſanctioribus Principis conſilia & ori admovit & pectori? Canis mutus *non valens latrare cavet ſibi, ſibi ſtudeat, locum ſervat*, negligit omnia. O dedecus generoſo pectori non ferendum! Memineram noſtris conſignatum hiſtoriis ardente inter Franciſcum primum & Carolum quintum bello, Caroli Confeſſarium Dominicanum cauſa eccleſiæ ſuſcepta & pace compoſita feſſis rebus opem tuliſſe; nihil alienum à me exiſtimavi, ſi pari zelo accenſus, quamvis pervicacioribus ingeniis oc-

cu-

currentem, tum ſi nihil aliud poſſem, conſcientiam ſaltem meam à labe, nomen ab ignominia vindicarem.

VII. At contra verſabantur ante oculos humanarum terriculamenta opinionum, turbæ, conflictus & pugnæ, Cardinalis iratus, & illæ ſævitiæ trementis officinæ, exilia, carcer, vincula, triſtis ſcena, lugubris per Chriſtianum orbem fabula: veniebat in mentem prudentes viros monere omnia molliori brachio tractando, nec bona ipſa aut impetu quærenda aut tumultu ſancienda. Retinebat me ad extrema paratum Societatis nomen: hærebam magno corpori affixus, cujus me amor & cura nihil periculoſum moliri patiebantur; cupiebam extra aleam tam venerandum pignus; & cum ſcirem domum in qua verſabar non carere providis in curam ſui & meticuloſis hominibus, quibus placere magis rerum potienti cordi eſſet quàm pro veritate certare, angebar intimis ſenſibus; nec adeo projectus eram ut res novas cum eorum diſcrimine & ſine eorum conſilio ſuſciperem; ſed occurrebat eos eſſe de ſemine Sanctorum, qui tam ſæpe ſalutem feciſſent in Iſrael, & ea progenitos matre quæ ſe olim exiliis & vulneribus quaſi pretioſis monilibus ornatam circumſpexiſſet. Ad iſtos Patres Ignatium & Xaverium reſpicerent, nihil illis inſolitum ſi domum deducerentur ſuam. Non poteram adduci ut de concordia Principum Chriſtianorum, de bono pacis, de generis humani ſolatio tacendum mihi arbitrarer, ne aliquid inde paterentur incommodi qui ſe tranquillitatis & otio nimis fortaſſe indulgenter mancipaſſent. Non is ſum, Mi Pater, qui zeli falſis imaginibus illudar, nihil facere ſoleo præcox & turbidum; lente admodum feſtino, & conſilia ad purum excoquo: ſed nihil titubandum videbam in re tam communi Confeſſariis, tam decora fortibus, tam expetita multis, tam cunctis neceſſaria. Neque vero abruptè ſum Regem allocutus, ſed in intimos ejus ſenſus ſumma diu ſuavitate inſinuatus, per varia colloquia ad duodecim capita retuli quæ regii muneris vim totamque ſalutem amplecterentur.

VIII. Oſtendi regiam dignitatem cæleſte quoddam inventum & divinæ imitationem vitæ atque Monarchiæ, cui ex officio incumbere regere populos, eoſque per juſtitiæ & religionis puriſſimos calles ad apicem felicitatis deducere. Reges eſſe paſtores, non laniones, & valde periculoſum eſſe ſi homines ſibi, non ſe hominibus traderent, aut iis aliter uterentur quàm jus præſcriberet.

IX. Manſuetudine & clementia contineri regna, & quaſi amoris manibus fulciri thronos; rigorem animi habere ſemper aliquid lævum, infelix & turbulentum; eam demum eſſe arcem inexpugnabilem quam benevolentia ſubditorum ſuis præſidiis cingeret. Hoc cæleſti paſſu progenitores pios in ſinum gloriæ contendiſſe, qui diffuſa per omnes regni venas bonitate omnium ſibi animos devinxiſſent.

X. A Dei omnipotentis cultu & honore ducenda omnium actionum primordia, ſentire de Deo oportere illibata fide, Eccleſiæ Catholicæ & ejus ſummo Pontifici, cujus infringere nitebantur authoritatem, inconcuſſa firmitate adhærere, puriſſimis manibus adorare Numen, & omnibus piorum regum officiis defungi. Sed primam hanc eſſe & germaniſſimam pietatem, ſi proximum diligeret, & à lare regio faceret initium, omnes conſanguineos & affines ſumma charitate complexus: occurrebat inprimis Regina Mater, quam etſi de facie tantum noveram, nullis unquam ab eâ auctus beneficiis, communi tamen miſeratione permotus urebar animo, cum verſaretur ob oculos tantum gloriæ faſtigium tam indigne concuſſum, tam miſerabiliter depreſſum.

XI. Dolebam Matrem tot luminum tantis immerſam tenebris, ita deſertam ut nemo opitularetur, ita ſepultam atque defoſſam, ut ne nomen quidem extaret quod apud Filium commemoraretur. Hinc conſcientiæ Principis labem aſpergi, hinc nomini notam inuri providebam, ſi toties afflicti & per tot diſcrimina jactati ſpiritus reliquias longæva Mater & profuga, & omni ope Filii deſtituta, in alieno exala-

ret

ret ſolo. Non fui tam excors, ut non intelligerem facinus, nec tam timidus ut diſſimularem. De ſtatu quidem loqui non libebat, de lege Dei conticeſcere non licebat. Præterea non deſtiti, quantum in Aula commorari juſſus ſum, omni ſtudio atque induſtria eniti, ut Regis ac Reginæ concordes animi in conjugalis amoris puriſſimos ſenſus coaleſcerent: oſtendebam ſæpe quantum hoc eſſet Dei munus tot dotibus cumulata uxor, quæ ſe in ejus pectus toto transfudiſſet affectu, eſſe in ejus ingenio & conſuetudine caſtas & fortes delicias, quas ſi maritali lege vellet excolere, non eſſe deſperandum quin blandum & amabile nomen patris obtineret, vitamque & regnum ſumma fœcunditatis ſuavitate permulceret. Non ceſſabam quoque pius monitor amorem illi erga Fratrem cæterosque Principes conſanguineos paulatim inſtillare, ut omnes concordiæ nexu copulati ſuæ tranquillitatis imaginem in Regem traducerent.

XII. Cupiebam equidem & omni opera contendebam, ut eſſet erga ſummum Pontificem Sedemque Romanam, tum Prælatos, tum Ordines religioſos, & integerrimæ vitæ Eccleſiaſticos bene affectus. Commendabam illi eximie inclytos & ſincera fide Aulicos quos ſciebam in Regem quàm in fortunam Cardinalis propenſiores: hortabar ut Conſilii ſui conſeſſum ſupremasque regni Curias tanquam præcipua ſtatus robora magni æſtimaret, eſſe in eo cœtu viros apprime generoſos, Regis nomini vehementer addictos, quorum fama, etſi temporis fuligine nonnihil eſſet aſperſa, eliſaque per vim auctoritas, incorruptus tamen ejus Majeſtati ſpiritus in tanta corruptionis labe ſervaretur.

XIII. Singulis verò momentis acerbus me dolor excruciabat, cogitantem concuſſæ atque deſolatæ Franciæ calamitates, Provinciarum gemitus, oppreſſionesque populorum: agebam miſerorum cauſas, vehemens potius orator quàm felix exorator: inſtabam tamen & querebar hinc inuri poſſe conſcientiæ Principis gravem peccati noxam, hinc ſubditorum amorem funditus extingui, hinc ſtatum omnem convelli atque labefactari. Falli eos omnino ac decipi qui exiſtimarent res ac-

ciſas infelicium ruinis eſſe fulciendas. Timendam eſſe Dei juſtitiam, quæ tepentem tot miſerorum fletu gladium accenderet, timendas ipſas viduarum lacrymas, quæ, ut ajunt divina oracula, de ipſarum genis & oculis ad tribunal Numinis aſcenderent.

XIV. Suadebam ut fiſci rationes ſagaciſſime perviderct, & tandem ſciret qua vis illa ingens pecuniarum, populorum ſudore ac ſanguine extorta potius quàm collecta, deveniret; cum præſertim quereretur militia ſe ſuis militare ſtipendiis, deportationesque exercitus quaſi procella in devaſtatos agros incumberent, ac per tributa toties tentatos penitus exhaurirent.

XV. Quamobrem toto impetu conabar feralis illius belli, è quo omnis calamitas, radicem amputare atque convellere; neque ullo modo ferre poteram eos qui ſubjectis facibus ardentes patriæ rogos alerent potius quàm extinguerent: demonſtrabam vim pacis beneficam atque ſalutarem, quæ noſtris mederetur vulneribus, & quidquid bellorum furor concuſſerat, in locum ſtatumque ſuum reponeret. Et quidem jam non plane infauſto labore ſudaveram: Regem enim tædere belli cœperat, nec proſperi eventus tam alte in pectus deſcendebant; at ſi qui erant infauſti, gravabant animum ſævis anxium curis & dolori ſuo incumbentem.

XVI. Sæpe dictitabam hanc eſſe regiam & magnificentiſſimam omnium pietatem, ſi Eccleſiæ Catholicæ pacem atque otium procuraret, ſi vexillum fidei ſupra infidelium capita erigeret; hoc exigere Sacramentum Regis Chriſtianiſſimi, quo ſe obſtrinxerat, hoc Magiſtrum Ordinis Equeſtris à Sancto Spiritu quem gereret jurejurando profiteri. Sed tamen contra jus faſque Eccleſiam acerbe tractari ab iis, qui nomen ejus, pecuniam & arma ſibi uſurparent.

XVII. Suadebam ut optimos quoſque Prælatos ad Eccleſiam gubernandam deligeret, integerrimos quoſque Præſides juri reddendo præficeret, eoſque omni odio inſectaretur qui authoritatem ejus per ſordes polluerent, & populorum medullis ac viſceribus avaritiam ſaginarent.

XVIII.

XVIII. Urgebam ut negotiorum ſuorum curam ſuſciperet; hoc ſibi à Deo mandatum munus, hoc onus capiti cum diademate impoſitum, quod ſine peccato excutere, ſine ſocordia diſſimulare non poterat: jamque optimus Princeps conſtituerat duas aut tres horas quotidie rebus cognoſcendis impendere, ſi Miniſtro Principali commode uti cum vellet potuiſſet.

XIX. Dicebam in operoſiſſimis negotiis, quæ belli ac pacis, quæ regni ſtatum amplecterentur, primariorum capitum audiendas eſſe ſententias; hoc divinis legibus, hoc humanis eſſe ſancitum: ſiquidem & Moiſes tantis luminibus circumfuſus, Deo ita jubente, ſeniorum conſilia exquirebat. Neque hoc Ludovicus XI. ignoravit, qui præcepit Carolo VIII. filio ſuo inter cætera, ut nullum unquam belli diſcrimen niſi ex Procerum conſenſu ſubiret; ſic enim Francos & pugnare alacrius, & vincere felicius.

XX. Tandem cum certo ſcirem Turcarum arma ſollicitari in Chriſtianos, & imminere Eccleſiæ lugendam ſæculis omnibus vaſtitatem, non potui diſſimulare facinus Chriſtianiſſimo Rege ſancti Ludovici Succeſſore prorſus indignum: *zelus domus Dei comedit me*, egit per abruptum iter divina vis, & omnes metus excuſſit ſanctus Dei timor, ut politici Monachi, à quo ferebantur hæc peſtifera conſilia, telam deordirer; tum Regi, qui à me quærebat num iſtud liceret, conſtantiſſime reſponderem quæ lex Dei rationeſque ſanctiſſimæ præſcriberent.

XXI. Dies erat Decembris octavus, illibatæ conceptioni beatæ Virginis ſacer, quo cum in ſacello domus regiæ ſacrum facerem, aris me ſacerdos idem & victima toto pectore devovi, Deum ferme ſic allocutus:

XXII. Deus æterne, in cujus manu poſita ſunt Regum pectora, & cujus nutu decurrunt imperiorum vices, inſpira bonam Ludovico mentem, quæ Chriſtiani orbis decus, populorumque ſalutem amplectatur. Tu lux abditorum & univerſorum cognitor; nec te latet ſi aſſentatorem potius Cardinalis, quàm Eccleſiæ defenſorem agere vellem, cuncta mihi proclivia, quæ

amatores ſæculi ambire, fortunati obtinere ſolent, ſed ablegavi omnia mundi delinimenta, improperium tuum laudi, crucem prætuli deliciis. Video equidem capiti meo impendentem procellam & totam ærumnarum futurarum ſcenam; perferendum erit quicquid iratus volet, quicquid dominator poteſt, afflicta cauſa, mente ſemper invicta; ſed te duce nihil vereor, te præeunte in ipſam mortis umbram deſcendo, nihil hæſitans comite vita & vitæ fonti ſemper affixus. Quos aperui oculos officio, clauſi terroribus. Perferam monita ad aures Regis, quæ nec probus omittere, nec tacere animoſus poteſt. Teſtor te, ſancta Veritas, quæ tot amatores, tot procos, ſuper rotas & ardentes rogos olim habuiſti, non te erubeſco; accedo inter ipſa ſupplicia novus adorator: mentem hanc tibi & linguam addico, pro te & tecum dicturus quæ ſpiritu meo cuperem animata, meo cruore ſancita.

XXIII. Poſt hæc digreſſus ſum ad Regem, qui ſe ſolemni luce comparabat ad ſynaxim. Erat in ejus fronte aliquid nebuloſum & turbidum animo, quippe diſſidentibus curis ſæpe fluctuanti: ego placide illacrymans ſic eum compello.

XXIV. Hodiernus dies feſtivus eſt magnæ Matris conceptioni! Concipe ô Rex ſpiritum Dei, ſpiritum amoris, concordiæ & pacis. O quando orietur illa pax, amicum laboranti mundo ſydus! En ſubditi tui, etſi omnia quotidie amittunt, nunquam tamen ſenſum Majeſtatis tuæ & infixum viſceribus amorem amittent. Intercluduntur eorum querelæ terroribus: ſed ratio mei apud te muneris exigit ut tibi eorum voces & ſanguinem repræſentem. Certe ô Rex patiuntur illi ſub religioſo Rege, quod infima pene mancipia ſub infidelibus dominis. Imo tot hæretici, tot populi à fide alieni, quietè admodum vivunt, dum orbis Chriſtianus diſcerpitur. Aſpice ô Rex infelices tuos ex hoc faſtigio gloriæ; memento te tua cauſa hominem, ſed eorum cauſa Regem; non tam tu illos tibi vindicas quàm illi te. Tuum eſt quod Moiſes magnus populi rector dicebat, multitudinem illam quaſi materno ſinu continere, & ad Chriſti

Regis

Regis exemplum arguere pro manſuetis terræ Scio equidem & pectoris tui ſinceritatem & manuum tuarum innocentiam, ſed tamen horreo tot Catholicorum vaſtatas provincias, tot disjecta profanis manibus templa, tot ſacras virgines barbaræ libidini objectas, & Eccleſiam Chriſti ſponſam in cruore ac ſordibus conculcatam. Poſt hoc paratur, ut ajunt, cum Turcis armorum immane negotium, & Chriſtianiſſimo Regi vel ſolo nomine execrandum. Nemo enim Theologorum dixit unquam fidelem Principem infidelium armis cum detrimento Eccleſiæ & ſcandalo protegendum. De parente tua nihil amplius dico, ſcis me ab omni factione purum & erga Eminentiſſimum Cardinalem non male affectum: non peto ut eam gubernaculis admoveas, ſed ut deſtitutam ac inter gladios efferatæ multitudinis quotidie pavidam in tranquillo portu conſtituas. Hæc loquor ut conſcientiam tuam & meam liberem; habes immortalem animam, aliquando ad Dei tribunal offerendam, vide quid ad hæc Judici tuo & meo ſis reſponſurus, & contremiſce ad vocem Regis ſapientiſſimi, qui dixit *potentes potenter tormenta paſſuros.*

XXV. Commotus eſt Rex vehementer hac oratione, ut quem ſancti timoris ſtimuli pungerent, nec deſtitit tamen ea quæ ejus nutu gererentur per boni ſpeciem & obductos colores quos à Miniſtris acceperat excuſare: ſed cum premeretur rationibus, indoluit acrius, præmicante caligantibus oculis veritatis luce. Tandem ſe ad ſacra myſteria pacato & obſequenti animo compoſuit. Hæſit illi per biduum ingens cura, quæ ſe non nihil affecta valetudine pingeret in vultu. Poſtridie mihi dixit deprehenſas in ſua fronte ægri ac ſolliciti ſpiritus notas quas vix diſſimulare potuiſſet. Reſpondi nulla eſſe tam ſalutaria medicamenta quàm quæ initio dolorem facerent, ſic obluctante ſenſibus animo parturiri ſpiritum Dei. Tum cupere ſe ait ut quæ illi ante exomologeſim ſuaſiſſem non gravarer coram Cardinali dicere. Mihi quidem ſatis eſſe animi, intuli, qui radio Dei ſcriptam veritatem omnium oculis proponerem, non tamen ignorare multa mihi ſæva im-

pendere, ſi homini imperioſo, & omnia ad ſuos ſenſus exigenti, contrairem. Æquum certe videri ut qui omnia propter ſalutem Regis neglexiſſem, in tanto & tam ancipiti certamine regali protegerer authoritate & manu; quocumque tamen res vergeret, me nunquam Deo, conſcientiæ nunquam defuturum. Atque ubi annuiſſet, præmittit me ad Cardinalem, pauló pòſt ſecuturus. Conveni illum Ricellii, quem licèt ancipiti ſemper & obvoluta mente, deprehendi mihi ſubiratum, nec dubium quin obloquuto jam Rege. Diſſimulavit tamen omnia ſermone cæco & nunquam niſi è latebris feriente; donec ſuperveniente Principe dimiſit me monitum ut ocultiore digreſſu diſcederem. Nolui me venditare à Rege miſſum, qui hoc non haberem in mandatis, & periculum erat ne ſi dixiſſem, delicatam ejus qui miſerat & nimis circumſpectam mentem offenderem, quaſi de compacto & non ex caſu res ageretur. Subſtiti in proximo cubiculo, velut in campo certaminis aleam fixo veſtigio & obfirmato animo opperiens. Sed abrupit Cardinalis congreſſum, nec tot exercitibus accinctus nudam potuit ſuſtinere veritatem; reſpondere ſtatuit non rationibus ſed proſcriptione: poſtea cingentibus emiſſariis in palatio Regem, arcanum difficile erat cum eo colloquium: ſubintravi tamen in penetrale ſecretius, & dixi adfuiſſe me paratum ambiguo certamini, & diutiſſime expectaſſe; ſi forte evocarer, intrepide omnia dicturus; perſtare me in ſententia & nihil afferre aliud quàm quod lex Evangelii & omnis Theologorum Schola pronunciaret. Conſuleret Rex quos vellet, ſed caveret ne aut oppreſſæ metu aut præmiis illectæ mentes veritatem per injuſtitiam detinerent. Nihil imputabam Sorbonæ, quam impenſe colo; nihil Societati, quam ut parentem cariſſimam ſemper honorifice habui; ſed notabam ex alio cœtu venales animas quas ipſe mihi Rex indicarat: nec dubium illi quin projectæ ad favorem viverent per dedecora. Tandem ut generoſum aliquid ſubinferrem; tringinta anni ſunt, inquam, ô Rex, ex quo per faſtidia rerum humanarum nitor ad cæleſtes: nunquam ridentis Aulæ fulgor perſtrinxit oculos,

nun-

nunquam perculit me timor hominis,nunquam deliciæ permulſere; unum te ſpectavi, omnium quos exantlaveram laborum præmium ratus æternitatem tuam; non me tibi Cardinalis addixit, non tu elegiſti, ſed Dei munus eſt præcipuum,quòd tot abjectis ad ſervitutem mentibus habueris hominem qui pro te ſpiraret & pro veritate decertaret. Liberavi hodie conſcientiam meam, &, ſi vis, tuam; nihil eorum celavi quæ intelligens fidus eloqui poſſit. Si tam bene cogitata, tam animoſe dicta, maligna vis eliſerit: carebo quidem Aula non gravatè, ſed à te Principe optimo, ſi tuus eſſes, non divellar niſi ictus deſiderio & cura ſalutis tuæ: hæc cogitatio vivum exercebit, nec mortuum deſeret. Stimulari cœperat his verbis, ſed præſtò aderant, qui ſemina bonæ mentis naſcentia opprimerent, nec paterentur regias aures tam profuturis ſermonibus imbui.

XXVI. Diſcedo è Sangermani caſtro Lutetiam, quid actum poſtea fuerit neſcio, niſi quod toto authoritatis pondere Cardinalis incubuerit, ut à Rege divellerer, & ille qua vi, qua blanditiis evictus permiſerit, me monuiſſe contentus ne quid acerbum & violentum in me moliretur. Eadem nocte præcoci feſtinatione mittitur Noyerius, amicum mihi nomen, ſed Cardinali devotum caput, qui de exilio meo mandatum deferat ad Superiores. Reverendus admodum Pater Provincialis mane accito, nullius rei convicto, nec per eum quidem inſimulato, ſententiam de ſcripto recitat, qua jubeor ire Rhedonas, profectionem meam celare omnes, cum nullo domi foriſque colloqui, nulli litteras dare, libros & ſcripta tradere, nullum monaſterium, nec Pariſiis nec Rhedonis inviſere; non colloquiis, non epiſtolis affari: non quod iſtis aſſueviſſem, longe aliis ſemper diſtrictus curis, ſed pupugerat Cardinalem Fayeta Religioſa virgo ab Aula recens digreſſa, ſuperis & Regi dilecta, quæ ſervituti nunquam ſuccubuerat, ſupra ſexum fortis, ſupra ætatem prudens. Audivi recitantem Patrem pectore inconcuſſo, vultu etiam tranquillo, divinum ergà me beneficium veneratus quod dignus haberer pro veri-

ritate & juſtitia *contumeliam pati*; nec dubitans quin *momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloria pondus operaretur in nobis.* Inde digreſſus ad aram, ſacrum facio, & totum me applico Numini, totum trado providentiæ. Mox per domum diffuſa de diſceſſu meo ſuſpicio: inde metus & horror, & miſeratio fratrum pro dilecto capite timentium, quæ conjicere potius erat quàm ſcrutari: nec mihi mœſtos affari licebat, nec illis ſciſcitari; mutus conſpectus & oculi novo ſpectaculo vulnerati augebant dolorem, ſubtrahebant ſolatia. Interim ſcripta, quæ religioſa eſt ſuppellex, avide conquiruntur, premuntur arcte, quanquam omnia innocenti calamo exarata. Non licet exiguam chartam in levamen itineris aſportare, experiri erat neſcio quid ſimile Aularum lubrico homini ab Aulæ luxuria ſemper alieno, direptionem cubiculi pauperis, amicos infirmos, fortes adverſarios, tetricos quoſdam vultus, & ipſo ſilentio minaces, deſertionem & repentinam circa me ſolitudinem.

Vix licebat raptim petere quæ vitæ & viæ erant neceſſaria; ipſa celeritas mea tarda cupientibus videbatur. Præſto eſt homo ignotus Cardinalis miniſter, qui me rhedam deportaret impoſitum & à conſpectu meorum divulſum in locum exilii. Tradiderunt me huic Iſmaelitæ fratres mei, neceſſitate compulſi, ut eſſem, aliter ruituræ, domus piamentum. Devehor longum iter, humano ſatis uſus cuſtode, niſi quod perſpicaciter videbatur inſidiari libertati, rerum omnium pretioſiſſimæ. Diu tandem jactatum & attritum incommodis recepere Patres Rhedonenſes ſumma humanitate, quanquam repentini caſus terrore confuſi. Graves ſubinde & truces à Pariſienſi domo litteræ afferebantur, perdidiſſe me omnia, paucos intra dies perdendum niſi caverem, multa quotidie deprehendi in negotio meo periculoſa, multa mihi acerba, niſi proſpicerem, ſubeunda, quæ vix animo fingere poſſem. Diſcerpebar abiens, & feriebant tela omnia non repugnantem. Atque ut ſtrenua eſt in ſiniſtram partem ſuſpicio, nova indies jactabantur, ut aliquis in exilio meo quæreretur color. Non tam facile

pro-

proſſernitur fama, quæ coaluit firma radice veritatis. Timendum fuit illi qui ſe timeri volebat ab omnibus, ne malis artibus putaretur virum bonum & ſincera erga Regem fide ab eo divulſiſſe. Occurrendum erat huic æſtimationi: itur ad patrem mendacii, ad mundi tintinnabulum, quæritur infæcatus omnium figmentorum colluvie calamus, qui gazettam illam, quam vocant, in me, jubente & dictante Cardinale, diſtringeret. Hæc igitur me proclamat ablegatum ab Aula ob licentiam moresque incompoſitos & perverſam agendi rationem, mirarique omnes & ipſam quidem Societatem, non quod ejectus eſſem, ſed quod tandiu in eo gradu ſtetiſſem. Angi Patres magno ob culpam meam dolore, pro ſua in ſtatum & Regem fide.

XXVII. Non inſultandum quidem, ſed ignoſcendum potius imbecillitati humanæ, quod tantus vir ad tam humilem tamque ſordidam deſcenderit vindicandi libidinem. Longe melius res illi ceſſerat, ſi tacuiſſet; forte error quiſpiam humanus occurriſſet opinantibus, qui dimiſſioni meæ cauſam dediſſet: at ubi tanto apparatu & tam triviali telo eſt invectus, exclamarunt omnes boni & prudentes, habet Cardinalis, ictus eſt, in virum incidit qui ſe conatibus ejus interponeret, qui Regem admoneret officii, qui pati ſervitutem, qui adulationem profiteri non poſſet. Ubi illa licentia, niſi ſibi licere putavit quod prodeſſet omnibus? ubi illi incompoſiti mores, niſi quod ad Cardinalis mentem componi non potuerunt? Ubi perverſa agendi ratio, niſi quæ à malis conſiliis averſa? Triduum eſt ex quo Confeſſarius Regis tota Gallia laudabatur, vir integer, modeſtis moribus & ad diſciplinæ religioſæ normam accuratis. Nemo Regi acceptior, nemo tota Aula gratior; quot ora, tot illi vitæ teſtimonia. Certe nullus, ut ajunt, repente malus: unde tam ſubito mutati mores? an aliquid projecte cum audacibus, ambitioſe cum cupidis, cum profuſis intemperanter, indecore cum laſcivis ab eo geſtum eſt? nullum flagitium, nullum deſignatur crimen; vago incurſatur impetu, verbis maligne ambiguis, *ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.*

rum. Vix erat quod fingebatur lixis & vili de plebe homunculis credibile; ad alias artes flexuoſum convertitur ingenium, quibus meam impeteret innocentiam.

XXVIII. Armatur, (quis crederet?) in filium patris manus, acuitur in Religioſum innocentem Superioris ſtylus, & luditur authoritate Societatis in unius miſeri caput. Heu me! quid dicam? durum quod ille indixit, & nimis fortaſſe molle quod hic fecit. Jubebatur ſcribere, vetabatur cognoſcere, contra mentem ſenſit, contra fidem ſcripſit. Dedit circulares litteras, quæ me graviſſimi criminis reum totiuſque ſtatus perturbatorem divulgarent. Jactabatur per ſtupentes manus atrox epiſtola, orbem decurrebat ſuum, & novis quotidie vulneribus jugulabat inſontem. Arcano ferebatur, ut nitente in vetitum curioſitate omnibus eſſet promiſcua, mihi uni incognita, qui per umbram petebar, ne reſpondendo illuminarem innocentiam. O pervicax regnum neceſſitatis, ſi hoc juſſit, ô iniquum ſi probavit. Avebam tamen ſcire quibus peterer, quibus perirem, nec fas erat ulli prodere. Cæco tantum involvebar exitio, pronunciatur reis omnibus ſententia, pleriſque titulus affigitur, ſolus ego prohibebar ſcire, quod ſolus refellere poteram.

XXIX. Scribo interim ad Noyerium, qui Regi erat à ſecretis & principalis Cardinalis adminiſter, quod cupiebam ejus Eminentiæ eſſe non ignotum. Affirmo ſancta fide per quicquid eſt hominibus religioſum, me ab omni factione purum tanquam virum Dei in Aula vixiſſe. Nullo ſuggerente, provocante nullo, poſt fuſas ſæpe ad Deum cum lacrymis preces, ea me conſiderate Regi locutum de pace ſolatiiſque miſerorum, quæ ſine letifera peccati labe & animæ interitu diſſimulare non poteram, hoc eſſe crimen meum, cui expiando relegarer ad ultimas Galliæ oras, deportatione nova & hactenus in Regis Confeſſariis inaudita; nec iſtud adeo honorificum Cardinali qui juſſiſſet, nec illi qui perfervide feciſſet, quod tempore maturari, mitigari lenitate poterat.

Nullo

Nullo me facinore obſtringi, quo reus conſtituerer apud Regem: ſtare me admodum reverendi Patris Generalis judicio, quem appellarem; parum honeſte facturos qui me per cicatrices peterent, nec darent quieti locum; hoc unum petere me quod largiri eſſet prolixum, negare non humanum.

XXX. Efferavit blanditiis aſſuetas aures tam æqua & tam conſtans epiſtola, & vehementer Cardinalem perculit, qui flebile quidpiam & demiſſum expectabat ab exule: Illico in ejus palatium vocantur Patres, audiunt recitari litteras, damnant ſingulos apices, quibus poſſunt artibus leniunt iratum, applaudunt excandeſcenti: ſæva inde in caput meum vibrantur fulmina. Fit noſtrorum conſeſſus, non ut judicent, ſed ut ſerviant dominatori terræ. Quo quiſque timidior, eo in meam damnationem proclivior; fit injuſtus qui non vult haberi prævaricator. Hircus eram emiſſarius in quem omnes exonerarentur diræ. Nihil tamen imputandum velim fratribus meis, quos ſemper enixè colui; ſi ſe capitis unius ruina ſervari poſſe crediderunt, eſt illis condonandum quod perdiderint, mihi gratulandum qui tam glorioſe perditus fuerim.

XXXI. Secundus erat menſis quo diſceſſeram ab Aula, & nimis delicata videbatur Rhedonenſis commoratio tantis nominibus exuli; relegor in infimam Britanniam, Coriſopitum ad extrema cingentis Oceani, haud multis paſſibus ab eo loco diſtans, quem fines terræ appellant. Premitur mari, ſaxis & montibus, populiſque barbarum quid, niſi excolantur, ſtridentibus potius quàm loquentibus. Oppreſſerunt me litteræ graves decumbentem ægro corpore, vix ſpiritum inter tot acerba jactatum ſuſtinente: laborabam præterea ulcere, quod non permittebat equum pati. Scripſi ad Patrem Sirmundum ſucceſſorem meum, me ad iter parari æquo & exercito animo, tantum poſtularet à Miniſtris moram dum vis morbi ſe frangeret & leniretur dolor. Certe miſeratus fuiſſet Rex unum de canibus ſic affectum, cum tamen omnis illi miſeratio erga Confeſſarium ſenem & infirmum prohiberetur.

XXXII. Inſtant Superiores juſſionem Regis urgere, maturandum mihi profectionem longe aliter ſubituro. Accingor itineri afflicto corpore, hyeme ſæva, rhedario publico affixus, cum quo ambulandum nigris diebus, intempeſtivis noctibus, per horrentes ſylvas, aſperos montes, ſtagnantes ſolutis nivibus valles, & quicquid horroris habet loci illius natura; Superos teſtor quod ſi Cardinalis me victimam eſſe voluiſſent, jam pene litatum erat ad extrema venienti. Excepere me Patres Coriſopitenſes eximia charitate novum & inuſitatum his regionibus hoſpitem, quamquam rectore uſus ſum parum æquo, qui per inamænitatem ingenii me negligeret, mea curioſiſſime obſervaret, ne ſcilicet Lotharingus in ſuſpicionem veniret prævaricationis. Hic me crudis adhuc vulneribus excepit ingens epiſtola ſcripta à Reverendo Patre Provinciali de Patrum conſenſu, quæ & errata contineret mea, & pœnas, ut ajebat, debitas imponeret. Placuit illis multa extendere numeris, cum non poſſent rationibus. Dicam ſincere præcipua damnationis capita, & ſingulis reſpondebo tanta vi ac luce veritatis, ut audeam polliceri me Paternitati veſtræ abunde ſatisfacturum.

XXXIII. Primo non ambigere ſe dixerunt quin omnia fide optima virtutiſque zelo ductus ac conſcientiæ feciſſem: ſed tamen multa ineſſe præpoſtera, multa pœnitenda. Difficile hoc in limine videbatur intellectu, quo pacto omnia ex vera charitate facienti tam prava excidiſſent multa, cùm teſte Apoſtolo *charitas non agat perperam:* ſed hoc mitto, diſputationis incurioſus, amator veri.

XXXIV. Quatuor ferme ſunt gravia, ut putant, quæ mihi objecere, nulla reſponſione eluenda. Primum eſt, quod non conſuluerim Superiores de iis quæ tractaturus eram cum Rege; alterum, quod anteceſſorum meorum non ſteterim decretis & exemplis in quæſtionibus de armorum fœdere cum infidelibus: tertium, quod dixerim non debere eſſe penes unum totius imperii regimen, tum etiam viſus ſim aliquo modo affectaſſe mutationem Miniſtrorum, quæ res totius Galliæ ſtatum e-

vertiſſet; quartum, quod de pace & fœderibus locutus judicer à doctiſſimis Patribus Societatis incurriſſe cenſuras quas tulit quarta Congregatio contra eos qui rebus ſtatus ſe immiſcent. Complector paucis omnia, ne videar volumen potius quàm epiſtolam ſcribere.

XXXV. Quod igitur de conſiliis capiendis dictitant, ſciebam ego ex divo Thoma arcana confeſſionis eſſe naturali, divino atque humano jure ſancita. Non ignorabam Theologorum decreta, qui dicunt ſi Confeſſarius loquatur de auditis in confeſſione, cum periculo ut audientes veniant in ſuſpicionem perſonæ, videtur infringere ſigillum: compertum præterea habebam Principem eſſe in iſtis delicati & plerumque moroſuli ingenii, qui de rebus ſuis nollet quidpiam alienis auribus credi. Fateor igitur me & conſcientia religioſum & prudentia tenacem in ſacramento Regis, quod Archangelus monet apud Tobiam, abſcondendo. Cumque illi ſoli operam navarem in confeſſionibus audiendis, periculum erat ne ſi quid improvide evulgarem, ſuſpicionibus ferirem aliquos curioſitate prurientes animos, & in adyta lubenter, ſi poſſent, penetraturos. Quod crimen admiſi, mi Pater, ſi Deo præcipienti in ſacris Litteris parui? Si Sanctis credidi? ſi Doctoribus acquievi? An vero lex eſt ulla, an conſtitutio in Societate, quæ jubeat Confeſſarios de rebus pænitentium referre ad Superiores? noſtra quidem Præpoſito lubenter aperimus, de alienis longum nobis & ſobrium ſilentium. Quæ ſi aliter gererentur, nemo noſtrum in exomologeſi non averſaretur miniſterium. Quod ſi cuique privato tam ſancta ſervatur fides, quis putet Regum conſcientiam multorum conſiliis eventillandam eſſe atque jactandam, ut tot habeant Confeſſarios quot ſingulæ domus conſultores? Ad quem tandem referre me oportebat? quem in tot rerum ambagibus conſulere? an Patrem Binettum? at vero aberat, nec ſine periculo res magni momenti litteris credebatur: an Patrem Sequiranum? quem ſciebam adminiſtrum Cardinalis, qui eliſis in ipſo ſemine generoſis conatibus nautum me & inglorium

per

per factionem ſuam exturbaſſet. Libere tamen fatebor, mi Pater, non præcipiti, ſed tardo potius atque viſcoſo ſum ingenio, aveo in rebus dubiis quantum licet audire ſuperiorum & majorum conſilia, nec tam temerarius fuiſſem, ut ſi quid de meo fuiſſet proponendum Regi novum & ambiguum, quin rem totam, quantum per conſcientiam & fidem fas tunc fuiſſet, ſeriis Patrum conſultationibus ſubjeciſſem: ſed cum ea tantum mihi dicenda ſumpſiſſem quæ eſſent in clariſſima Evangelii luce, ut Eccleſiam protegeret, ut ſummum Pontificem coleret, ut Reginam Matrem communibus ſaltem charitatis officiis in hoc ſeceſſu proſequeretur, ut Reginam Uxorem affectu conjugali devinciret ſibi, ut Fratrem cæteroſque Principes conſanguineos amaret, eo quo lex Dei præſcribit amore, ut Orbis Chriſtiani tranquillitati ſtuderet, & armatus etiam de pace cogitaret, ut gementes ſub faſce populos ſublevaret, ut in fœderibus infidelium ſtaret conſultis Theologorum, & nihil cum detrimento Eccleſiæ faceret. Obſecro, num mihi quotidie cogendi Theologorum & Patrum conſeſſus, ut ſciſcitarer an præceptis tam vulgatis, tam ſalutaribus animum Regis informarem? quid ſi à me quæſiviſſet, an corpus Chriſti reipſa foret in ſacramento, reſpondiſſem creditum id multis ſeculis, & Eccleſiam ita ſentire, ſed tamen conſulturum me reverendos Patres & ex eorum reſponſis quæſtioni ſatisfacturum. O iniquam conditionem! ô duram omnino neceſſitatem! his artibus perſuadere ſe non inviti nonnulli concionatores tulere, ne parentum honore verba facerent aut blandum uſquam appellarent pacis nomen. Ubi mens? ubi virtus? ubi tu ſancta libertas? ſilere æternum oportebat quibus hæc loqui pudor fuit.

XXXVI. Sed audire mihi videor prudentes ſæculi, ad cavendum cautos, meticuloſos ad audendum, qui dicunt voluiſſe me recta, non recte appetiviſſe bona, ſed deſiderio præcipiti; ſerviendum tempori fuiſſe, quæ omnium honeſtiſſima eſt ſervitus, nec ulceri deſperato manus irritas adhibendas. Peto ab his qui hæc

dicti-

dictitant, ut conſiderent Confeſſarium Regis longe aliam in Aula quàm cæteros homines ſuſtinere perſonam. Tacere aliis ſæpe virtus eſt, huic ſacrilegium. Videbam equidem multos,quibus ex officio incumbebat loqui, opprimi ſilentio omni dedecore maculoſo, complures generoſiſſima mente prædiţos terroribus & exiliis à Regis auribus averti: ſpectabam meniet interdum quaſi cæleſti machina devectum, ut cauſam ſuſciperem veritatis. Non ignorabam ſummos cenſere Theologos, non audiendos tantum, ſed interrogandos in exomolegeſi qui nimis craſſa laborarent ignorantia. At è contrario cernebam Regem in ſuis rebus ſatis oculatum, ſæpe dubitantem & extra ſacramentum interrogantem. Nam iſtud erat agere proditorem Chriſtiani nominis & generis, ſi de concuſſi orbis clamoribus reticuiſſem. At vero fuit expectandum tempus rei gerendæ commodum: expectavi novem menſibus miti & laborioſa patientia. Præparavi mentem Principis officioſa ſedulitate ad ſatus divinos. Ubi deprehendi jam ſatis animo compoſitum, dixi quæ nec prudens diſſimulare, nec probus tacere poterat. Quale mihi tempus amabo fuit expectandum? an illud quo indicta veritatis cauſa vilis cunctator exturbarer? At vero abſtinendum fuit verbis eo tempore non profuturis: timendum ne qui hæc dicunt demiſſè potius patrocinentur errori quàm ſerviant prudentiæ: etenim ſi putant imprudentis eſſe hominis de iis verba facere, quæ ſe aſſequi poſſe diffidit, videant ne Præcurſorem Domini, ne Dominum ipſum arguant imprudentiæ. Non ſibi pollicebatur Joannes Herodem caſtum, non deſtitit tamen monere inceſtuoſum. Certiſſime ſciebat Chriſtus Scribas & Phariſæos ab arrogantia, faſtu & avaritia non receſſuros, nec ideo ceſſavit crebris adhortationibus increpare. *Quis novit ſpiritum Domini?* quis obfuturam putat veritatem, niſi qui prodit? Multum profeci cum quid facere oportuit oſtendi, cum tot oppreſſis ſervitute mentibus profeſſus ſum libertatem, cum mori non timui, cum me pro ſalute patriæ devovi; multum profeci, cum bo-

[illegible] nis.

nis exemplum, terrorem malis reliqui, cum iniquam cauſam exilio meo damnare, quàm favere præſentia malui. Denique non parum promovi, cum intrepido pectore Cardinali ſcripſi nolle me cum eo de æterna ſalute periclitari; cum ſemina bonæ mentis abiens ſparſi, quæ in Regis arcanis cogitationibus adoleſcerent. Quis tandem omnia Dei conſilia perſcrutatus eſt, ut inutile putet quidquid impenditur virtuti? Sæpe cadendo ſurgimus, vivimus moriendo. Numquam glorioſior fuit Samſon quàm cum ruinis quaſi ſuo incluſus eſt triumpho. Numquam igitur tacui, numquam diſſimulavi, quod officii mei ratio præſcribebat, fides ſincera, doctrina incorrupta.

XXXVII. Dixi quòd ſecundo urgent capite de fœderibus infidelium: habent in eo confidentem reum. Fateor enim, mi Pater, cum certiſſime ſcirem hoc agi, hoc tentari, ſi fieri poſſet, ut fœderata cum Liliis Turcarum arma eluvie fœda, tremenda omnibus vaſtitate in Chriſtiana regna erumperent. Commotus ſum totis viſceribus, ferre non potui facinus tam immane. Sciebam equidem ab his conſiliis puriſſimam Principis mentem abhorrere; ſed Pſeudo-monacus à ſui Ordinis ſanctitate alieniſſimus, & cruentarum artium architectus, ferro & ſanguine diſpluebat in Europam. Hoc authore & præcipuo, ut ajunt, adminiſtro parabatur illa Saracenorum irruptio, & dolendum illi maxime erat quod fœderatos ſuos avocarent aliò Perſarum exercitus.

XXXVIII. Jam fucum fecerant Regi, qui ex novæ Theologiæ decretis perſuaſerant licite fieri mala omnia, quæ bona mente fierent. Cum à me ſciſcitaretur, num res ita ſe haberet, quid potui facere aliud quàm dogma peſtiferum à mente Principis arcere, ne fontem luminis ſuo contagio pollueret? quid potui aliud loqui, quàm quod clamat Apoſtolus, *non eſſe facienda mala ut veniant bona*? Nec quærendam adulterio ſanitatem, nec furto beneficentiam, nec ſcelere pacem, *nec colligi de ſpinis uvas, nec de tribulis ficus*, nec de peccato naſci virtutes. Neque verò temere quid-

piam

piam de fœdere cum Saracenis intuli, ſecutus divinæ legis oracula & Eccleſiæ decreta, *omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum*, ait Apoſtolus, *hic eſt Antichriſtus.* Hoc eſt quod facit Turca, non occaſione ſed profeſſione; non impetu, ſed animi deſtinatione, per tot ſecula Chriſtiano ſanguine cruentatus. Deinde formoſum erat ſpectaculum, Chriſtianiſſimum Regem cum Antichriſto conjungi, contra ſacramentum inaugurationis & unctionis ſanctitatem, non commercio aliquo jure gentium communi ad aperienda maria merceſque connectendas, ſed voluntatum, armorum bonorum malorumque ſocietate, ipſum videlicet evocando & ſtrenue adjuvando ad vaſtitatem Chriſtianorum & Eccleſiarum incendia. Quis hæc ſine horrore cogitare? quis probare ſine ſcelere poſſit? Nihil hic minutum dicam, nihil fucatum accerſam. Totius Eccleſiæ lumina decretales epiſtolas Joannis Papæ VIII. publicis conſignarunt monumentis fuiſſe penes Athanaſium quemdam ſummam Regni Neapolitani, quod cum tueri propriis non poſſet viribus, conſtituit cum Turcis amicitiam, ut eorum armis & opibus tegeretur. Diſſeminatus tam præpoſteri facti rumor perculit Chriſtianas aures, & Pontificem graviter commovit, qui cum Regem non potuiſſet qua litteris, qua verbis, à tam periculoſa ſocietate divellere, cogit Romæ Concilium, ubi quæſtione illa de fœderibus armorum cum Saracenis acute & copioſe diſputata, illi ſunt anathemate percuſſi qui eam propugnarent, & infelix Athanaſius ab eccleſia ejectus & diris devotus eſt. Quid habet quod tanto rationum ponderi opponat iniquitas? non evocabat Turcas ut infeſtaret vicinos, ut demoliretur urbes, ut Chriſtiana regna diriperet, vitam tantum tueri, ſervare fortunas, regnum retinere cupiebat. Res tamen illa tam mali exempli judicata eſt, ut à Patribus fuerit illi ſacris interdictum. Et quidem Navarrus noxa putat implicari mortifera, non tantum qui Turcas ad Chriſtiani ſoli vaſtitatem evocant, ſed qui ſuis armis acciſam gentem in eum ſtatum redigeret, ut infidelium prædæ pateat & injuriis. Si Romana non ſufficiunt exempla, non egemus vernaculis, quibus nec debile robur eſt, nec vilis authoritas. Premebatur

batur injuſtis donis, armis atque direptionibus Carolus Simplex; quibus ut occurreret, conſtituit Normanorum, qui nondum ſacris eſſent imbuti Chriſtianis, auxiliares ſibi copias adjungere; tum Julioremenſis Archiepiſcopus, doctrina & ſanctitate celeberrimus, ut quo totius Galliæ clerus quaſi oraculo uteretur, Regis ſe conatibus vigore ſacerdotali interpoſuit, minatus niſi deſiſteret, ſubditos obſequii ſacramento & fide ſolvendos ipſumque telo feriendum excommunicationis: paruit Carolus: & dimicante cælo mortuus eſt eodem anno quem reformidabat infeſtus hoſtis.

XXXIX. Nunc Paternitati veſtræ judicandum relinquo, num grave peccatum admiſerim, qui tantam ſecutus authoritatem, Regem ab eodem facinore revocarim, ſanioribus conſiliis informatum? At vero non ſum ſequutus veſtigia Theologorum quos Rex conſtituerat, neque exempla anteceſſorum meorum. Qui poteram ergo ſequi non præcedentes, aut quo pacto probare quæ ne per ſomnium quidem cogitaveram? Nondum de Turca habita fuerat quæſtio, horrori etiam erat mentibus ad audendum projectis. Ferrerius ille Cardinalis anteſignanus in catholico ſtatu, qui multas cum hæreticis initas armorum Conſociationes vaſte potius quàm acute defendit, à Turcarum ſocietate mirum in modum abhorret, nec Galliæ maculam hanc inuri patitur. Sed ut paucis rem abſolvam, nihil in hac quæſtione de fœderibus cum Suiſſis & Hollandis aliud dixi, quàm quod Sorbona, quod Patres noſtri, quod univerſa Theologorum agnoſcit Schola; licere quidem ut illis in bello juſto ut equis & elephantis, ſervata conditione gemina, quam omnes, puta Suares, Vaſques, Banes, Molina, Becanus, Layman & Bonacina conſtanter exquirunt, ut res ſine ſcandalo fiat & Eccleſiæ detrimento. His fundamentis nitebatur optimi conſcientia Principis, qui tam impenſe commendabat ne diriperentur Eccleſiæ, ne deſtruerentur aræ, ne quidpiam catholica damni pateretur reſpublica: nunc autem cum tot conſtet experimentis duas illas, quas expetunt Theologi, conditiones, quas & ſolicite Rex requiſivit, non tantum

fuiſſe

tuiſſe neglectas, ſed barbaris facinoribus concuſſas atque violatas; cum ſit compertum omnibus ſolutos diſciplina milites, permiſſione flagitiorum invitatos ad Chriſtiani Orbis direptionem, viginte ferme templorum millia ſolo æquata, dejectis aris corpus & ſanguinem Chriſti conculcatum, vagos ſacrarum virginum greges effrenatæ libidini petulanter objectos, & ea perpetrata eſſe ſcelera, quæ nec lacrymis æquari poſſent nec percenſeri voluminibus.

XL. Quæro ubi nunc moderator ille regiæ conſcientiæ, qui cum tot immanes tragedias mente conceperit, audeat pænitenti dicere, hæc ab eo tuta fieri poſſe conſcientia, uti jure ſuo, ſic iri ad bellicas laureas & majorum decora? Num hoc eſt Chriſti prodere ſanguinem? conſternati orbis illudere lacrymis & implacabiles in ſe concitare cæleſtium iras?

XLI. Sed quia placuit anteceſſorum meorum renovare memoriam, dicam quod unius quidem pios manes, alterius commendet æſtimationem. RP. Mallianus cum tot horrendas ex moderatis nata ſciret eſſe conſiliis, tanto animi cruciatu afficiebatur, ut ſibi vitam acerbam eſſe duceret; jamque incœperat interpellare Regem & liberare conſcientiam; cum eum pene dejectum Cardinalis artibus & nutantem mors antevertit. Non caluere ſocios ſuſpiria, nec graves gemitus, quos moriens effudit, ictus terrore ſupremi fori in tanta vitæ innocentia.

R. P. Gordonus, qui vigorem mentis profunda ſenectute obtuderat, ſenſit tamen acres conſcientiæ morſus, monitus arcanæ manus religioſo ſcripto, ut Regem de ſtatu conſtanter admoneret; quod niſi faceret, impendere cæleſtem iram in caput. Itaque cum paucis poſt menſibus paralyſi ſubita correptus eſſet, ſchedam mihi tradidit, rogavitque ut ejus vice fungerer, quod intrepidus admiſi, nec me exilii aut mortis terror ab eo inſtituto revocavit.

XLII. Nunc ad id venio quod graviſſimum eſt, & ipſum fontem aperio è quo dolores mei redundarunt omnes. Dixi penes unum rerum omnium ſummam

eſſe

eſſe non debere, inde videor affectaſſe Miniſtrorum mutationem, quæ res Galliæ ſtatum pervertiſſet. Heu duram nimis Confeſſariorum Principis conditionem, ſi omnes opinioſiſſimi hominis conjecturæ carcere ſunt & exiliis eluendæ. Teſtor te, ſancta Veritas, ea me ſemper in Aula mente vixiſſe, ut quod mihi ex officio incumberent, animoſe & conſtanter agerem, ceteris implicari curis nullo modo paterer.

XLIII. Si me Deus in Aulam ad res ſtatus movendas venire voluiſſet, feciſſem equidem, aut in ipſo conatu me vis aut vita defeciſſet; ſed longe mihi ſemper alia mens fuit. Sic enim judicavi propiorem illum eſſe Deo, qui minus curaret quibus in manibus volveretur mundus; verſatilem honorum aleam & reciprocantes fortunæ cados immotus vidi, ratus ſatis magnum eſſe in eorum contemptu ſpectaculum. Miniſtros non attigi; at ſi quid fuit quod conſcientiam Regis ſpectaret, non tacui, nec eorum terroribus ceſſi, nec blanditiis. Angebar cum Principe de hoc luctuoſiſſimo bello, pacem ad quam propendere cœperat urgebam: loquebar ore Theologorum, dicebam equidem bellum poſſe geri authoritate Principis, mente bona, cauſa juſta, ſed de ipſius juſtitia præcipere Doctores longam & accuratam haberi quæſtionem, nec id ex hominis unius arbitrio pendere: non dubitare me quin Cardinalis mens acerrimo vigore præſtaret, ſed ejus prudentiam opinor lubenter primaria regni Capita in rebus ambiguis auditurам. Quid hoc æquius? quid moderatius? num hoc lex divina præſcribit? *Diſſipantur*, inquit, *cogitationes, ubi non eſt conſilium, ubi vero plures conſiliarii, confirmantur.* Num id ipſum cavent regnorum ſtatuta? num conſuetudines ſanciunt? quid aliud ad firmandam in re tam ſeria Regis conſcientiam ſuadere poterat ipſius moderator & cuſtos? Inde tamen orta ſuſpicio, moliri me res novas, & movere eum cardinem, quo totus hic orbis vertitur; quid ajunt accuſatores mei? hoc egiſſe me non audent dicere; affectaſſe? ne iſtud quidem; videri? hoc eſt quod arguunt. O me infelicem, ſi per tot acerba Miniſtri ſuſpicatiſſimi cogitationibus immolerl omnia illi in hoc faſtigio ſuſpecta ſunt. Habet, ut ajunt,

&

& pilus umbram ſuam; nihil eſt tam minutum in rebus humanis quod tantum non feriat apicem. Fingit intra & extra mundum novos quotidie inſidiatores, nova decernit exilia, novas inducit pœnas, ut omnia ſint ei tuta, nihil vult à ſe tutum. Qui potui ego non eſſe ſuſpectus homini, qui nimis eram amicus veritati? Ego ſcilicet deſtruere volui Cardinalem. Nimis demiſſe de ſua ſentit amplitudine, ſi credit: ſi non credit, contra innocentiam meam decernit nimis inique. Ubi cum Aulicis agitata conſilia? ubi copulatæ cum ſuſpectis partibus amicitiæ? ubi litteræ? ubi index? ubi teſtis? occupata ſcrinia, interceptæ epiſtolæ, ſinguli apices curioſiſſimis inſpecti oculis, nihil innocentius: pervеſtigati cum quibus agerem, cum quibus ſermonem miſcerem, nihil modeſtius: numerata omnia veſtigia, omnes notati congreſſus, nihil ordinatius: nulla niſi de cælo vox, nullum niſi à Deo conſilium. Sed quo authoramento rem tantam, tam impeditum aggreſſus ſum negotium? promittebatur mihi Cardinalis purpura, (nam & iſtud objiciunt) à quo? num à ſummo Pontifice? cui ſum ignotus & quem ſola ſanctitatis veneratione novi. Num à Rege, à quo dari maxime oportuit? ſed quis putet illum ipſius conjurationis conſcium, autorem, munerarium? An à Reginis? quibus nec libertas promittendi fuit, nec dandi facultas. Enimvero reſtabat hoc unum in tot funeſtis rebus ridiculum, ambire me purpuram, hominem mente, animo, vita, profeſſione, ab omni ſemper honorum ſplendore alienum. Quis credat me tam ſtupide ambitioſum, tam præpoſtere candidatum, ut illius ictus deſiderio purpuræ continuo non reſpexiſſem Eminentiſſimum Cardinalem, patrem luminum, honorum omnium diſtributorem, totius gloriæ arbitrum, ſine cujus nutu nullum cuiquam obtingere poterat in Gallia beneficium? cum ad eum vota omnium ſuſpirarent, eum illi ferme thura arderent, & cæleſtes cantarentur hymni, ſolus ego per calcatum & contemptum cæca mente perverſis itineribus ad dignitatem ampliſſimam contendebam. Teſtem Deum invoco, cui cor omne patet & omnis lingua loquitur,

quitur, cum unus è regni Proceribus ejus Eminentiæ addictiſſimus me impenſe hortaretur ut eſſem Cardinali per omnia obſequentiſſimus, nec vererer ei Regis arcanos aperire ſenſus, tum ſi quæ oborta eſſet inter utrumque diſſenſio, ſtarem à partibus Cardinalis relicto Principe, qui mihi ſine illo nec obeſſe poterat nec prodeſſe; ita futurum me quidquid vellem, nec eminentiſſimorum mihi defuturum apicem. Inhorrui ad hanc orationem, & dixi me non capi honoribus, quibus renuntiaſſem, ſubiturum me potius extrema quàm ambirem: ſed ſi occulta vis conſiliorum Dei contra me aliud moliretur, iturum me in ordinem ſupremæ voluntatis per decora potius quàm per crimina. Non eſt inter homines natus qui frigidæ illius ambitionis in me ullum unquam deprehenderit veſtigium; vixi in Societate purus, in Aula etiam religioſus, & tota illa faſcinatio nugacitatis procul ab animo, procul à ſenſibus ſemper abfuit. Quod ſi qui cum me à Miniſtris Cardinalis in exilium deportari viderent, dolendas rerum humanarum dixerint vices, quod Patri Ioſepho purpureus deſtinaretur galerus, qui eſſet Orbis Chriſtiani cruore tinctus, mihi vero qui pro pace Eccleſiæ caput devoviſſem catenas necti & duram omnino parari ſortem, non eram in ore omnium ut querelas compeſcerem & eos ex decretis providentiæ conſolarer.

XLIV. Reſtat, quod ajunt doctiſſimi Patres, incidiſſe me in cenſuras quas quinta & ſeptima Congregatio tulit, quod diſſuaſerim Regi ne per impium atque funeſtum fœdus Saracenos ad Chriſtianorum vaſtitatem evocaret. Hic enim expreſſis verbis notantur fœdera & bella de quibus cum Rege ſum locutus. Heu projectas in ſervitutem mentes! heu propudioſos ſenſus! Quod vix crediderani poſſe mihi evenire, jam cum pudore quodam & dolore cogor tueri veritatem. Dum fratribus parco, dum imbecillitatis humanæ miſereor, utinam jus Eccleſiæ & Societatis aut legerent attentius aut ſanctius interpretarentur! eſſent in opinando cautiores, aut minus in damnando præcipites: declarat enim ſatis Canon XLI. Congregationis ſeptimæ nullo modo

veta-

vetari quæ ad conſcientiam directionemque Principum ſpectant, ſed quæ natura ſua ſunt omnino politica, qualia eſſent jura regnorum, fœdera & bella quæ, nihil ad religionem attinerent: tum indicat qui cenſeantur canonis tranſgreſſores. Si quis, inquit, publicis harum conſiliis intereſſet, aut tractandis iis operam impenderet, faceret contra ſtatutum. Quæro nunc ab ipſis Patribus, an ceras & ſigilla Franciæ tractaverim? an diplomatibus ſubſcripſerim? an privatis aut publicis interfuerim conſiliis? an Miniſtrum ſtatus egerim? Dirigebam, Deo ita volente, optimi Principis conſcientiam, qui ſæpe jubebat ne quid illum celarem, quod faceret ad ſalutem, cui poſthaberet omnia. Videbam illum periculoſe circumventum, & ad Turcicum fœdus ſollicitari, creari inde animo labem, nomini dedecus, fœdam Chriſtianæ genti calamitatem. Tum illi in hoc rerum articulo ob oculos poſui timorem Numinis, decreta Eccleſiæ, majorum facta, ſanctiſſimi Regis Ludovici, cujus ſe imitatorem vellet, exempla, denique unctionem ejus & ſacramentum. Deinde magnum admiſi facinus, & quidem cenſuris atque anathemate profligandum, quod Deum timui, quod vera dixi, quod cervices pro domo Dei oppoſui. Multa quidem dictu gravia imminere Chriſti Eccleſiæ proſpicio, ſummo Pontifici multa, niſi conatus imperioſos occulta vis ex alto eliſerit. Quod ſi religioſæ mentes tam molles ad ſerviendum, ad reſiſtendum tam infirmæ reperiantur, nec vita ſine ſegnitie, nec mors poterit eſſe ſine dedecore. Nimis urgeo, nimis evinco: pudet me Patres iſtos tam invicto premi rationis robore; demus veniam timori, ignoſcamus neceſſitati: ſatis magnum ſupplicium eſt contra veritatem ſtetiſſe.

XLV. Dixi omnia ſincera fide, accurata, ut potui, brevitate: habet veſtra Paternitas totam facinorum ſeriem, quibus expiandis in hoc angulo terræ defoſſus jaceo. Premor equidem variis incommodis, fracta valetudine, cœlo gravi, victu aſpero, oppreſſa libertate, domus mihi carcer eſt, diſcrimen publicum, inſidiæ ſecretæ. Ultimum malorum eſt, antequam moriaris exi-

re devius, & tamen hoc egere perſecutores mei, ut vivens ac ſpirans tumulum ingrederer, omni privatus ſuffragio, omni functione abdicata, ſuperſtes funeribus meis, vox erepta innocentiæ patrono, quaſſus & fratus calamus poſt tot vulgatos libros & pictam toties ſtilo meo virtutem, ſubjicior cenſuris & pœnis, quibus adulteri & falſarii ſolent, quòd impolluta mente, veraci oratione, pro Dei cauſa ſteti. Agitantur præterea nova conſilia de uno per tot mortes perdendo capite; quicquid malorum habent maria, quicquid deſertæ habent inſulæ, quicquid horribilis carcer, quicquid ferrum & cætera tormenta, hoc irato Cardinali dicunt eſſe timendum. Sed tutiſſima res, præter Deum timere nihil: grande ſolatium eſt Chriſto configi cum univerſo, & in tam illuſtrem deſcribi confeſſariorum legionem, qui pro veritate ſunt icti, pro veritate mortui. Hoc quod primum docemur & ultimum diſcimus, pati, factum eſt autore Deo glorioſum, non tantum pœnis erigi, ſed & paſci juvat pœnarum cauſam relegentem. Ille timendus omnibus, cœpit tamen à me non timeri, Domino vel protegente vel adverſa cæleſtibus ſolatiis mitigante. Unum eſt quod me malis meis inſultantem ſæpe afficit, ſæpe deprimit, *filii matris meæ pugnantes contra me.* Quamquam tota prope Societas pro me in hac cauſa eſt, ô quàm dolenda ſunt illa vulnera quæ ab amica veniunt manu! Inveni aliquid ferro & vinculis & irato Cardinali pejus. O domus altrix & parens, tu me abjectum dereliquiſti, tu me derelictum furentibus inimicis tradidiſti. Heu durum dictu, tu me in ſinu innocentiæ confixiſti. Non accuſo pietatem tuam, ſed doleo neceſſitatem: multa fuerunt imperanti, plurima minanti concedenda: jubebat ab Aula amoveri, parendum fuit; jubebat ab urbe, exeundum; jubebat in abditum relegari collegium, nec iſtud deprecandum; jubebat à te ſcribi contra me quicquid ira frementi dictaret, quicquid tua prudentia ignoravit, hoc honeſte tu poteras denegare, & ſi urgeret, fortiter recuſare. Habeat ille ſolus invidioſæ potentiæ novum argumentum, quod innocentiam damnare poſſit inauditam. Hoc æquitas tua non per-

permittit, religio non ſinit. Tu me per totam Europam iniquis oppreſſum calumniis circularibus litteris traduxiſti, tu famæ vitam eripuiſti, omnium fere quas hic vivimus pretioſiſſimam, tu me everſi ſtatus, tu me convulſi ordinis reum feciſti. Quo teſte? quo judice? perſecutore meo. Tam carus tibi fuit, ut illi filium immolares, tam timendus, ut petenti nec crimen denegares. Poſt hæc jubes in virtute ſanctæ & tremendæ obedientiæ, ut iniquiſſimis contumeliis laceſſitus de cauſæ meæ juſtitia & veritate contaceam. O mater, quid agis? damnare vis & non vis audire? hocne Diocletianus fecit? Non eſt hoc innocentiæ tuæ, non eſt prudentiæ: loqueris ore non tuo, ſenſu judicas alieno; ſæva neceſſitas quæ hoc extorſit, miſera virtus quæ neceſſitati ſuccubuit.

XLVI. Unum à te peto, mi Pater, antequam moriar piacularis domo victima, tuam æquitatem appello, tuam paternitatem imploro, abſens quidem corpore, mente præſens, ad tuum integerrimum & ſanctiſſimum tribunal voces ultimas, meo ſi vis cruore obſignandas, fundo, & teſtor, me à meis ejectum, damnatum, oppreſſum, nullius convictum criminis, niſi crimen eſt quod ex officio Regi verba feci de pace Chriſtiani orbis, de concordia regiæ domus, de ſublevando populorum jugo, de avertendis à direptione templorum & vaſtitate Catholicorum infidelium armis. Si hæc injuſta viro probo, temeraria ſeni, indigna moderatore Chriſtiani Principis, ſubeam pœnas iniquitatis, amentiæ, audaciæ; non recuſo: ſed ſi quæ dixi in tam ſerio negotio, ut feci, probata ſunt ſapientibus, amica bonis, omnibus profutura, redde famam vivo; ſi non potes, redde aliquando mortuo. Ego quantum poſſum charitatis ſenſu omnibus qui mihi graves fuerunt ignoſco: ſed tamen audiant per tuas litteras omnia collegia, omnes domus, ad quas hæc circularis pervenit epiſtola, de mente Societatis non fuiſſe ſcriptam, ſed ex neceſſitate expunctam, vi extortam, nullo me obſtringi piaculo, nullis detineri cenſuris, feciſſe me in hoc officio meo quod

vir probus, integer confeſſarius, fortis ac germanus Societatis filius facere potuit aut debuit.

Credat mihi veſtra Paternitas, res magni momenti eſt ut omnes intelligant nunquam eſſe calcatam in Societate virtutem, nunquam oppreſſam innocentiam, nullam eſſe tantam temporum caliginem quam præcelſæ mentis tuæ fulgor non illuminet, nullas præſtigias quas vis tua non diſſipet, vim nullam cui tua ſuccumbat conſtantia.

XLVIII. Cum vitia proſunt, ait ille, peccat qui rectè facit, quis ſe ruenti audaciæ opponeret? quis impietati omnia temeranti? ſi virtus accuſatur à juſtis, punitur à ſanctis innocentia, ubi ille magnarum vigor mentium, quibus hæc Societas ad tantam gloriam crevit, ſi exiliis digna judicantur quæ præmiis Chriſtus proſequitur? Enimvero timendum eſt ne ſerviiſſe magis tempori videamur, quàm probitati. Pone mihi Athanaſios, pone Baſilios, pone Chryſoſtomos, ſi ad politicorum hominum, & quidem aliquot religioſorum ſenſum hodie judicandi ſunt, omnes cauſa excident, audient ſimplices, inſipidi, audaces, temerarii, & quidvis aliud quàm ſancti: ſed timendum ne cæleſtis ira feriat tam perverſe judicantes, facientes tam præpoſtere; timendum ne unde putatur aſſurgere, inde corruat domus iniquitatis, & per ipſa quæ videntur ornamenta, feriatur.

Sed nihil nobis eſt in Societate metuendum tam ſapiente Præpoſito, tam vigili Moderatore, Patre tam pio, à quo virtus tutelam nacta eſt, innocentia patrocinium, qui lucem obſcuris, opem deſertis, ſpem deploratis largiri, divinum putat, & facit ſuam hujus ſacrificii ſalutem, protectioni famam commendat.

Coroſopiti Martii die 7.
Anno Domini MDCXXXVIII.

Servus & filius in Chriſto
obſequentiſſimus.

NICOLAUS CAUSSIN.

VII.

VII.

SUCCINCTA NARRATIO

Eorum quæ P. THYRSUS GONZALES *geſſit in Hiſpania apud Superiores ſuos & apud ſummum Pontificem Innocentium XI. ad cohibendum opinionum probabilium abuſum, cum brevi explicatione rationum ob quas anno* 1691. *edidit tractatum ſuccinctum de hoc argumento, & difficultatum quæ circa ejus publicationem ſupervenerunt.*

P. Thyrſus Gonzales, nunc Præpoſitus generalis Societatis Jeſu, poſtquam per decem annos Theologiam Scholaſticam docuerat Salmanticæ, vocatus à Deo renunciavit Cathedræ anno *1665*, ut miſſionarii munus per Hiſpaniæ provincias exerceret. Dum in his miſſionibus verſaretur, quaſi manibus ipſis contrectavit quàm pernicioſa in quibuſdam confeſſariis daretur laxitas in uſu opinionum probabilium, & quàm ſine limitatione uterentur illo principio, inter Theologos ſæculi hujus tam familiari, quòd nimirum licitum ſit ſequi opinionem probabilem minus tutam, relictâ probabiliore & tutiore: nullâ namque habitâ ratione de veritate opinionum, ſatis illis erat ſcire dari opinionem probabilem de eo quod res liceat, ut ſtatim

tim licita reputaretur; nec examinabatur an opinio contraria haberet pro ſe graviores Authores & urgentiora fundamenta, ſed vel ſine hoc prævio examine procedebatur ad praxim operandi; vel quamvis ſciretur dari opinionem magis probabilem, magiſque fundatam de eo quod res ſit illicita, putabatur hoc non obſtare, ſed poſſe quamlibet ſequi opinionem probabilem, faventem ſuæ libertati, quamvis ipſe cognoſceret opinionem contrariam eſſe authoritati & rationi veriſimiliorem. Educatus fuerat in hâc doctrinâ quæ tunc erat communis, nec illam in dubium revocavit uſque ad annum 1670. in quo ſe ſeriò & accuratè applicuit ſtudio hujus celebris controverſiæ; & poſtquam diligenter evolvit quidquid pro unâ & alterâ parte allegabatur, deprehendit atque recognovit ſententiam minus benignam, aſſerentem licitum eſſe ſequi ſententiam minus probabilem & minus tutam, relicta probabiliori & tutiori, ſeu licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concurſu probabilioris & tutioris, duplicem habere ſenſum legitimum, deprehenditque in uno ſenſu eſſe veram & in altero falſam; eſſe quidem veram, ſi intelligatur de opinione minus tutâ, verè in ſe abſolute probabili, quia defenditur ut vera à viris probis & ſapientibus poſt accuratum totius quæſtionis ſtudium, quæ tamen communiter habetur pro minus probabili, quia pro ſe pauciores numerat Authores: hanc enim operans poteſt licite ſequi, ſi citra paſſionem & culpam, judicio opinativo abſolute cenſeat illam eſſe veram & legi divinæ conformem, eo quòd pro illâ invenit rationem fortem præponderantem rationibus ſententiæ contrariæ. Nam in illius ratione opinio illa, quæ communiter habetur pro minus probabili ipſi operanti, eſt magis veriſimilis, & idcirco approbatur ab ipſo ut vera, & in hoc ſenſu exiſtimat locutos fuiſſe multos authores claſſicos hujus ſæculi, præſertim Pater Suarez, cum tom 4. de Relig. pag. 540. dixit juxta communem ſententiam per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs relictâ probabiliori: cùm enim juxta Ariſtotelem

I.Mor-

I. Mor. cap 1. probabilia ſint quæ videntur omnibus vel pleriſque, vel ſapientibus, atque iis vel omnibus vel pleriſque, vel maxime notis ac claris, ſane regulariter loquendo, ut ſapienter inquit S. Caſtropalus tom. 1. diſput 2. de conſcientia cap. 1. num 8. ea ſententia probabilior eſt judicanda, quæ à pluribus defenditur & à doctioribus; & è contra ſententia minus probabilis eſt judicanda, quæ à paucioribus & minus claris defenditur.

At ſimiliter deprehendit ſententiam illam benignam, ſi intelligatur de opinione minùs tuta, quæ ipſi operanti in actu primo magis apparet falſa quàm vera, eo quod pro contrariâ videantur ſtare non ſolùm plures & graviores authores, ſed validiora fundamenta rationis, quia nimirum experitur ſe vehementius impelli ad aſſenſum per fundamenta rationis tutioris, quàm per fundamenta ſententiæ minus tutæ; deprehendit, inquam, illam ſententiam benignam ſic intellectam eſſe falſam & expoſitam laxitatibus perniciofis, quas contingens foret aliquando damnari à Sede Apoſtolica, ſicut reipsâ damnavit Innocentius XI. ſex vel ſeptem annis pòſt, & recognovit in hoc ſenſu accipi à modernis probaliliſtis poſt Caramvelem, ac proinde ut ſecure poſſet conſcientiam proximorum ſuam dirigere, decrevit illam doctrinam recentium probabiliſtarum ex profeſſo impugnare: ideoque tribus annis continuis, tempore æſtivo, quando neceſſarium erat ab exercitio miſſionum, in quo verſabatur per tres menſes, vacare, tractatum Theologicum compoſuit de recto uſu opinionum probabilium ſub hoc titulo, *Fundamentum Theologiæ moralis*, id eſt, *tractatus Theologicus, in quo oſtenditur non probabilitatem quæ communis eſt ſententiis oppoſitis, ſed duntaxat veritatem ſaltem ut creditam & prudenter exiſtimatam, eſſe rectam regulam morum; proindeque nunquam eſſe licitum ſequi ſententiam minus tutam in concurſu tutioris, niſi illa praemineat iſti quoad probabilitatem ſeu veriſimilitudinem in exiſtimatione operantis.* Et quia videbat doctrinam huic oppoſitam ita jam eſſe in Societate communem, ut timeri poſſet intra paucos annos fore in eâ ſicut ſcientiam mediam, niſi

niſi prodirent authores qui apertâ fronte & non diſſimulato nomine religionis eam impugnarent, voluit hunc tractatum dedicare R. P. Joan. Olivæ tunc Præpoſito Generali, ut hoc argumento manifeſte indicaret Societatem non adſcripſiſſe ſibi ut propriam ſententiam benignam Probabiliſtarum; quod manifeſtum fieret ſi è Societate prodiret liber dicatus Generali Præpoſito, qui illam ex profeſſo impugnaret, illumque miſit Romam anno 1675. ſed tractatus Romæ examinatus à Reviſoribus generaliter approbatus non eſt, & negata eſt licentia illum edendi in lucem, quia judicatum eſt doctrinam benignam, quam Jeſuitæ communiter tenent, eſſe aptiorem ad dirigendas conſcientias proximorum & faciliorem reddendam viam ſalutis.

In eo tractatu tanquam rem præcipue intentam ad cohibendum opinionum probabilium abuſum latiſſimè omni genere argumentorum oſtendit, licitum non eſſe ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris, quando hæc, tum ab authoritate, tum à ratione apparet operanti, ut manifeſte veriſimilior: & acriter invectus eſt in illam eandem propoſitionem de uſu licito opinionis minus probabilis, quam damnavit Innocentius XI. oſtendens illam doctrinam eſſe pernicioſam & ingentem afferre poſſe morum corruptionem, nec aliquid eſſe in moribus ſecurum, ſi illa doctrina ſerpat. Poſt autem oſtendit licitum non eſſe ſequi opinionem minus tutam in concurſu tutioris, quando hæc, omnibus conſideratis, apparet abſolute & ſimpliciter operanti veriſimilior. Tertio nec licitum eſſe ſequi minus tutam, quando omnibus hinc inde conſideratis opinio tutior apparet in actu primo æquè veriſimilis, quia ubi fundamenta pro utraque parte contradictionis ſunt omnino æqualia in dimovendo & trahendo ad aſſenſum, mutuo ſe elidunt, & intellectus fluctuat & manet ſuſpenſus & dubius, neſciens in qua parte ſit veritas, quam naturaliter quærit; in dubiis autem tutior pars eſt eligenda. Hinc ad uſum licitum opinionis minus tutæ ſeu faventis libertati contra præceptum omnino neceſſarium cenſet, ut poſt diligentem veritatis ex-

exquiſitionem,ex ſincero deſiderio non offendendi Deum ſuſceptam, pars favens libertati citra paſſionem & culpam appareat operanti in actu primo ſimpliciter & abolute veriſimilior, & ob hanc majorem veriſimilitudinem directe pars illa judicatur abſolute vera judicio determinato, quò intellectus ſibi perſuadeat actionem honeſtam & legi æternæ conformem, vel ſaltem non malam, & à lege æternâ permiſſam, ita ut aliter non poſſit ſequi licitè partem faventem libertati & relinquere partem faventem præcepto, niſi ex prudenti perſuaſione quod illa ſit vera & hæc ſit falſa. Atque adeo ipſius ſententia duobus nititur principiis: primum eſt, neminem poſſe ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quin prius ſine præcipitatione & paſſione, atque adeo prudenter, judicet ſaltem judicio opinativo vel cum aliqua formidine eſſe veram & legi æternæ conformem. Secundum eſt, neminem poſſe hoc judicium ferre, niſi poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem fundamenta iſtius partis apud ſe præponderarent ſimpliciter, ſenſibiliter & clare fundamentis partis oppoſitæ, ita ut operans manifeſtè experiatur ſe vehementius impelli ad aſſenſum per fundamenta ſententiæ faventis libertati, quàm per fundamenta ſententiæ ſtantis pro lege.

Poſtquam obtinere non potuit facultatem edendi tractatum illum, poſtulavit à R. P. Generali anno 1679. ut ſaltem ſibi liceret inſerere quarto tomo Theologiæ Scholaſticæ (qui tunc ſub prælo erat) ſubſtantiam illius doctrinæ in duobus vel tribus paragraphis, in quibus per propoſitiones aliquas breviſſime prolatas ſuam mentem aperiret: ſed nec hoc impetrare potuit.

Propoſitiones autem erant ſequentes.

1. Nemini licet in praxi ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando ipſe judicat eſſe falſam & legi divinæ contrariam in ſenſu compoſito, talis judicii præcipue intenta ad cohibendum opinionum probabilium abuſum.

2. Nemo poteſt ſequi licite opinionem faventem libertati adverſus legem, quando habet fundamentum evidenter majus ad credendum illam eſſe falſam & legi divinæ contrariam, quàm ad credendum eſſe veram & legi divinæ non contrariam.

3. Nemo poteſt licite ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando abſolutè habet fundamentum majus ad judicandum illam eſſe falſam, quàm ad judicandum eſſe veram; eo quod in actu apparet ei veriſimilis.

4. Nemo poteſt licite ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando non habet fundamentum majus ad judicandum eſſe veram, quàm ad judicandum eſſe falſam, eo quod experitur æqualem vim movendi in fundamentis partis oppoſitæ, ac proinde utraque opinio ſit illi æque veriſimilis.

5. Licitum eſt ſequi opinionem faventem libertati adverſus legem, quando poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam habet majus fundamentum ad credendum eſſe veram, quàm ad credendum eſſe falſam, quia tunc inculpate poteſt judicare illam eſſe veram, & legi divinæ conformem.

6. Quamvis opinio favens libertati adverſus legem ſit ſpecificative in ſe probabilis minus, quia habet pro ſe pauciores authores graves, ſi tamen ſit in ſe certe probabilis quia defenditur ut vera ab authoribus claſſicis, quorum opinio habetur communiter pro probabili, & operanti ipſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra omnem paſſionem & culpam repræſentatur ut magis veriſimilis quàm oppoſita, poteſt eam licite ſequi, quia tunc inculpate poteſt judicare illam eſſe veram.

7. Fundamenta Doctorum aſſerentium licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minus tutam, relictâ probabiliori & tutiori, ſi intelligantur de opinione tutiori, quæ ſolum in ſe ſpecificative & materialiter & communi æſtimatione eſt probabilior, ſunt ſatis efficacia: ſi autem intelligantur de opinione tutiori, quæ non ſo-

ſùm in ſe eſt probabilior, ſed etiam ipſi operanti veriſimilior apparet, ſunt inefficacia.

8. Multi Doctores hujus ſæculi aſſerentes licitum eſſe ſequi opinionem probabilem minus tutam relictâ probabiliori & tutiori, conciliari poſſunt cum multis antiquorum, qui ad uſum licitum operationis minus tutæ exigunt quod ſaltem ſit probabilior tutiore, dicendo iſtos ſolum exigere quod opinio minus tuta ſit operanti ipſi probabilior, id eſt veriſimilior: illos verò ſolùm aſſerere licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, quæ in ſe & communi exiſtimatione eſt minus probabilis, ſi ab ipſo operante inculpate judicatur vera, quia ob fundamentum rationis in actu primo viſa eſt ei veriſimilior.

Sed Præpoſitus Generalis ex judicio Reviſorum generalium judicavit non expedire ut propoſitiones illæ adhuc ſub illâ brevitate typis mandarentur: tunc autem ſatis cognovit Pater Thyrſus ſuum tractatum de uſu opinionum probabilium præcipue fuiſſe improbatum propter ipſam ſubſtantiam doctrinæ, quam in illo ex profeſſo ſtatuebat, & Superiores velle, ut ſenſim ſententia benigna de uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ in concurſu tutioris & operanti ipſi veriſimilioris in Societate prævaleret, & imperium pacifice poſſideret, quia judicabant illam eſſe aptiorem ad dirigendas conſcientias in ſpiritu dulcedinis & ſuavitatis; manifeſtum eſt enim hanc doctrinam amplexos fuiſſe non ſolùm ſapientia, ſed & virtute & pietate inſignes, non ex ſtudio placendi hominibus & animos omnium ſibi conciliandi, ut malitioſe calumniantur Janſeniſtæ cum Lud. Montalt. Epiſt. 5. ſed ex ſincero deſiderio conſulendi proximorum ſaluti, ad quam promovendam magis aptam cenſebant hanc benignam doctrinam, quàm oppoſitam paulò ſecuriorem.

Septem annis poſtquam P. Thyrſus hunc tractatum confecerat, prodiit Bulla Innocentii XI. in quâ confixit anno 1679. ſexaginta quinque propoſitiones, & in quâ declaravit ad uſum minimum opinionis minus

tutæ non ſufficere quod illa ſit utraque probabilis in ſe, ſi ejus probabilitas comparata cum probabilitate ſententiæ tutioris ſit tenuis & exigua. Occaſione hujus publicationis in Hiſpaniâ per litteras ſui Nuncii reſcivit ſummus Pontifex Religioſum è Societate Jeſu ante aliquos annos confeciſſe tractatum, in quo late & nervoſe impugnabat illam propoſitionem & alias quas damnaverat, & in quo late ſententiam probabiliſtarum, quæ in Societate erat communis, rejiciebat, & oppoſitam Antiprobabiliſtarum doctrinam, in quam ſua Sanctitas magis inclinabat, late ſtatuebat. Gaviſus eſt ſanctus Pontifex, & juſſit illum examinandum & reviſendum tradi duobus viris valde peritis, qui illum maxime probaverunt & laudaverunt, licet unus ex eis majorem in eo deſideraverit ſeveritatem & rigorem: alter enim illorum in ſuâ cenſurâ dixit tractatum illum eſſe moribus Chriſtianorum formandis apprime utilem, atque iiſdem hâc tempeſtate reformandis præſentaneum fore. Alter vero diſerte pronunciavit nihil ſuo judicio circa propoſitum argumentum prodiiſſe ex officinâ Societatis Jeſu ipſo tractatu ſolidius: addit verò quòd ut tuto poſſit commendari, optandum eſſet ut nonnulla quæ illic tantum obiter notantur, ex profeſſo (ut dicitur) tractarentur. Itaque operæ pretium, inquit, eſſet, conditiones opinionis probabilioris quam ſequi liceat, etſi minus tuta ſit, tractare, & copioſius explicare, inculcando præcipue tantam eſſe debere illam probabilioritatem, ut omnibus inſpectis unice probabilis ſit, & poſt diligentem veritatis inquiſitionem nihil appareat in contrarium ad perſuadendum rem illam eſſe illicitam. Atque adeo Reviſoribus Societatis viſus eſt tractatus illus minus ſeverus: quia P. Thyrſus exigebat ad uſum licitum opinionis minus tutæ, ut illa in actu primo citra paſſionem & culpam appareret operanti ſimpliciter & abſolute veriſimilior, quàm oppoſita, & ob hanc majorem veriſimilitudinem ab ipſo judicatur vera, licet hoc judicum ſit opinativum & cum aliquâ formidine partis oppoſitæ. At uni ex Reviſoribus Pontificiis viſus eſt tractatus

ille in hac parte minus ſeverus, quia exiſtimabat ad uſum licitum minus tutæ non ſufficere quod operans judicio opinativo cenſeat actionem eſſe honeſtam vel licitam, ſed requiri quòd formet judicium moraliter certum de honeſtate actionis, ceu judicium excludens omnem formidinem partis oppoſitæ circa malitiam actus oppoſiti.

P. Thyrſus, cui firma hærebat determinatio non edendi hunc tractatum ſine facultate ordinaria Religionis, timens ne forſan Pontifex imprimi faceret ſine licentiâ Societatis, ſi ſemel Reviſores à ſua Sanctitate deſignandi illum approbarent, ut præcaveret hoc periculum, dedit litteras ſummo Pontifici die 25. Decembris 1681. in hæc formalia verba. „ Quamvis „ doctrina mei tractatus probetur à Reviſoribus deſi- „ gnatis vel deſignandis à veſtra Sanctitate, & ab illis „ deducatur utilem fore, non expedit ut tractatus im- „ primatur ut jacet. Cùm enim illum compoſuerim „ dum verſarer in miſſionibus, & pòſt magis ventilata „ ſit hæc materia, nunc neceſſe eſt illum magis locu- „ pletari; licet enim pro miſſionario foret ſufficiens, „ pro cathedratico primario Salmanticenſi eſt diminu- „ tus, & oportet fuſius impugnari per illum, qui poſt „ illum tractatum compoſitum, tomum edidit de „ regulâ morum. „ Hoc dixit quia anno 1676. juſſus fuerat à ſuis Superioribus dimittere officium miſſionarii, & ex deſignatione Regis Catholici præfectus fuerat cathedræ primariæ Univerſitatis Salmanticenſis. Itaque Pontifex hujus libri editionem valde optabat & urgebat, authoriſque enixis precibus ægre tribuit, ut res differretur donec matureſcerent quædam.

Venit P. Thyrſus anno 1687. tanquam Elator provinciæ Caſtellanæ ad congregationem generalem XIII. & ſummus Pontifex ſigna manifeſta dedit deſiderii quo flagrabat ut eligeretur in Præpoſitum Generalem, ſperans fore ut factus Generalis cohiberet nimiam licentiam opinandi, de quâ accuſabatur Societas, ut aperiret januam doctrinæ ſecuriori Anti-probabiliſtarum, in quam inclinabatur magis Sedes Apoſtolica. Dolebat

 quip-

quippe Pontifex & conquerebatur de tanta conformitate, & quaſi conjuratione Jeſuitarum, in defendendâ minori probabilitate, tanquam regulâ ſecuræ conſcientiæ: videbat quotidie ex officina Societatis prodire libros, qui quaſi pro aris & focis pugnabant pro uſu licito opinionis minus probabilis & minus tutæ, eoſque recipi cum plauſu à Jeſuitis; nullum autem prodire qui apertâ fronte, & non diſſimulato authoris & Religionis nomine, doctrinam illam impugnaret; inſuper audiebat in Societate male audire apud Superiores qui doctrinam probabiliſtarum ſibi diſplicere ſignificaret, & fere nullum eſſe qui palam auderet impugnare, imò & aliquos moleſtias non paucas paſſos eſſe ob hanc cauſam. Hinc inferebat tantam uniformitatem tantamque conſpirationem in defendendo ſuo Probabiliſmo, in Religione in quâ eſt tanta opinandi libertas, ut eſt Societas, non videri caſualem, ſed potius provenire ex conſilio Religionis, volentis ſenſim & in actu exercito adaptare ſibi & facere propriam Religionis ſententiam de uſu licito opinionis minus probabilis. Probe ergo cognoſcens magnus ille Pontifex quantum poſſet bonis moribus nocere, quòd Orbis Chriſtianus ſibi perſuaderet Religioſos Societatis ſibi adſcripſiſſe ut propriam ſententiam Probabiliſtarum, & pro Religione eam defendere licitum eſſe ſequi ſententiam minus tutam in concurſu tutioris, & ipſi operanti probabilioris & veriſimilioris, hoc malum totis viribus impedire eſt conatus, ſuaviter tamen & ſine ſtrepitu. Mediante ergo Emin. Cardinali Cibo Secret. ſtatus ſignificavit Congregationi generali cupere ſe & deſiderare, ut in doctrinâ de opinione probabili licitum eſſet Theologis Societatis tenere, atque libris publicis, ſi vellent, tueri, quod in concurſu opinionis magis probabilis magiſque tutæ non liceret ſequi minus tutam minuſque probabilem. Congregatio verò deſiderio Pontificis cupiens ſatisfacere, condidit Decretum XVIII. in quo declaravit Societatem non prohibuiſſe nec prohibere quo minus ſententiam illam tueri poſſent quibus illa magis probaretur, ipſeque Pontifex locutus cum

cum novo Generali illum ſæpe hortatus eſt ad procurandum ut in Collegio Romano aliiſque Gymnaſiis Societatis legeretur doctrina Anti-probabiliſtarum, quatenus docet neminem poſſe ſequi ſententiam minus tutam, niſi illa ſaltem ſit probabilior ſententiâ tutiore ſtante pro lege adverſus libertatem; & novus Generalis promiſit ſuæ Sanctitati vocaturum ex Hiſpania Profeſſorem Theologiæ, qui eam doctrinam in Collegio Romano dictaret, & ita adimplevit anno ſequenti, quo P. Joſephum Alfarum ex Hiſpania adduxit ad legendam Theologiam in Collegio Romano. Ex his conſtat quàm ſeriò & conſtanter Innocentius XI. deſideraverit ut in Societate plena eſſet libertas ad docendum licitum non eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, niſi operans prius prudenter & probabiliter ſibi perſuaderet illam eſſe veram & legi æternæ non contrariam; quam perſuaſionem habere nunquam poterit, quin authoritate & ratione, vel utraque ſimul ſit ipſi clare veriſimilius rem eſſe licitam & à lege divina permiſſam.

Præpoſitus ergo Generalis Societatis, ut ſatisfaceret deſiderio ſummi Pontificis Innocentii XI. & operibus ipſis oſtenderet Decretum Congregationis XIII. non fuiſſe ſolum cæremoniam mere politicam ad placandum animum Innocentii XI. qui ægre ferebat tantam conſpirationem Jeſuitarum in defendendo uſu opinionis minus tutæ, poſthabitâ tutiore, quæ operanti ipſi appareret magis veriſimilis, & vehementer optabat ut traderet doctrinam ſecuriorem, & ut Religionem ſibi commiſſam purgaret à labe fœdâ, quam illi aſpergebat multorum perſuaſio quod Societas ſibi vellet operibus ipſis, & in actu exercito, adaptare & propriam facere ſententiam benignam Probabiliſtarum, decrevit typis mandare tractatum ſuum de recto uſu opinionum probabilium, qui eſt ſpecimen quoddam operis grandis, eo argumento, ut facto tam illuſtri omnibus conſtaret non eſſe propriam Societatis ſententiam quam ejus Præpoſitus Generalis ex profeſſo impugnabat.

In

In hoc tractatu, ad claudenda ora Janſeniſtarum, qui ut invidiam conflarent Societati ex laxitatis famâ, tanquam propriam tribuunt ſententiam probabiliſtarum non ſolum conceptam ſub terminis iſtis: *Quod liceat ſequi ſententiam probabilem minus tutam, relictâ probabiliore & tutiore, ſeu in occurſu probabilioris & tutioris*, ſub quibus terminis eſt communis inter ſcriptores hujus ſæculi qui rem hanc attigerunt ab anno 1677. ad annum 1688. paucis exceptis, ſed etiam ſub terminis invidioſis qui illam doctrinam reddunt invidioſam, in eo ſcilicet ſenſu in quo eam defendunt recentes Probabiliſtæ, qui cum Caramuele aſſerunt licitum eſſe unicuique ſequi ſententiam ſibi minus probabilem ſeu minus veriſimilem & minus tutam relictâ tutiore & ſibi veriſimiliore, id eſt licitum eſſe ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem naturalem, quamvis omnibus conſideratis habeat majus fundamentum ad judicandum eſſe falſam & legi æternæ contrariam, quàm ad judicandum eſſe veram & legi æternæ non contrariam.

Inprimis manifeſte probat illam ſententiam non prodiiſſe ex Societate,& non niſi per calumniam à Ludovico Montaltio in Litteris Provincialibus, à Willielmo Wendrochio in notis ad eas Epiſtolas citari tanquam doctrinam Societatis, quia evidens eſt evidentia facti eam fuiſſe communem quando Doctores Societatis incœperunt de hac controverſiâ ſcribere, ut oſtendit diſſert. 1. deinde probat è Societate prodiiſſe primos hujus ſententiæ impugnatores; nam anno 1608. illam impugnavit P. Ferdinandus Rebellus in opere de Juſt. & Jure lib. 8. Quæſt 5. & anno 1609. Paul. Comitolus in Reſp. Moral. lib. 5. q. 1. & fuſe ac ex profeſſo P. Andreas Blancus ſub nomine Candidi Philalethi 1642. de quo propterea Julius Mercorus & Joan. Bapt Gonet ex ſacrâ Prædicatorum familia teſtantur primum in Italia adverſus illam doctrinam calamum ſtrinxiſſe, & hujus noſtri ſæculi opinandi licentiam compreſſiſſe; quod ideo dixerunt quia primus illam doctrinam Probabiliſtarum ex profeſſo impugnarit.

Præ-

Præterea in hoc tractatu diſſert. 3. probat Præpoſitus Generalis ſententiam recentium Probabiliſtarum aſſerentium unicuique licitum eſſe ſequi opinionem minus tutam, ſi ſciat eſſe abſolute probabilem, quamvis & in actu primo appareat minus veriſimilis quàm oppoſita, non eſſe communem inter Theologos hujus ſæculi, qui cum Bartholomæo de Medina docuerunt licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem minus tutam relictâ probabiliori & tutiori: nam quamvis ſub his terminis, *licet ſequi opinionem magis tutam relictâ probabiliori & tutiori*, vel ſub iſtis, *licet ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concurſu probabilioris ac tutioris*, vel aliis æquivalentibus, ſit communis inter Theologos hujs ſæculi, qui hanc quæſtionem agitaverunt ab anno 1677. in quo Medina 12. q. 19. art. 6. propoſitionem hanc & doctrinam primus Theologorum evulgavit, hanc ſtatuens concluſionem contra Cajetanum, Sylveſtrum, Scotum, & alios antiquos, mihi videtur quod ſi opinio eſt probabilis, licet eam ſequi, etſi opinio oppoſita ſit probabilior, ad annum 1658. in quo ſuam Baſim Theologiæ edidit in lucem P. Jul. Mercorus ex eadem familiâ, in qua eam Medinæ ſententiam acriter impugnat, ut contrariam doctrinæ D. Thomæ, & omnium Theologorum; ac proinde quamvis P. Franc Suarez tom. 4. de Religione pag. 544. veriſſime pronunciarit juxta communem ſententiam per ſe licere ſequi opinionem probabilem circa honeſtatem actûs relictâ probabiliori, tamen neque P. Suarez neque ipſe Medina loquuntur in ſenſu poſteriori, quem amplectuntur recentiores cum Caramuele, & nos impugnamus, ſed in priori, quem nos approbavimus. Solum quippe intendunt poſſe quemlibet licite exercere actionem quam ipſe judicat eſſe honeſtam ob aliquod fundamentum rationis, vi cujus illa pars repræſentata fuit ipſi veriſimiliter oppoſita, quamvis ſciat ſententiam tutiorem eſſe probabiliorem, ſeu habere pro ſe plures & graviores authores; ut enim, inquit Caſtropalus diſp. 2. de Conſc. cap. 1. num. 8. regulariter loquendo ea ſententia pro-

probabilior eſt judicanda quæ à pluribus defenditur & à doctioribus: cùm juxta Philoſophum probabilia ſint quæ videntur omnibus vel plurimis, vel maxime notis & illuſtribus; unde in eo tractatu oſtendit Præpoſitus generalis falſò Janſeniſtas tribuere communi conſenſui Jeſuitarum ſententiam benignam ſumptam in ſenſu odioſo, & intellectam de opinione minus tutâ, quæ ab ipſo operante judicetur falſa, vel prudenter poſſit judicari, eo quòd oppoſita ratione & authoritate appareat illi veriſimilior; modumque tradit Jeſuitis, quo poſſunt explicare multos ex ſuis authoribus claſſicis, eoſque liberare ab invidia quam illis conflant Janſeniſtæ.

Præterea in eo tractatu oſtendit eſſe falſam doctrinam Janſeniſtarum & quorundam aliorum Theologorum nimis rigidorum, aſſerentium nullam opinionem probabilem reipſâ falſam & legi divinæ contrariam à peccato coram Deo excuſare.... probat enim in eo tractatu poſſe dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quod concluſiones remotæ ſint & valde diſtantes à primis principiis, quia inter Doctores ſapientes diſputatur an aliqua actio ſit intrinſece mala, & jure naturali prohibita; & dantur opiniones probabiles oppoſitæ quarum altera neceſſario eſt falſa. Unde contingere poteſt ut Doctor citra culpam doceat probabiliter licitam eſſe actionem quæ re vera eſt illicita; & ſicut hoc contingit, ita & contingere poteſt, ut operans poſt, diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam judicet actionem eſſe licitam, quæ in ſe eſt mala, & quod fundamenta Doctorum affirmantium viſa ipſi ſint urgentiora, tunc autem ſequitur opinionem re ipſâ falſam, quam tamen bona fide putabat eſſe veram; unde quamvis reipſâ agat contra legem, illa tranſgreſſio eſt materialis, & non imputatur ipſi, quia habet ignorantiam probabilem & inculpabilem, quæ ipſum excuſat. Inſuper contra Janſeniſtas, aſſerentes nullam opinionem merè probabilem de honeſtate actionis ſufficere ad licite agendum, ſed requiri omnimodam certitudinem moralem.

Præ-

Præpoſitus Generalis tota diſſertatione I. late oſtendit ſufficere opinionem mere probabilem, dummodo phyſice & ſubjective exiſtat in mente operantis; quia hoc ipſo quòd operans prudenter vel ſaltem inculpate judicat actionem eſſe honeſtam, quamvis hoc judicium ſit mere opinativum & cum aliqua formidine partis oppoſitæ, poteſt ſuper hoc judicium formare dictamen practicum ultimum conſcientiæ, quo ſine ulla formidine operans ſibi perſuadet ſibi ſic & nunc licere exercere actionem, quam judicio mere opinativo judicat eſſe ſecundùm ſe honeſtam vel ſaltem licitam. Rurſus loquendo de opinione alienâ exiſtente in libris vel in mente ſuorum authorum, dicitur licitum quidem eſſe ſequi quamcunque opinionem mere probabilem ex iis quæ affirmant aliquid eſſe licitum, dummodo illa non concurrat cum opinione tutiore, quæ operanti ipſi repræſentatur in actu primo ut magis veriſimilis, præſertim ſi talis appareat à fundamentis authoritatis ac rationis ſimul: quia nimirum operans agnoſcit ſententiam tutiorem pro ſe habere plures & graviores authores, & eorum fundamenta ipſi videntur urgentiora. Item dummodo non concurrat cum opinione tutiore, quæ operanti repræſentatur ut æque veriſimilis; ſiquidem opinio favens libertati adverſus legem eatenus eſt probabilis practice reſpectu operantis, quatenus poteſt approbari ab ipſo ut vera: non poteſt autem ſic approbari, quando in actu primo magis apparet falſa quàm vera, imo vel quando non apparet magis vera quàm falſa, quia nequit homo licite aſſumere ſibi tanquam rectam regulam operandi ſenſus hominum, niſi quatenus ſibi perſuadet illam eſſe conformem primæ regulæ, cui non conformatur niſi per veritatem; quia nimirum proponit ut licitum quod lex æterna permittit, nam ſi proponat ut licitum quod reprobat ut illicitum lex æterna, non eſt conformis ſed contraria legi æternæ.

Quare dum probabiliſtæ ſupponunt opinionem minus tutam manere abſolute probabilem reſpectu operantis, etiamſi ipſi repræſentetur ut minus veriſimilis quàm oppoſita, ſupponunt quòd erat ipſis probandum: ſolum ergo ſupponere debent opinionem minus tutam eſſe in ſe ab-

abſolute probabilem, quia defenditur ut vera à viris probis & doctis, & aliunde repræſentari ut veriſimilem operanti: hoc autem non ſufficit ut operans poſſit illam licite ſequi; ſiquidem cum hoc ſupponitur quòd operans cognoſcat illos authores deceptos, & eſſe falſam opinionem, quia in intellectu habet diverſum ſtatum ab eo quem habet vel habuit in mente ſuorum authorum, qui propterea illam probabiliter propugnarunt ut veram, quia poſt diligentem veritatis inquiſitionem citra paſſionem & culpam fundamenta ejus ipſi apparuerunt validiora quàm fundamenta ſententiæ tutioris, & operanti apparent validiora fundamenta ſententiæ oppoſitæ; unde quamvis ſpeculative cognoſcat illam ſententiam eſſe abſolute in ſe probabilem & poſſe eſſe practice probabilem ſibi, eam judicat eſſe falſam vel judicare prudenter poteſt, eo quod ejus fundamenta apparent ipſi minus veriſimilia, quàm fundamenta ſententiæ oppoſitæ. Nunquam enim eſt probabilis abſolute reſpectu operantis opinio cujus fundamenta præponderant fundamentis ſententiæ oppoſitæ. Hinc Præpoſitus Generalis late obſervat in ſuo tractatu, in eo allucinari recentes probabiliſtas, quòd exiſtimant opinionem probabilem de actus honeſtate eſſe regulam abſolutam licite opinandi, cùm ſolum ſit regula reſpectivæ; eſſe regulam rectam pro omnibus, etiam pro illis qui judicant eſſe veram & legi æternæ conformem, & in quorum intellectu habuerit eundem ſtatum quem habuit in intellectu ſuorum authorum.

Quare in hoc duntaxat ſenſu verum exiſtimat licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem probabilem minus tutam, nimirum ſi citra paſſionem & culpam illam opinionem approbaret per aſſenſum, ſibi probabiliter perſuadendo illam eſſe veram & legi divinæ conformem, ac proinde eſſe licitam actionem quam illa opinio licitam affirmat, ſive illum aſſenſum portet ſimpliciter & bonâ fide credendo viro docto, aſſerenti talem actionem eſſe licitam, quamvis ei quicquam occurrat in contrarium quo moveri poſſit ad diſſentiendum, ſive aſſenſum portet nixus fundamentis gravibus, quæ pro parte benignâ

vi-

videt eſſe urgentiora quàm pro parte ſeverâ: nemo enim prudenter judicare poteſt actionem eſſe honeſtam, ſi omnibus conſideratis invenit majus fundamentum ad judicandum eſſe turpem, præſertim ſi hoc fundamentum ſit authoritatis & rationis ſimul, quia nimirum videt plures & graviores authores aſſerere illam actionem eſſe intrinſece malam ipſorumque fundamenta ipſi videntur urgentiora.

Ex hâc relatione conſtat quàm utilis ſit ad conſulendum honori Societatis Tractatus Præpoſiti Generalis, in quo declinans nimium rigorem & nimiam indulgentiam in uſu opinionum probabilium, moderatum uſum tradit, & probat maligne Janſeniſtas tribuere Societati ſententiam Probabiliſtarum acceptam in ſecundo ſenſu invidioſo; illam enim multi ex præcipuis & gravioribus non docuerunt in illo ſenſu, ſed in priori, quem ipſe Generalis approbat, idque ſolum docet tanquam Doctor particularis, non ut Generalis, nullum ex ſuis ſubditis ad ita docendum adſtringens, ſed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hâc graviſſimâ controverſiâ eam partem defendant, quam poſt diligentem veritatis inquiſitionem & accuratum ſtudium, ex ſincero deſiderio non errandi, ſententiam ſolidioribus nixam fundamentis deprehenderint. In hoc tractatu oſtendit ſolidum & fundatum modum quo Jeſuitæ tueri poſſint licitum eſſe ſequi opinionem probabilem omnino tutam, relictâ tutiori & probabiliori, quamvis opponantur antiquis omnibus, de quibus vere dixit Perillus, Quæſt. 22. de Conſc. num. 4. tom. 8 antiqui ad operandum exigunt ut quis ſectetur ſibi probabiliora, & eruditiſſ. P. Franc. Amicus tom. 3. Curſûs Theol. Diſp. 10. num 79. vere pronunciavit, omnes fere antiqui Theologi negant licitum eſſe operari ſecundum ſententiam minus tutam, quæ minus probabilis judicatur, ſemperque exigunt ut illa operanti ſit probabilior; & Ant. de Cordova in ſuo Quæſt. Theol. edito 1556. Quæſt. 3. aſſert. 1. affirmat partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior. Et ſubdit, & in hoc omnes Theologi conſentiunt. Poſſunt igitur mul-

ti

ti ex antiquis commode exponi; dum dicunt dari obligationem ſequendi opinionem tutiorem quando illa eſt probabilior, loquuntur de probabilitate reſpective ad operantem, ut nimirum operans teneatur ſequi ſententiam tutiorem quando illi apparet probabilior, ac proinde ut dum exigunt ad operandum ſecundum ſententiam minus tutam quòd illa ſit probabilior ac veriſimilior, ſolum velint quòd illa operanti ſit probabilior ſeu veriſimilior, non autem quòd ſit abſolute probabilior in ſe, ſeu quòd habeat pro ſe plures ac graviores authores.

Præcipua vero utilitas eſt ne adverſarii noſtri cum fundamento dicere poſſint Societatem fucum facere, & verba ſolùm dixiſſe, dum in Congregatione ultima declaravit Societatem non adſciviſſe ut propriam ſententiam benignam de uſu licito opinionis probabilis minus tutæ, & ipſi operanti minus probabilis ſeu minus veriſimilis, & declarationem eſſe factis contrariam, dum nullus effectus illius Decreti poſt tot annos viſus eſt, ſed adhuc poſt Decretum pergunt Jeſuitæ eo modo quo antea illi inſiſtere doctrinæ, & infenſos ſe oſtendere illis qui illam impugnant. Id autem faciunt ex falſâ perſuaſione, quòd omnes Doctores Societatis, ante Alexandrum VII. excepto Paul. Comitolo & P. Andrea Blanci illam propugnarint in ſenſu illo primo, quem ſequentes Moderni cum Caramuele, & in quo ſolum illam impugnat P. Generalis, cum tamen efficaciter probat nec P. Suarez nec alios multos authores claſſicos hujus ſæculi, intra & extra Societatem, locutos fuiſſe de opinione minus tutâ, quæ ipſi operanti appareat in actu primo minus veriſimilis quàm oppoſita, ſeu magis falſa quàm vera, ſperetque paucos fore in Societate, qui interrogati an liceat homines facere actionem de qua diſputatur an ſit peccatum mortale, ſi judicatur plures & graviores authores affirmare eſſe peccatum mortale, & ipſorum fundamenta ipſi videantur urgentiora quàm fundamenta ſententiæ oppoſitæ, paucos inquam fore qui ſic interrogati reſpondeant licere.

Ob

Ob hunc finem præcipue judicavit Præpoſitus Generalis ſuæ obligationis eſſe Religionem ſibi commiſſam liberare à tam odioſâ notâ, typis mandando tractatum ſuccinctum, in quo illam doctrinam in eo ſecundo ſenſu acceptam ex profeſſo impugnaret, & oſtenderet eam in eo ſenſu acceptam non eſſe communem inter Doctores claſſicos Societatis, licet non pauci illam in eo ſenſu ſecuti ſint.

Vix autem P. P. Aſſiſtentes cognoverunt Patrem Generalem diligenter ſub prælo habere tractatum in quo ex profeſſo impugnabat uſum licitum opinionis probabilis minus tutæ, niſi poſt diligentem veritatis inquiſitionem in actu primo illa appareat veriſimilior quàm oppoſita, & idcirco ab ipſo judicatur vera & legi divinæ non contraria, cum in unum convenientes obtulerunt libellum ſupplicem P. Generali, cujus concluſio erat, petere ut librum ſuum ſupprimat, ſive ille nondum typus mandatus ſit, ſive totus ſive ex parte ſit impreſſus.

Propoſitus Generalis reſpondit illis impenſe gratias agendo pro inſigni zelo quo ipſum admonebant, & pro ſummâ vigilantiâ quâ Societatis bonum proſpiciebant: addidit vero quoad impreſſionem impediendam jam non eſſe tempus, quia illa abſque dubio tunc eſſet finita, quod erat certum; nam illi obtulerunt ſuum libellum quartâ die Novemb. & ad finem Oct. finita fuerat. Hoc ſuppoſito reſpondit 1. ſe libenter hoc tribuere judicio ſuorum P. P. ut liber non prodeat nomine ſuo, dummodo prodeat nomine alicujus Theologi Societatis ſaltem in genere. 2. quia intellexit illis ſpecialiter diſplicuiſſe diſſert. 2. cujus index ad ipſos tranſmiſſus fuit, expoſuit illis in Tractatu reperiſſe ſe errorem Typographi vel Amanuenſis, nam cum deberet ſic apponi, „ Diſſert 2. continens graviſſimas rationes ob quas „ expediens fuit ut Societas in ultima congregatione „ generali declararet, non eſſe ſuam nec ad ſe attinere „ ſententiam benignam de uſu licito opinionis mi„ nus probabilis & minus tutæ in concurſu probabilio„ ris & tutioris; ſic eſt appoſitum, continens rationes

„ nes ob quas ultima Congregatio declaravit.....quo ſi-
„ gnificatur illas rationes expenſas fuiſſe in Congre-
„ gatione , quod erat manifeſte falſum; cum (inquam) intellexiſſet hoc illis diſplicuiſſe, rem illis expoſuit,& teſtatus eſt irrepſiſſe errorem in eum titulum, & ideo cùm primum accepit quaternionem impreſſum fuiſſe,juſſit ut inter errata primo loco poneretur,addiditque id evidenter omnibus conſtiturum ex Præfatione illius diſſertationis, in quâ expreſſe notabat, rationes illas eſſe eas quas ipſe ſuis ſuperioribus repræſentabat, ne permitterent illam doctrinam fieri propriam Societatis, ſicut ſcientiam mediam, ideoque illam Præfationem ſic abſolviſſe: „ Hic appendam rationes quibus ad hoc
„ procurandum permotus ſum.

Inſuper adjunxit ſe quidem ſecurum eſſe nihil in illis rationibus tangi quod poſſit merito offendere: cæterum ſi illis lectis & examinatis judicaretur oppoſitum, ſe paratum eſſe totam illam diſſertationem à reliquo opere libri extrahere, & loco illius aliam ſubſtituere, quæ foret de magno honore Societatis, in quâ ſcilicet probaretur quod quamvis Jeſuitæ ut plurimum ſecuti eſſent doctrinam communem in hoc ſæculo de uſu licito opinionis probabilis minus tutæ in occurſu probabilioris & tutioris, nullos tamen magis limitaſſe illud principium & intra certos cancellos coarctaſſe quàm Jeſuitæ. Ad petitionem verò P. P. Aſſiſtentium reſpondit his formalibus verbis quæ ipſis prælegit... Quia jam publicum eſt me inter varia typis mandare Tractatum de recto uſu opinionis probabilis, omnino neceſſarium duxi ob rationes graviſſimas, quas habeo, ut antequam agatur de libro publicando, vel non publicando, huc ſecreto afferantur duo exemplaria vel tria, ut V.V. R.R. & Secretarius Societatis circumſpiciant, an contineant doctrinam quæ gloriæ Dei & honori Societati poſſit incommodare, & tunc cum plenâ libri cognitione mihi exponant rationes quæ ipſis occurrerint pro publicando vel ſupprimendo libro, ut illis attente conſideratis & expenſis ego determinem id quod in Domino judicaverim fore de majori gloria Dei, & noſtræ Societatis vero honore, quem unicè quæro.

P.P

P. P. Aſſiſtentes non contenti hoc reſponſo, ſex diebus poſt oblatum primum libellum ſupplicem obtulerunt ſecundum, nempe die 10. Novembris, in quo ſuam ſententiam de libro diligenter impreſſo ſic expreſſerunt, ut dicerent, Illic ubi natus eſt ita ſupprimendus, ut nullum ejus exemplar afferatur Romam. Præpoſitus Generalis huic poſtulato acquieſcere non potuit. Quid enim amplius potuiſſent poſtulare, ſi tecto libro deprehendiſſent illum continere pravam doctrinam contra fidem & bonos mores? Eſſet enim hæc ſuppreſſio non ſolùm contra honorem Generalis, ſed contra honorem Societatis, cui probroſum eſſet quòd ejus caput impreſſiſſet librum malæ doctrinæ, ita ut Religio ipſa compulſa ſit illum perpetuis tenebris damnare, quia permiſerit ullum exemplar comparere in mundo. Quis credit enim viros Religioſos & cordatos tam duram protuliſſe ſententiam contra librum ſui Præpoſiti Generalis, niſi propter doctrinam pravam? Quis credat illos eo ſolum nomine tam ſevere cenſuiſſe de illo qui continet doctrinam paulò ſeveriorem quàm ſit illa quam ſequuntur recentes probabiliſtæ? Et tamen doctrina libri non alio titulo potuit diſplicere illis; nam ſi liber non diſplicuiſſet propter doctrinam, ſed ſolum propter aliqua incidentia, deberent ipſi ſollicitare ut aliqua exemplaria veherentur Romam, & ſubjicerentur examini, ut ablatis accidentibus maneret ſalva doctrina; quod cùm non fecerint, ſignum eſt diſplicere doctrinam eo titulo, quod illis videatur contraria communis ſententiæ noſtrorum doctorum; quod tamen verum non eſt.

Poſtquam P.P. Aſſiſtentes animadverterunt Patrem Generalem acquieviſſe ſuo conſilio, timentes ne obtineret à Pontifice ut libri examen committeretur alicui Congregationi particulari Cardinalium & Theologorum à ſuâ Sanctitate deſignandorum, & merito metuentes quod ſi obtinuiſſet, liber eſſet publicandus ſalvâ totâ doctrinæ ſubſtantiâ, correctis duntaxat aliquibus accidentibus, quæ poſſunt in politicâ offendere, & audientes Patrem Generalem hoc ſecretò totis viribus in-

 tendere:

tendere: inito de novo conſilio, nomine omnium unus ex illis allocutus eſt Pontificem, ut creditur, reliquit ei libellum ſupplicem ab omnibus ſubſcriptum, in quo repræſentabant turbandam eſſe Religionem ſi liber ille publicaretur, magnaque ſcandala inde oritura in totâ Societate, & omnibus viis conati ſunt præoccupare aures Pontificis; & perſuadere expedire bono Societatis ut liber ille ſupprimatur.

Generalis ê contra poſtulat ut liber ſubjiciatur examini, & non damnetur ante præviſa merita ad inſtantiam P.P. Aſſiſtentium & aliorum Jeſuitarum qui librum non legerunt, obteſtatus ſe non aliud intendere quàm gloriam Dei & honorem Societatis, & paratum eſſe corrigere ea quæ judices deſignandi judicaverint corrigenda, vel perpetuis tenebris damnare, ſi poſt examen ita judicaverint; & ſuæ Sanctitati obtulit ſcripta aliqua, quibus probatur ſuppreſſionem hujus libri eſſe contra honorem Societatis & ipſius Sedis Apoſtolicæ, & quibus oſtenditur nullam turbationem ſecuturam eſſe in Societate ex publicatione hujus libri, & doctrinam ejus non eſſe contra authores omnes Societatis claſſicos, ſed contra aliquos duntaxat, & eſſe conformem doctrinæ Patrum & omnium Theologorum antiquorum & communi recentium Theologorum, qui poſt Alexandrum VII. extra Societatem de hâc controverſiâ ſcripſerunt, & eſſe doctrinam conformem juri canonico, & quam pro reformanda Theologia morali deſideraverant Alexander VII. & Innocentius XI.

Quia verò P. P. Aſſiſtentes & alii Jeſuitæ Romæ nihil magis timent quàm quòd liber juſſu Pontificis ſubjiciatur examini alicujus Congregationis particularis Cardinalium & Theologorum, ad hoc impediendum & rem involvendam ſuggeſſerunt Pontifici, ut res differretur uſque ad Congregationem Procuratorum; cùm tamen certum ſit Congregationem Procuratorem non poſſe ſuffragium ferre an ſit..... Pontifex novum condens jus hanc poteſtatem illi tribuat, nec Pontificem

con-

congrue poſſe, judicium libri committere Congregationi illi, ad quam ex Provinciis non ſolent mitti communiter Profeſſores Theologi exercitati in ſcholis, prout erat opus ad ferendum judicium de libro, neque hoc examen poſſe illis committi ſine magnis expenſis Provinciarum, quia ad examinandum librum deberent ſpatium aliquod temporis hîc manere; quod ſi ex illis Procuratoribus velit Pontifex, ex ſingulis aſſiſtentibus eligere unum, & judicio quinque virorum committere judicium libri, id facilius poterit nunc facere Romæ.

F I N I S.

Sequitur Decretum ſacræ Congregationis Cardinalium circa hoc negotium.

Feriâ 4. *Die* 20. *Junii anno* 1680.

In Congregatione generali ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & univerſalis Inquiſitionis.

Factâ relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Thyrſi Gonzalez Societatis Jeſu S. D. N. directis, Enim. D. D. dixerunt ut ſcribatur per Secretarium ſtatus Nuncio Apoſt. Hiſpaniarum ut ſignificet dicto Patri, quòd Sanctitas ſua benigne & non ſine laude perlectis ejus litteris, mandavit ut ipſe libere & intrepidè prædicet, doceat, & calamo defendat opiniones magis probabiles, nec non viriliter impugnet ſententiam eorum qui aſſerunt quòd in concurſu minus probabilis opinionis, vel probabiliori ſic cognitâ & judicatâ, licitum ſit ſequi minus probabilem; cumque certum ſaciat, quòd quidquid in favorem opinionis magis probabilis egerit & ſcripſerit, gratum erit Sanctitati ſuæ. Injungatur P. Generali Societatis Jeſu de ordine Sanctitatis ſuæ, ut non modò permittat Patribus Societatis ſcribere pro opinione magis probabili, & impugnare ſententiam

aſſerentium, quòd in concurſu minus probabilis opinionis, vel probabiliori ſic cognitâ & judicatâ, licitum ſit ſequi minus pobabilem; verum etiam omnibus Univerſitatibus Societatis ſignificet, mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut quilibet, prout ſibi libuerit, libere ſcribat pro opinione magis probabili, & impugnet contrariam prædictam, eiſque jubeat ut mandato Sanctitatis ſuæ ſe ſubmittant. Die 8. Julii denunciato prædicto ordine Sanctitatis ſuæ P. Generali Societatis Jeſu per D. Aſſeſſorem, reſpondit ſe in omnibus quantocius pariturum, licèt nec per ipſum nec per ſuos Prædeceſſores fuerit unquam interdictum ſcribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

Laus Deo.

VIII.

LUCII CORNELII
EUROPÆI
MONARCHIA
SOLIPSORUM.

Ad virum Clariſſimum

LEONEM ALLATIUM.

TIMOTHEUS CURSANTIUS LEONI ALLATIO S.

REDIT *in Urbem*, *Clariſſime Leo*, *Liber* DE MONARCHIA, SEU REGNO SOLIPSORUM, *quem* LUCIUS CORNELIUS EUROPÆUS *ex longinqua longævaque peregrinatione redux*, *ſi iſthic primùm cœpit*, *hic certè perfecit. Profecturus verò ad viſenda Sacra* Palæſtinæ *loca*, *nec unquam*, *ſi rectè præſagiebat*, *rediturus*, *ſupremum partum mihi commendavit*, *ut quid eo factum vellem*, *ratum eſſet. Viſum eſt talis ingenii*, *quale tu cum eruditis æſtimare ſoles*, *monumentum*, *Reipublicæ litterariæ*, *niſi etiam totius Orbis bono*, *publico juri permittere. An alibi alia ſpecimina reliquerit*, *clam me eſt*; *illud conſtat*, *niſi inter Solipſos rubiginaſſet*, & *copia*, & *ſplendore*, *inter ſummates litterarum viros fuiſſe radiaturum.* Sic *ingenio* & *diligentia factus erat.* Porro verane

rane ſint an veri umbra, & potiùs agendorum cavendorum in Politicis delineamenta, quæ hic tradit, tu videris. Mihi quidem, & viris præſtantibus qui mecum ſunt, argumentum præferunt, & ſtili gratia, & narrationibus animum oblectantibus, amœnum. Hoc ſi in cortice, ſub involucris opimum latere nucleum credas, quo curioſiùs ſecto, præclariſſima ad mores omnium in quocunque ſtatu, humano ritu viventium formandos, capere liceat documenta. Plura tu eruditorum in urbe facilè, Coryphæe, ſagaciter conjeceris. Mihi ſat fuerit, publico bono ſaviſſe, & tibi hujuſmodi dono, quo delectari ſoles, gratificari. Vale.

LUCII CORNELII
EUROPÆI
MONARCHIA
SOLIPSORUM.

Caput I.

Regnum, Monarchiam, an Rempublicam dicere debueram, hæreo: tu videris. Mihi vocabula, nec Ariſtoteles, nec Plutarchus, nec Tacitus, nec antiquiſſimus omnium Plato ſuggerunt. Nova facies eſt regiminis, noſtro hemiſphærio ignota; admirabilis tamen, & digna ſcitu, ad formandos populi Principumque mores, ad conſervandum boni publici ſtatum, ad acquirendas, tuendaſque opes, ad cumulum, ſi quæ eſt, humanæ fœlicitatis. Mira Regni cum Sacerdotio, prudentiæ cum ſimulatione, magnificentiæ cum ſplendoris contemptu, præparcitatis cum immenſa potentia conſenſione. Operæ pretium foret, de Cœlo, & ſitu Regni, de vaſtitate ditionis, populorumque confiniis Lectorem initio docere: ſed hactenus nulli mortalium qui in illud penetravit, rem factu facilem, poſtre-

poſtremus ego non tentabo, qui cum Ulyſſe Homerico multas hominum ejus Regni videns Urbes, & mores, de Cœli poſitione nihil certi ſervare novi. Nam & conſtitutio Univerſi apud eos longè diverſa, & populorum numerus, nominaque varia, quibus & Luna ſæpius Verticalis, quàm Sol in meridie: nulla loci, vel ſitus differentia, ut quod ſurſum, perinde & dextrum; quod ſiniſtrum, idem imum; centrum denique nec unum, nec fixum. Tanta diverſitatis ratio Monarchæ ſtat arbitrio. Quod hic decernit, id ſolum ratum habetur, quicquid ratio, vel ſenſus reclectetur, ut niſi vapulare placet, non replices, nec niſi contra mentem & ſenſum affirmes, gratiam apponas: credes experto. Tanto aliquando imbre Civitas Regia immaduit, ſubtractis ubique nubium denſitate Solis radiis, ut nec cymbæ, nec lucernæ ſufficerent, cùmque admirabundus omnia nocte confuſa exclamarem; & tacere, & Solem in meridie ſplendeſcere, & nihil non ſiccum eſſe, profiteri ſum juſſus, tametſi velut imbrice veſtibus aqua deflueret. Monarchæ ita placere monebant Apparitores, à cujus nutu, ſi recederem, pœna deportationis; ſi obſiſterem, mortis foret. Satis puto cauſæ habeo, cur à deſcriptione abſtineam, ne ſi aliquando in id Regni fortuna te appellat, ſi omnia mutata offendas, me tibi hoc ſcripto impoſuiſſe conqueraris. Quippe ea me duntaxat tradere noveris, quæ per annos quinque & quadraginta, quibus Regna Solipſorum incolui à prima adoleſcentia vel vidi, vel audivi, vel ex publicis Regni codicibus clam deſcripſi. Quæ ſicut meo tempore in dies mutationem ſubibant, ita in poſterum inconſtantiæ ſubdenda, hiſque lucubrationibus haud conſenſura, nullus dubito; ut hoc ſolum, perpetuum apud illos tenorem ſervare affirmaris, omnia ad Monarchæ nutum, præter ejuſdem forum, demutari.

Caput II.

Occaſio adeundi Regni Solipſorum.

ANtequam narrare de Regno Solipſorum incipiam, delectabit paucis exponere, qui me turbo Europæ, imò toti huic hemiſphærio abreptum in incognitas plagas ejecerit. Natus in florentiſſimo Europæ Regno, ubi aves aquas findunt, vix pueritiæ metas egreſſus, Romam à parentibus ſtudiorum cauſa ſum miſſus, Clemens VIII. Pontifex, non multò pòſt Jubilæum decimi ſexti exeuntis ſæculi edixerat. Hic, poſt humaniores litteras, prudentia Juris imbutus, juvenis admodum patrocinia cauſarum ſuſcepi, & Purpuratis placui. Ad magna favor impellebat, niſi præpoſterum fatum incantaſſet. Forte quaterni ſtudiorum ſodales extra Urbis portam, quæ ad Romanum portum, vetuſta fama clarum, viam commonſtrat, ad ripam Tyberis amœna & umbroſa ſemita inambulabamus, animique cauſa varia ſerentes; mox nonnihil laſſi prope ipſum fluminis alveum, frigidioris auræ captandæ gratia conſidemus. Hic de rerum ſub Sole viciſſitudinibus, de Illuſtrium caſibus, incertis humanorum eventis, dum non ſine ſale fabulamur, inopinos à tergo ſentimus adeſſe ignoti vultus homines: putaſſes repente ex humo enatos, niſi diù antè in proximo fruteto latitantes noſtras confabulationes obſervaſſent. Ut plenè conſpecti, non ampliùs levi & ſuſpenſo, ſed preſſiori gradu fidentiùs aggrediuntur ſedentes, & blandè ſatis adſalutant: quid verborum cædimus, rogant. Adductæ ſupra genua veſtes & pallia ſuper humeros complicata, mentumque raſum, & nigra omnia funeratores notabant: mox tamen demiſſa ad talos toga, palliumque incontemptè explicatum Philoſophos oſtendebat, ejus generis, quo tum Roma abundabat. Equidem animi pendens, magos, arioloſque mecum fingebam. Ipſi tamen percepto noſtro ſermonis argumento, forum nacti, altiùs ordiuntur. Quærunt de

pa-

patria, de genere, de cenſu: ubi intellexerunt Romanos partim, partim peregrinos; nobiles omnes, ac opulentos eſſe; tum de ætate parentum, officio, de numero fratrum, ſororum, conſanguineorum, agnatorum. Reſponſum ad ſingula, denique genus ſtudiorum percunctati, ad nomen Juriſprudentiæ labra comprimere, neſcio quid, torvum oculis, ac fronte præferre. Et ſenior ex illis ſuſpirabundus, ô miſeros, inquit, adoleſcentes, quibus laqueis compediti trahuntur ad Orcum! Ecquid vobis Juriſprudentia, quia divites ac nobiles multis benefacere poteſtis, nemini damno eſſe, ut lucri cupiditate legulei ſolent? Quin potius legibus Solipſorum manus nobiſcum datis, & potentiſſimi Monarchæ aulam ſequimini, Regnum incomparabile viſuri, poſſeſſuri. Hic ego ſuſpicatus ejus farinæ homines, qui allegoriis ineſcantes, ad clauſtrà & cucullum tractos vellent: Chriſtiani, ajo, omnes ſumus, Evangelio credimus, Solipſos non novimus, nec niſi Chriſti Regis aulam quærimus, & diverſis quamvis ſemitis Chriſtum ſequimur, ſua cuique vocatio, & ductus ſpiritûs, niſi vos aliter ſentitis. Nos Deo, Patriæ, & nobis nati, vitam mortalibus communem ducturi ſumus, donec in libertatem filiorum Dei plenè adſciſcamur, atque interim bonis ex alto datis jucundè fruimur. At ſenior (Apogonites dicebatur) odoratus candidi animi errorem, fori uſus momento ſumpta Melanorum recentioris inſtituti perſona, compoſitoque cum ſuſpiriis ad lachrymas vultu: O fili, inquit, non hæc vera vocatio, ſed occulti hoſtis eſt doloſa impulſio, cave præcipites, ducens in bonis dies tuos. Chriſtum ſequi, mundum contemnere eſt, abnegare ſeipſum, & tollere crucem ſuam, relictis patre & matre, omni ſanguinis affectu, rebus omnibus, etiam ſpe habendi. Hæc eſt vera vocatio, quam nos à Deo miſſi, vobis annunciamus. An putatis abſque ſingulari Numinis providentia factum, huc acceſſiſſe? Cavete Spiritui Sancto tempore acceptabili reſtiteritis, non aliàs exaudiendi, pœnas in orco æternùm daturi. Hæc iſte fictus animum, & pleraque ex Sacris Scripturis, qualia Chriſtus Phariſæis exprobrat, nonnulla etiam

ex Sacris Scripturis, qualia Chriſtus Phariſæis exprobrat, nonnulla etiam ex ſanctis Patribus, illud maximè Hieronymi: *Per calcatum perge patrem, ſolum pietatis genus eſt, hac in re eſſe crudelem.* Jam ſuſpenſi animis hærebant ſocii mutuò ſe intuiti; quos ego velut faſcinatos conſpicatus, ad ſenem concita maſcula bile; Deſine, inquam, Barbitrunce Philoſophe, hujuſmodi incantamentis adoleſcentes irretire, ſexcentis ego te Brocardicis obruam, ſi ſcripturam torquere pergas, ac ut me fors juvet, ex ſubvulturio venatore faciam te momento piſcatorem Tyberinum. Senſit Apogonites, & torvo ſupercilio, preſſiſque labris neſcio quid obſcuri demurmurans, arrepto, quod ſocius ferebat, vidulo, pulverem improbum illico expedit, omneſque nos, ac me potiſſimum inſpergit. Nec mora, ſoporifera vi ad ima tempora penetrante, in vertiginem actos, arctior, quàm ſanos ſolebat ſomnus complexus eſt; objectæ incunctanter, non earum rerum ſpecies, de quibus, ut de Homero ſcribit Ennius, vigilantes ſæpè cogitare, & loqui aſſuevimus; verùm quidquid vitæ in poſterum agendæ ſeries contineret, confuſæ imagines exhibebant. Nimius ſim recenſendo, quæ ego ipſe vidi, nam ſociorum alia ſcotomata, ſed ea ipſa in hiſtoriam conjicienda ſunt, ne prænarrata non ſapiant, quando quæ de Regno Solipſorum dicturi ſumus perſimillima ſunt ſomniis, vera tamen. Uno hic verbo delectat dicere; dum ſoporati per frigentes calenteſque aëreas plagas, navi, curru, pegaſo interdum vehimur, rapimur, totieſque aliis, atque aliis comitibus ſtipamur (nam bini illi, qui ad Tyberim Romæ incantarant, paulò pòſt viſi in turmam ſeſe explicare; humana forma depoſita, evanuerunt) tandem in Regia Solipſorum, evigilantes ſiſtimur. Quod iter mihi, cùm unius noctis ſpatium mentiretur, triennii curriculo poſtea à navigantibus definitum eſt.

C A-

Caput III.

Qui ſucceſſus in Regia Solipſorum.

Regnabat Avidus Cluvius *(a)* dictus infractus; manebatque Pricantiburæ Regia conſueta, unde Monarchæ Solipſorum, niſi animi gratia, in ſuburbana, nuſquam longiùs recedunt. In Urbe novem numerantur palatia Monarcharum, quibus totidem Satrapæ Præfecti hebdomadatim Monarchæ Sacramentum dicunt. Sedes Monarchæ in medio ſita, cum Vaticano certat, reliqua paulò minus; ſubſtructiones ſunt antiqui operis Europæi; nam Solipſi artis ædificatoriæ rudes ſunt, non naturæ indocilitate, ſed aſſuetudine, ſive quia parata ſemper occupant, ſive quia architectonicam, Monarchæ, & Satrapæ ignari, quibus lubet præſcribunt. Hinc repente qui modo ſutor erat, Architectus eſt, & perinde cæmentum, coriumque habet. In ſuburbiis totidem villæ deliciarum, iiſdem Monarchis inſerviunt; paulò longiùs abſunt prædia bina, Mucus *(b)* alterum, & Tritubirium *(c)*, ad humani generis voluptates facta, qua ſe gravioribus anni partibus curas levandi recipiunt, nectare, & ambroſia paſti. Horum comparatione Tuſculanæ Romanorum, mappalia ſunt, & caſæ paſtoritiæ. Pergo. Huc jam fama prævolarat (ita nihil ſolertius Emiſſariis Solipſorum) fuiſſe interceptos in Europa, atque adeo in ipſa Urbe Romana, quaternos adoleſcentes, ingentis operæ pretio; eoſque prope horam adfuturos. Ea de cauſa plurimi extra Regiam Monarchæ juſſu effuſi, excepere allabentes læto vultu, humana omnes ſpecie, ſed verſatili perſona. Deducimur ad Monarcham, undique ſepti non cuſtodia, ſed turbæ objectu, ut tum nihil Urbis, ſed nigras tantùm excubias cerneremus. Lux ſabbatica vergebat ad occaſum. Cum pri-

Dd 6.

(a) Claudius Aquaviva Præpoſitus Societatis.
(b) Tuſculanum. *(c)* Tibur.

primùm in conſpectu venimus, proni ad pedes accidentes, ut juſſi ab Apparitoribus, adoramus. Ille ex eburnea ſede annuenti & arridenti ſimilis, bono animo eſſe jubet, ſingulos nomine, & patria compellans, & plura, quæ relatu Emiſſariorum jam notata in adverſariis habebat, repetens, per interpretem ſignificat, adeo exacta notitia, ut ſingulorum geneſi, & educationi interfuiſſe videretur. Hærebamus attoniti nos, & paulatim hebeſcente ſenſu, hominem exuebamus: nec, de itineris ſucceſſu plura veſtiganti, verbum reddidimus. Cùm interea circumſtantes Aulici, exquiſita oratione divinam Monarchæ ſapientiam coram laudare, ut qui ex fronte, cordium indolem, errore procul, noſcere ſit ſolitus, nobis ſtupentibus, ac planè ſtupidis. Tum ille præfecto Ephæbiorum traditos commendat, ut linguam, leges, & mores doceat; jubet, menſtruatim de ſingulorum profectu referat, vetito cum civibus & accenſis colloquio, donec patria inſtituta edocti, novo Sacramento pares eſſemus: ac interim diligenter curet, ne Europæ deſiderio, procul etiam recordatione, teneamur. Ita abducti: & non paucis diebus optimè habiti, genioque indulgentes, tandem nullo ritu veſtibus Europæis exuti, gauſapina penula amicimur. Nunquam ego mihi turpior viſus, nec hominem niſi cum ſimia referre. Ridere tamen capitale erat. Sexennium tenuit diſcendo, ac dediſcendo, niſi quæ ad rem Solipſorum facerent: quo talento, ego qui Juriſconſultus Europæus agnitus fueram, poſtea rationibus Regiis admoveor, mox & præſidum Provinciarum aſſeſſor, nonnunquam cauſarum Judex conſtitutus; identidem odia multorum, tandem & Monarchæ indignationem incurri; quòd rumor eſſet, ad mores Europæorum omnia me exigere, leges regni corrigere, plus juri naturæ, quàm Monarchæ auctoritati tribuere, in plerîſque dictamina contraria ſectari, & ferere; verbo, plus omnibus Regni Satrapis, & ſapientibus ſapere velle. Quæ omnia verè, an calumnioſè objecta, fortunam retardarunt, interdum penè affixerunt, ut mirum ſit qua fortitu-
dine

dine animi, quinque & quadraginta annos, in genere, gentibus, omnibus diſſona, cum ſalute fuerim eluctatus.

CAPUT IV.

Antiquitas Monarchiæ Solipſorum.

SI gentis vetuſtatem legibus & Principe ſolutæ ſpectes, fabuloſa planè ſunt, quæ narrant. Nempe regnum ſuum, antequam Intelligentia rerum creatrix mundum operaretur, in ſpatiis imaginariis, velut in embryone, latitaſſe, primumque factitiorum in ideâ opificis apparuiſſe. Qui, ne ſolus foret Univerſi faber, ſocios, & adjutores ſibi deſtinârat eos, per quos poſtmodum Solipſorum gens propagaretur, ac demum Monarchia inſtauraretur. Hæc adeo conſtans apud eos obtinet opinio, ut ſi contra ſentias, aut non continuò applaudas, proditioni inſimuleris. Quærenti mihi interdum de ſucceſſione gentis, uſque ad Brotacanum (*a*) primum legislatorem, varias generationes adſtruxerunt, involutis adeò hieroglyphis implexas, ut dementire, & dementare viderentur. Poſtquam tamen in Archivis eorum offendi Pentateuchum, lingua gentis planè in commenta depravatum, longa animadverſione deprehendi, ſimilitudine quadam adludere ad ea, quæ in genuina ſacra Scriptura longè alio traduntur ſenſu. Eſt autem hujuſmodi ſucceſſio. Decreto per aquas humani generis interitu, cùm viventium ſpeciem ſervandam Noachi navis condidiſſet, excluſum forte aquilæ ovum, in ſentinam decidit: hoc, corvus evolare juſſus, ne fameſceret, roſtro ſublatum extulit, ſed natantibus in unda cadaveribus illectus, demiſit. Servatum in aquis ovum, ubi hæ ſiccatæ ſunt, ſolis radiis attractum, in arcu Iridis hæſit; mox autem calore in vitam coactum, edidiſſe ajunt fortes illos viros, Turris Babylonicæ, & confuſionis auctores,

(*a*) Cantabrum, i. e. Ignatium de Loiola.

res; qui ob audax facinus, peregrinari à Numine juſſi, cum Sodomam veniſſent, liberali hoſpitio Loth excepti, cuſtodiendæ ejus familiæ curam ſuſceperunt: deinde verò imperato exitu in Segor ſtipante: latera uxoris Loth, quia non caverunt, ne iſta curioſos oculos ad incendia Sodomorum reflecteret, in eandem ſalis ſtatuam abierunt. Sic ſervati aliquot ſæculis ſunt, donec avulſa pars ſtatuæ à Magis Pharaonis, argumento rerum mirabilium, in Regiam illata eſt, atque à Pharaone ſupra pretium habita. In ea parte latebant, quos dixi, Solipſorum majores: & hinc ea virtus incantamentorum, quibus Pharao deluſus eſt, hodieque Solipſi pollent. Quid plura? elapſo, Duce Moyſe, populo Hebræo, cùm Pharao furore percitus inſequeretur, ſumpta ſecum ea ſalis concreti portione, quo fugientes magica violentia ſiſteret, contra ſpem, æſtuoſi maris vorticibus hauſtus, id quoque fruſtum perdidit, ſed eò mox aquis ſoluto, continuò apparuere, qui latebant Heroes, iidemque egregiè ſaliti, & per omnia maria natantes, quocunque appellebant, ſalem ſapientiæ circumtulerunt. Ita paulatim in generationes, & uſque ad hæc tempora propagati, Monarchiam, quam deſcribimus, fundaverunt. Ex hac traditione ſuſceptum, ut Monarchiæ inſignia ſolis radii ſint, & arcus Iridis: gloriantur quippe Solipſi, ſe mundum inſtar ſolis illuminaſſe, mortalibus univerſis, in ſignum pacis & fœderis ſempiterni cum cœleſtibus, inſplenduiſſe; denique humanum genus veræ ſapientiæ ſale condiviſſe. Quare ſi præſentem Regni ſtatum, & aſſurgentis Monarchiæ magnitudinem conſideres, non admodum antiqua, ac ſaltem priſca regendi forma non eſt. Ex Annalibus deſcriptum habeo tertium ſeculum haud excedere, à quo exſplendere tanta granditate cœpit, latis à Brotacano (*b*) legibus, quem, & legislatorem poſtremum, & Regni ſic conſtituti primum Monarcham agnoſcunt, veneranturque; rarò ut Brotacanum, niſi cernui & reverentes appellent: Bar-

(*b*) Ignatio de Loiola.

Barſabbantinous (*c*) ſcriptor celebris, hunc ſuæ gentis Turbolanorum (*d*), ad Solipſos miſſum à Rege Chornaminorum (*e*) tradit; quo ipſos legibus informatos titulo beneficii ſibi obnoxios redderet: contra Saltalcudius Pagonias (*f*) nobilis hiſtoricus, Hyantheſiorum (*g*) nationi adſcribit, & à Principe ditionis eadem de cauſa amandatum. Pernegant utrumque Solipſi, & tantam gloriam nolentes eſſe inſititiam, è ſuo ſinu prognatum, ac propemodum autogenithentam immenſæ generationis parentem affirmant. Ita ab ovo ad pomum contentio deducta adhuc pendet.

(*c*) D. Conſtantinus Cajetanus, Abbas Benedictinus. (*d*) Benedictini Monachi. (*e*) Monachorum. (*f*) Joannes Baptiſta Caſtaldus Theatinus. (*g*) Theatinorum.

CAPUT V.

Nomen, Religio, & Sacra Solipſorum.

NOmen, antiqua Magogorum lingua, Deorum omnium providentiam ſonat: id ſibi ſummæ gloriæ vertunt Solipſi, non ut cæteris gentibus unum, verum omnes univerſim Deos ſibi adeſſe, & Monarcham revereri. Nonnulli ex Europæis adulati, ita reddiderunt, quaſi ſoli ipſi, tanto Monarchæ ſubditi, etiam apud Europæos, mortalium haberentur beatiſſimi. Id ita Monarchæ arriſit, ut ſingulos ſingulis Satrapiis donaret, excelſæ gloriæ ducens, eo loco apud eos eſſe, quos præ cæteris ſibi ſubdi in votis haberet. Horum exemplo officii monitus, addidi, Solipſos Europæis ſingulos ſoles eſſe, tot mundis illuminandis idoneos: Monarcham tamen ſuper omnes, mille mundis regendis, illuſtrandis parem eſſe, idque totum unius vocabuli Solipſorum myſterio contineri. Nimium dixi, nunquam aliàs magis mentitus, quia captare nunquam doctus. Et placuiſſem præ omnibus, niſi propter veriora Monarchæ favor abdixiſſet. Ne

tamen fruſtra titillaſſem, torquem aureum medii pretii tuli. Hæc de nomine. Religio à pagana diſtat non ſuperſtitione, ſed varietate. Omnium gentium mores, & ritus complexa, omnes nihilominus averſata; ſingularis quædam nullique communis mortalium generi ſecta eſt. Quæ credit non quia à Numine quopiam, verùm quia à Monarcha jubetur, mordicus tenet: Monarchæ dictum illis ratio credendi. Hic ſummus ſacrorum Antiſtes, à quo provocare, vel ad Numina, nefas. Nulla gens novitatum avidior, unde & opinioſiſſima, & ſemel auditi tenax, nec paucæ apud Romanos damnatæ ſententiæ, illis primæ veritates ſunt. Reſurrectionem cum Phariſæis admittunt, ſed eorum, qui Monarchæ aut ſubditi ſunt, aut amici, aut demum privilegio muniti migrant, quibus ſolis aditum ad beatorum vitam affirmant, excluſis qui vel re, vel voto Monarchæ favorem non implorant. In quo cum Herodianis ex parte conveniunt, & quatenus arbitrio Monarchæ omnia ſubjiciunt, cum Sadducæis. Quod ad ſacra attinet, Egiaſas (*a*) habent (ſic vocant fana, templa, baſilicas) & ſtructurâ magnificas, & cultu pro more ſplendidas, araſque in iis auro, gemmis & lapidibus pretioſis luxuriantes, nullo argenti pretio. Exiſtimant in his ſuorum eſſe Deorum delitias, alliciendis etiam aliarum gentium Diis factas, quos contempta apud ſuos paupertate huc migrare credunt. Quot diebus victimas cædunt, in ſolemnitatibus adhibito vocum, & inſtrumentorum concentu, ſua ſacra peragunt. In iis tibiæ utriculares, & cruſmata Bethica primas ferunt, mirumque in modum Solipſos delectant. Ter fere in anno Tutelarium memoriæ Monarcha ipſe (alioqui opertaneus) publicè litat ad aram magnifico apparatu tiara quadrifida, ad ſignificandos quatuor Orbis cardines, inſignis: latera utrinque ſtipant lecti ad id munus Satrapæ, ſtolis amicti dibaphis: reliqui miniſtri magno numero linteati, laici omnes ſuo quiſque munere funguntur, hoc ipſo ad horam

(*a*) Eccleſias.

horam ſacri, quod à Monarcha ad præſentem uſum deſtinantur, cæteroquin nullo ceremoniarum muneriſque habitu, ut apud Europæos Diaconi, & Subdiaconi diſtincti, ſed perinde omnes è populo, & plebe Monarchæ nutu cenſentur idonei, dum togati, & ſyndone ſemitecti interdum, & ſyntheſiati. Eſt tamen qui Exorciſtam referat lacertoſus canum verbero, hic, torto in flagellum cannabo, ubi beſtiam conſpicatur, nunquam fallente dextera, ſic totis viribus atrocem vibrat ictum, ut inter ejulatus, ad retrimenta cogat, idque illi præmium redit. Veſpertina ſacrificio autothyta ſunt, procul ſacerdote, & Levita; Laicus duntaxat ſyntheſiatus, ubi cereos ad aram nullo ordine accendit, continuò latet, ac interim ex editiore pegmate, tibialibus, calamis, moduliſque vocum aſſarum, organicarumque concinitur auditoribus deorſum in coronas diſtributis, & murmure rauco plaudentibus: Ita ſacrificium abſque ſacrorum miniſtro, virtute arcana, conſummatur.

Caput VI.

Gymnaſia, & ſtudia Solipſorum.

HAbent gymnaſia pro ratione Urbium ſplendidi operis. In iis magno diſcipulorum concurſu docent artes, & ſcientias ex inſtituto gentis. Principiis tradendis plures annos terunt, tracta in diſpendium juventute. Quæ tum maximè cenſetur profeciſſe, cùm theatricis exercita ludis, ſpectatorum oculos novit mancipare, ſpecie, & ingenio juxta certantibus. Huic faſcino, cæteris neglectis, omne ſtudium impenditur: Leguntur idcirco adoleſcentes comptuli, venuſta corporis agilitate quaquaverſum facti, ſivè ad modos choreis plaudendum ſit, ſive graphicè ad pyrrichen ſaltandum; quorum vel ſi lingua taceat, forma perquam eleganter in utroque foro peroret. Ita capiunt pleroſque, capiunturque viciſſim, à vulturiis altius erudiendi. Et licet cati evadant plagas, ingeniis

ad

ad theatra aſſuetis, doctrina eſt geſticulatio, cum pronitate, an procacitate fandi, agendi, conjuncta: Ut nobiliſſimorum liberi, qui nuper vocabulo Gymnaſii (*Principelli*) audiebant, gladiatores, aut circumforanei apud ſuos appareant. Ea interim utilitate relicta iis, quorum nec vultibus Venus, nec cenſibus Plutus ineſt, ut nec ludis perſonatis, nec litterariis adhibiti, in trivio penſum eruditionis accurent, & Reipublicæ proficiant. Pergunt deinde ad Philoſophica, demum ad ſua Theologica pari eventu. Nihil memoriter, omnia ex cæra enuntiant, extra ſcamnum pauci admodum ſapiunt. Juris ſtudium apud eos nullum, quando judicia non legibus, & ratione, ſed ſolius Monarchæ auctoritate conſtant. Agitant verò quæſtiones de Regimine (*Monarchales* vocant) ſeorſim, & coram delectis auditoribus. In his præcipua contentio, *de modo conquirendarum, ſervandarumque ditionum, de arte, utilitate, & neceſſitate ſimulandi, de amphibologiis, æquivocationibus, reſtrictione mentis omnique ſpecie enthymematum ritè adſtruenda, pro loco, re & tempore.* Quo in genere tam excellunt, nullis ut difficultatibus expediendis non occurrant, æquatis ad omnium palatum quibuſvis contrariis ſententiis, ſupra omnes Juris Europæorum apices. Medicinæ profeſſio illis publicè nulla, privatim ſuperflua, multiſque uſus, & ſtudium præcipuum in ſecretis præſervativis, quæ aut ipſi domi parant, aut peregrina arte facta ex ultimis terrarum Orbis finibus mira induſtria advehunt. Hinc tot inter eos Macrobii, quibus tamen ſemel decumbere plerumque fatale eſt, eoque cura quàm maxima, ut ſe ſervent. Nec mirum ſi qua ætate nos Europæi deficimus, ipſi emergant ad tractanda Reipublicæ munera per multos annos velut prætextati, & ſine togis. In Philoſophicis, & Theologicis ampla ſentiendi libertas eſt, & inſignis habetur, qui in docendo opinioſus, inveniendoque excellens, nullo reſpectu veri, dum novi aliquid aut nondum vulgatum afferat. Hinc quotannis receptæ ſententiæ proſcribuntur, novique termini, novas pariunt artis & ſcientia-

rum

rum præceptiones, nec à nuperis Magiſtris recentiſſimi intelliguntur. Jam inter publica doctrinæ ſpecimina, non tam methodicæ diſputationes, quàm jurgia audiuntur citra formam, iſque vincit, qui vocalior eſt; & totius corporis jactatione turgidior effertur, circumductis per coronas oculis ad plauſum captandum, ſibila plerumque & riſus referens, idque ab Europæis in ignorantia faſtum nauſeantibus. Ariſtotelis apud eos non alia notitia, niſi quam Europæi intulerunt, nulla tamen auctoritas, ut neque Scholaſticorum in Theologicis. Habent quoſdam ſuos ſcribas, magni ut ajunt nominis, ii tamen cum iis non omnibus horis ſapiunt. In his Phancurſius (*a*), Agarrullius (*b*), Hellinaſius (*c*), Homatarrius (*d*), Dicoſenius (*e*), Banimonicus (*f*), Pentaſiphorus (*g*), & alii quàm plures, quorum catalogum Annales Regni recenſent. Philoſophica apud eos fere hujuſmodi ſunt. *An Scarabeus paradigmaticè ſtercora volvat in orbem. An ſi Mus in mare mingat timendum naufragium. An puncta mathematica ſint receptacula ſpirituum. An hiatus ventris, ſit ſpiraculum animæ. An canum latratus lunam reddat maculoſam*; & plura id genus, quæ pari contentione dictantur, & excipiuntur. Theologica ſunt. *Utrum in ſpatiis imaginariis poſſit inſtitui navigatio. Utrum intelligentia* Burach *dicta habeat virtutem digerendi ferrum. Utrum animæ Deorum ſint coloratæ: An Dæmonum excrementa ſint alexiteria hominibus in octavo gradu. An tympana corio aſini intecta delectent intelligentias.* Sexcenta hujuſmodi, quæ adeo mordicus, & tumidè iſti profitentur, ut negligentes, nedum contemptores, Religioni ferant obnoxios. Quæ nos Europæi interdum de Noſtratum Theologia referebamus, illis inter phreneticorum deliria erant, à Monarchis toto regno proſcripta. Et tenebant memoria ſuorum annalium, veniſſe huc quoſdam aliquando

(*a*) Franc. Suarez. (*b*) Gabriel Vaſquez. (*c*) Leonardus Leſſius. (*d*) Thomas Sanchez. (*e*) Coninck. (*f*) P. Baptiſta. (*g*) Gregor. Valentia.

quando Profeſſores Europæos , qui ſe Theologiam novam docturos recepiſſent ; his, cùm permiſſu Monarchæ in Regio Gymnaſio ingenium periclitarentur, & de libertate humani arbitrii , cujuſvis Monarchæ poteſtati exempta liberiùs dixiſſent , juſſu magiſtratus ejectos eſſe in Inſulam Imaginariorum, ne populos ea doctrina, ad libertatem , ſervitute excuſſa , provocarent. Quæ nota , omnes , qui tunc aderant, Europæos , in magnam gentis invidiam adduxit : quoad alii recens appulſi , palam perhibuerunt , Doctores illos , nulla inter Gymnaſticos auctoritate palabundos vagari , ſolitoſque per Europam qualicumque docendi talento ſtipem adhamare , nuſquam conſtanti diſciplina ; nec ſemel vilibus exactos, quod Academiis occupatis, ſtatuta , formamque docendi majorum minime ſervaſſent, exotica omnia conſectati, eoque maxime exoſi , quòd in legum fraudem precariis quibuſdam privilegiis Doctores inſigniviſſent, ipſi nec lauro, nec cornu baccati; verbo , Doctores imaginarii. Hæc ab advenis Europæis palam narrata , exiſtimationi reliquorum conſuluerunt. Porrò Scribarum ſuorum aphoriſmis adeo tenaciter inhærent, ut Numina potiùs deſciviſſe , quàm ſuos erraſſe affirmare malint. Ex ſuis pura puta omnia , ex aliis fecutina hauriri paſſim jactant, nec quicquam penſius eſt, quàm deſpretis exterorum omnium oraculis , Delphica ſua , præ omni Lyceo, laudare : ut jam Sceptici iſti Pyrrhones & Herilli, adeoque Speutici, & heſterni dictatores, de omnibus audeant palam ſtrepere & ſcribillare ; quinetiàm medicamentaria omnia tam pancraticè tractant, quàm nec circulator ille Apuleii , qui ſpatham præacutam mucrone infeſto viſus eſt devoraſſe ; aut quem Paulus Juriſconſultus ſerpentes circumferentem juſſit excedere. Adeſte Vulnerarii , Unguentarii , Mangones, Ceruſſarii: hic neque Rhodios confectores deſideretis, nec qui Cypriæ tabi obnoxii eſtis Clinicos , & Seplaſiarios : ſed neque aliorſum vos ablegaverim , qui ad rubricam, aut album aſpiratis, accedite & formularii, Solipſorum Pandectas ſcrutamini. Quid ſi & Plautinus Cho-

Chorus attrahatur ? Omnia certè hic (juxta proverbium græcum) de omnibus: nec mica Æſopo reſidua. Quod ulterius pertinet ad Scribas Solipſorum, in eo ſuperant Hieroſolymitanos, quòd non ſuas, quæ conſuſæ ſunt, & inexplicabiles, ſed aliarum gentium leges præſumunt interpretari, inducere, pro arbitratu corrigere, tametſi nec conſtituti, nec rogati, imò magis ſuſpecti, quàm ut ad hanc rem idonei. Exemplum inter alios offertur Reſultantii *(a)*, ubique originarii, qui leges Muſalganorum *(b)*, quaſi non ſuo jure, ſed alieno beneficio viventium notans, ita Principem ferocis populi irritavit, ut Monarchæ Viboſnato *(c)*, niſi hominem aut dedidiſſet, aut ipſe è medio tuliſſet, bellum indixerit, & Solipſos ubique funeſtare decreverit. Extimuit illico Viboſnatus, & quæſitum Reſultantium, cùm ad nutum Principis ſtetiſſet, is hominis aſpectu miſerando mitigatus, cùm ſomniaſſe illum potiùs, quàm vigilaſſe dicendo conjeciſſet, ut quem dictorum immemorem timor an feciſſet infelicitas, alio pacto tranſegit; jurato nimirum Viboſnato, ſe ſuoſque Solipſos in poſterum legibus latis, ferendiſque Muſalganorum, nullo religionis diſcrimine ſubſcripturos: Reſultantii autem dicta, & ſi quæ aliorum ſui generis eſſent, carbone ſignaturos. Ita placatus Muſalganorum Princeps, bello quidem abſtinuit, ſed ſonticum Reſultantii argumentum in medio foro flammari juſſit: ridentibus interim Muſalganis, tam facilem ſe habuiſſe Viboſnatum, qui tali fide bellum redemiſſet; aliis verò laudantibus prudentiam viri pro omni foro, ſuam ſuorumque conſcientiam verſare gnari. Quo exemplo adducti reliqui Principes finitimi, Solipſorum apophthegmata ſæpius deinceps proſtare valuerunt.

(a) Antonii Sanctarelli Jeſ. *(b)* Gallorum. *(c)* Mutio Vitelleſco.

Caput VII.

Varii Solipſorum mores.

Nihil hac gente curioſius aut natura, aut aſſuetudine. Student ſinguli novis, plus quàm olim Athenienſes, quæ deinde in ſymbolum collata ad Monarcham referunt, præſcribuntve ſuis conſequiis, & conjecturis inſpergentes; idcirco perſæpe, & perfœdè aberrantes, ut nec ſomniare fractius, nec fingere magis abſonè queant. Hoc certum nihil ab illis viſum, auditumve, ſine addito renarrari, quidquid inde præjudicii oboriatur. Periti rumorum collectores, omne forum ſuum faciunt. Progrediuntur ex aula, non niſi pluribus comitati. Ex his unus ſemper latero, non Achates potiùs quàm obſervator; hoc ſibi officii mutuò præſtant, rarò fida ſocietate, niſi conſpirent. In inceſſu minimus decor, concitatio immoderata, ferocula circumſpectio, jactata brachia, ſubducta humeris pendens toga, interdum tota ad tergum manibus ceu revinctis adſtricta; non ſemel ſi æſtus urgeat detecto capiti, aut galerus agitatus auram miniſtrat, aut ſtrophium manu ventilatum, nunquam interea per omnem circuitionem feriante vocaliori lingua. Salutationes raræ, niſi quos ſibi utiles norunt, his profunda inclinatione arrident, cæteris (etſi dignis) neglectis, gravitatis, ut ajunt, cauſa. Hæc ſi in Regia, nihil minùs per univerſam. Monarchiam, lege conſtituta, ut ſaltem ſemel in anno viſa, audita conjecta perſcribant, unde Monarcha futura deſignare queat certiùs quàm ex aſtrorum poſitu, Cœlique directione. In his perſcribendis numquam ſe ſua laude fraudant Satrapæ (*a*), Rectores Provinciarum (*b*), ut in Annalibus gentis vulgentur nomina, ſub quibus ea geſta ferunt. Illud admirandum, neminem prorſus Solipſorum leges Monarchiæ univerſim

(*a*) Aſſiſtentes. (*b*) Provinciales Societatis.

ſum callere, ſed confuſè de iis loqui, & ſentire. Cauſa potiſſima, præceptionum multitudo, inconſtantia, & ſtudii abſtinentia. Juvenibus quippe legendæ non traduntur; ſeniores verò jam oculis, & animo lippientes, ut inde ſibi, aliiſque profiant, idonei ampliùs haud cenſentur: hinc confuſa omnia, capiendo juxta, ac agendo. Sed nec juvat legiſſe, aut ex ſenſu percepiſſe, quando in dies mutantur ad unius nutum, nec ut ſonant ad litteram, ſed ut ſapiunt ad ejuſdem palatum explicantur. Schediaſmata quædam, ſummam legum complexa, initiandis proponuntur, & deinceps per menſes, hebdomadaſque recoluntur; verùm hæc ipſa anima ſua carent, & ſolo ſpiritu Regentis vivunt, ex cujus ſenſu, quod hodie patina, cras cacabus; quòd fritilla, fluta audit; ſi improbes, exilium inſtat perpetua hac inclamatione, *Aut pareto, aut exeſto*, & obediendum uſque ad beſtialem (ut vocant) virtutem, alioqui nec Solipſus, nec homo. Hac lege ſtetiſſe ab initio Monarchiam, ſed conciſa Monarcharum vita, ſtaturamque in poſterùm ſapientiores putant, ſed conciſo munere, variaque ſucceſſione; quando uni perpetuò, pari tenore ſubeſſe vix humanum eſt, ut neque facile, diuturnum Principem non inſoleſcere. Omnes jurant in præcepta, ſed plerique parent illibenter, neque tamen detractare audent nec mutare ſtatum, carentes calculo decretorio: ſcilicet Numen aliquod incognitum avent, quod res convertat, & ſacramento pœnitendo exolvat, aliàs vel ſi Cœlum ruat, actum eſt. Monarcham ſuum tam verentur, quàm numquam Europæi Romanum Pontificem, pene ad aras & thura. Nomen ſi audiant, pedibus ſtrepunt, hæc illis prima reverentia: ſi hominem videant, fronte humum feriunt: ſi jubentem excipiant, pavidi currunt, mutuòque ſe proculcant, adeo tumultuarii in parendo, multaque manus citra bonum factum. Summa omnium cura, ut is, vel ſolus bene valeat, cæteris animam agere indultum. Edit inviſus, ſecretis ſervitiis; nonnunquam cum Satrapis, ſed hi extra conopeum, quod variis coronamentis intextum luxuriat; nec pavimentum vacat inſcriptis Nu-

minis

minis inſignibus, non extra calcantium metam. Singulis horis antelucanis potionem ſumit Numidicam impenſè decoctam; capiunt & Satrapæ, probi imitatores; ſed & plebei, quibus copia eſt: ea his omnibus, cautela, ne apepſia laborent. Qui in aula Regiis cibis veſcuntur, mille ferè miniſtri, ſine ordine, plebeii cum nobilibus mixti: in ſolemnibus conviviis Satrapæ priores habent. Inter epulum uniſono monochordio, voce aſſa audiuntur quædam ex vetuſtis annalibus ad plauſum ſorbentium. Accumbentium elegantiæ ſunt crus cruri ſuperponere, expanſis ſuper menſam cubitis metari, pleno cratere panem macerare, appoſitiſque ferculis altera manu in catino, altera in cratere natare, & hinc fruſtum panis, illinc bolum carnis extractum, unà utrinque buccæ tumenti ingerere: ac ut non præmanſa citiùs in vontrem deſcendant, poculum mero plenum, aut ſcutellam potagio redundantem confeſtim affundere, tam dextrè ut refluat per mentum, diluatque barbam. Jam edentibus velocitas compendium facit, vorare, non manducare dixeris, ac ne prævertantur, integros bolos deglutiunt; raro inſtrumentorum uſu ad dividendum, ſed utraque manu rapta ex paropſide portione, ſi præſertim oſſa adhæreant, hianti ori admovent, citiuſque dentibus depaſcuntur, quàm ſoliti ſint vel moloſſi, vel oribaſii. Væ tardè maſticantibus! Jam qui penſum citius abſolvunt, cæteris adhuc laborantibus, ne ferientur, feſtucas promunt, vel ſi careant cultris, dentes ſuffodiunt, micaſque, ingeſto in os vino, cum ſaliva reſorbent præter nauſeam. A menſa cùm ſurgitur, ſi quid boli in ore nondum confectum, medio in cœnaculo molitur, circumductis oculis in reliquos, ceu teſtes eximii facti. Nec omittendum, quoſdam poſt exhauſtum merum ſonantius reſpirare, ut ſapidè bibiſſe noſcantur, eoſdemque poculum vacuum reponendo fortiùs allidere: alios ſorbillando paulatim, alliſione gutturis ſtridorem edere rheumaticum: Quoſdam jurulenta cochleari haurientes, ubi ad ima venerint, adeo ſonanter radere fun-

dum,

dum; & concava ſcutellæ, ut ſocios ad claſſicum ciere putes: quamquam rarus cochlearis uſus, ubi jura liquidiora, ut hauſtui paria ſint. Alios item amygdala, nuces, nucleum perſicum fracturos mappæ imponere, aptatumque cultrum ad findendum pugno impellere, tanto ſtrepitu, ut incudem verberari arbitreris. Plures hujuſmodi habent morum elegantias mira concinnitate exercitas: omnium elegantiſſima eſt, ſtrophiolis ut parcas, ora, mentumque, dum editur, mappa uvidiore abſtergere, frontemque perfricare: demum emunctam è naribus fœdam, mucoſamque pituitam repanſo linteolo intueri, in eaque velut in ſpeculo ſe contemplari. Sed hæc ſatis de hoc genus civilitate. Quod reliquum eſt, nobiles ſibi obvii mutuò ſe utrimque ex lege adſalutant, plebeii nequaquam; ſed neque nobilibus, neque popularibus honorem habent tametſi præveniantur. Id privilegii Monarchæ neſcio cui referunt acceptum, ſicut etiam adeundo, deducendo, ſeſſione, & petaſis omnibus eſſe pares. Quin verò ligonibus natum hoc genus, cum doctiſſimis contendunt, ſæpiuſque vincunt favore, & clamore; addo etiam delatione, quando ut ſupra memini Nobilibus (*a*) laterones adduntur, & obſervatores: hinc, mirum quantum quotidiana acceſſione efferantur magnarum turbarum cauſæ. Et miſera ſanè conditio, unius bubulci atteſtatione de nobiliſſimorum fortunis agi, mendaces impunè agere, ne ſi coerceantur, defuturi ſint accuſatores, quorum officiis regitur Monarcha: hinc, bene, & ex virtute operantibus rara præmia, minimum errantibus lauta ſupplicia, adulatoribus primæ, modeſtis poſtremæ, vel nullæ partes; vera loquentibus parata odia. Verùm hic finis eſto non materiæ ſed ſcriptionis; numquam aliàs de cacoëthia Solipſorum ſatis. Reliqua pete ex noſtris Solipſorum chronicis, ubi & præclara facinora per annos, menſes, dies digeſta, & mores ad rhombum examinati.

(*a*) Profeſſis quatuor votorum Societatis.

Caput VIII.

Magiſtratus, & forma regendi Solipſorum.

ANtequam de Legibus, Comitiis, & Judiciis Solipſorum agamus, formam Monarchiæ generatim adumbramus. Monarcha, ſupremus mortalium à ſuis creditur, nec niſi poteſtatem quandam occultam, numquam viſam, ſupra ſe agnoſcit, cui reverentia quædam arbitraria reſpondet: cæterùm lege omni, etiam naturæ, ſi mortem & infirmitates excipias, ſolutus. Idem perpetuus eſt, perinde optimus bonus an malus, quod capitale ſit ullum ejus factum non laudare; nedum improbare. Durum id non paucis Satrapis, ſed inviti tolerant, quod incauti & ignorantes probant. Cur Monarchæ tempora non definiant, quatuor cauſæ à ſcribis perhibentur. Prima, quòd difficile eſt ſemel dominio ineſcatum, rurſum in ordinem redigi. Secunda, ne cæteri, ſi ſors ferat eadem ſuavitate, brevi tempore, & minùs jucundè perfruantur. Tertia, ne ſæpius mutata Curiæ facie Reſpublica perturbetur, nulliuſque Satraparum conſtans ſit principatus, ſi toties depoſitis, qui adulando meriti ſunt, novi ſufficiantur. Quarta, eſt ſacramentum occultæ poteſtati dictum, ſine cujus vehementiſſima in contrarium ſpiratione, nefas eſt de hac perpetuitate tollenda cogitare. Eſt ſanè occulta hæc poteſtas, quam raró pro re ſua coacti appellant, in cæteris, auribus, & ſtomacho famulantes. Reliqui ſecundum Monarcham Magiſtratus, ejuſdem nutu, & arbitrio lecti, ita diſpertiuntur, ut duodeni aſſiſtant in Curia, arduis quotidie conſiliis præſentes: centeni ad regendas totidem Provincias emittuntur, ſed locales ſingularum Urbium præſides, ſine numero conſtituuntur. Tam verò illi, quàm iſti, ſuos habent Conſiliarios, Accenſos, Apparitores, & viliſſima quæque ſervitia, quæ numerari vix poſſunt. Hoc conſtat, in ipſa Monarchæ aula, qui auctoritatem Potentum habent, centenis ampliùs cenſe-

cenſeri miſſis delatoribus, ne nullus eximatur, quomodo fere tot ſunt quot impunè hac via graſſantur ad Dignitates. Hi porro magiſtratus ita ſibi reſpondent, nihil ut Superiores prætereat geſtorum ab inferioribus. Ad Monarcham autem ſtatutis temporibus perſcribuntur, quæ in tota Monarchia univerſim publiceque ſpectantur, & quæ in ſingulis provinciis, urbibus, domibus atque etiam in angulis clam geruntur, nulla re quantumvis minima prætcrita, quidquid referat, dum Monarcha reſciat. Cujus potentia maximè in duobus creditur vulgo eminere: de alio mox dicemus, alterum in re præſenti verſatur, quòd ſecretas etiam ſuorum cogitationes perhibetur comprehendere & callere. Nam qui perſcribunt, non duntaxat rimantur facta, quæ viderint, ſed quæ facienda præimaginantur, ſola lege liberè cogitandi, fingendi, placendi. Servantur verò Acta in Archivio Curiæ vaſtis inſecta Indicibus ampullariis, ad memoriam ſupplicii, non præmii; hoc enim vel maxima de cauſa raro, illud ex leviſſima ſæpius, certiuſque decernitur, ne ſuo merito quiſpiam, non arbitratu Monarchæ fiat gratioſus. Itaque nullus hic Aſſuerus, & ſi non pauci Mardochæi, quàm plurimi verò Aman digni patibulo. Jam regimen Satraparum, qui Provinciis aut Urbibus præſunt, perpetuum non eſt; ſed ad nutum Monarchæ ſeriùs, aut citiùs expirat, quamquam favorabiles perſæpe luſtrum explent. Sic ad paucos inopinos deerrant honores, melioribus præteritis, ne hi ſuopte Marte valeant. Nam cæteri animis & ſenſu obærati, Monarchæ ingenio vivunt. Et hoc alterum illud eſt quod Monarchæ potentiam exaggerat, duo nimirum inter ſe pugnantia, ſupra naturæ vires in unum connectere; hoc eſt imprudentes, & judicio caſſos populis præficere. Dudum in Europa apud Jeſuitas didiceram, Entia rationis, quæ ipſi vocabant fictitia, in unam eſſentiam coaleſcere, nulla potentia ſalvis rebus poſſe; quæ doctrina trimeſtri in Logici ſcriptione, vociferantiſque toties uſque ad ravim miſeri magiſtri, fruſtra ſtetit. Qui niſi deliraſſet, præce-

pta, Solipſorum animo ſapientia, trimeſtri alio recantaſſet. Rideant porrò Europæi, quantum velint Solipſorum inſtituta, dum agnoſcant hac arte, nec alio exemplo Monarchiam ſervari, & æſtimari.

Caput IX.

Status Monarchiæ Solipſorum.

Quinque hominum genera hæc Monarchia continet. Nobilium (*a*), Populi (*b*), Artificum (*c*), Plebis (*d*) & Adiaphororum (*e*). Qui omnes univerſim ab ipſo Monarcha, prævia de vita & moribus informatione, leguntur; Adiaphoris per Provincias cooptandis, Præſidibus quoque fit poteſtas. Regno tamen & Civitate non donantur, antequam ut reliqui peculiaribus cuique generi ſacramentis in unum dictorum ordinum ritè adſcribantur. Omnes ſine exceptione fidelitatem Monarchæ jurant, Nobiles præterea militiam, ubicumque & contra quaſcumque gentium, non petitis ſumptibus promittunt. Populi gubernandis tantùm Urbibus, & quibuſcunque muneribus domi obeundis fidem ſpondent: Artifices demum, & plebeii ad præſtandam reliquis omnibus ſervitutem, nullo aut loco, aut tempore, aut onere detractato capita devovent. Et hi quidem levibus de cauſis ſacramento ſoluti, tota Monarchia excedere coguntur. Reliqui nequaquam, ſed intra fines relegati, vel etiam deportati, arcta perpetuò cuſtodia habentur, præciſa omni ſpe dignitatum, & honorum, neque interim ſponſione liberi. Ex nobilibus tantùm creatur ipſe Monarcha, ritu in loco narrando. Præſides Provinciarum nobiles item, non niſi ab ipſo Monarcha, ſicut & Rectores Urbium, ſed hi etiam ex populo leguntur, quibus Vicarios, & Coadjutores ſinguli Provinciarum Præſides deſignare poſſunt. Artifices, opificia,

(*a*) Profeſſi quatuor votorum. (*b*) Coadjutores ſpirituales. (*c*) Scholares ſive Profeſſi. (*d*) Laici ſeu coadjutores temporales. (*e*) Novitii.

cia, & mercaturam tractant, interdum gymnaſiarchis quoque perinde ac nobiles & populares accenſentur. Denique ex plebe, conſtant milites, mechanici, ſervitia omnia, & reliquum Monarchiæ, cuſtodes nimirum corporis Monarchæ, cæterorumque Præſidum; foſſores etiam, calones, agricultores, prædiorum curatores, bajuli, veſpillones, carnifices denique fex omnis ſpeciei. Ex ſtatu in ſtatum non datur tranſitus, ſed ſinguli, quam juramento ſpartam ſuſceperunt, ad extremum vitæ coguntur ſervare, irriti facti pœnitentia. Qua vel una re Monarchiam ſtare arbitrantur, ſi minimè perturbatis ordinibus ſtudia partium, & ſeditioſæ factiones longè abſint. Memini tamen ex plebe quoſdam ſingularis facinoris merito inter nobiles ſemel, iterumque ſumma poteſtate Monarchæ fuiſſe adſcriptos. Decedentium ex ſingulis ſtatibus locum, Adiaphori, Monarchæ arbitratu, implent. Nullum ſanè genus felicius plebeiis Solipſorum, quos maxime lateri Monarchæ Præſidumve adhiberi ſors tulerit. Hi ſiquidem, non menſis tantùm, cubiculis, lectiſterniis, & retrimentis efferendis, purgandoque lotio præſunt, verùm etiam nobilibus admittendis, deducendis præeunt, Principum exterorum legatos excipiunt, audiunt, auditis reſpondent. Ne dixeris id fieri præpoſterè, his enim fulcris Monarchiam ſuſtineri ajunt, ſi æquatis ordinibus argumenta invidiæ & factionum faceſſant. Si Monarcha in publicum prodeat, iidem plebei pari greſſu ad latus incedunt, quibus maximè cura corporis incumbit, nam & domeſtici medici ex horum tribu leguntur, reliqui, cujuſcunque ſtatus, præ & pone eunt. Vix invenias, qui horum amicitiam non ambiat, variiſque donariis non procuret, ut favorabilem Principem habeat, ſive gradu ad dignitates faciendo, ſive noxam calumniamve purgando. Nec quidpiam tanti eſt momenti, quod horum commendatione non obtineas. Dolet id non minimum nobilibus, feruntque impatienter ominoſam ſervitutem. Et deliberatum aliquando in Interregno, de iis ad conditionem revocan-

dis, jurato in rem Monarcha futuro. Sed fruſtra: nam ſubodorati conſilium, capita vernilia continuò defectione clam agitata Principum exterorum auxilia ſollicitare, præmio tradendæ Monarchiæ propoſito, ſi præſto eſſent, & privilegia plebis ſervaſſent. Ita factum, ut Viboſnatus (*a*) qui ſucceſſit, ſeditionis metu, non ſolùm Interregni decreta præteriret: ſed neglecto etiam juramento, integra illis omnia ſervaret, atque etiam ultro prærogativum Mithræ, Nobilium, & Majoris Magiſtratus inſigne (*birretum*) adderet, multis ex nobilitate proſcriptis, qui nedum arma capere, ſed contra mutire auſi fuiſſent. Quâ victoria illi elati, mirum qua deinde ſemper inſolentia reliquos erga ordines ſe ſe habuerint, Viboſnatum ubique ſub manu ferentes, ut quos vellent gradu moverent, aliosque ſufficerent. Vidi non ſemel digniſſimos honoribus privatos, ac contra nocentiſſima capita, ſæpiusque legibus ſacra, factione dictorum plebejorum, ad gubernacula Provinciarum accitos, non alio quàm turbandarum rerum talento; ringentibus interim clariſſimis, & præ mœrore animi tabeſcentibus, etſi nonnulli ſpecimine cujuſdam fortitudinis, præpoſterum Monarchæ exemplum ſimulatè probarent, ne legi obnoxii forent. Fuit ex illis mortalium unus, quem noverim omnium ad regendos populos ineptiſſimus, cui nec haram tutò commiſiſſes, is non pridem ante plurimorum criminum poſtulatus, & me Judice capitis damnatus, jamque noviſſimo exemplo notandus, plebejorum tamen illorum apud Viboſnatum auctoritate patibulo ereptus eſt: parum erat, niſi paulò pòſt, nondum inductis criminibus, iiſdem fautoribus Prætorio quoque Præfectus (*b*) fuiſſet, frementibus juſtiſſima indignatione cunctis tantam dignitatem maculari, & fecem hominum, Monarchæ noxâ, Nobilium capitibus turpiter dominari. Reſtiti pro munere quantum potui, leges, ſalutemque Reipublicæ convelli multis argumentis aſſerens; ſed irrito conatu, quod inſul-
ſum

(*a*) Mutius Vitelleſcus. (*b*) Rector Collegii.

ſum factum, ut Verniliti objiciebant, Monarchæ dicto ſupra leges ſtabilitum oportuit. Vulgatam porrò ſonticam famam, edictum Monarchæ correxit, quo per omnia Provinciæ Liaderſiæ (*a*) fora, & compita Sivarlicæſus Colosbidozarus, (ita appellabatur) omni ignominia liber eſſe jubebatur, & omnium opinione bonus haberi. Quod licèt ritè damnatus fuiſſet, multis tamen inhoneſtis nominibus, quorum unum ad ſcopum cauſæ ſatis erat, accuſatus; nempe Majeſtatis, depeculationis, occultæ conſpirationis, concitatæ ad defectionem Provinciæ, perverſæ ex inſcitia adminiſtrationis, denique repetundarum, quas perpetuo ſtellionatu interverterat. Horum tamen omnium probatio, quia factis pro ſe loquentibus nimia erat, abſolventis reatu fuit, cui alioquin ſupplicium dignum inveniri non potuiſſet, abigendo omni magiſtratu remotarum regionum: atque ideo adhibere eum ſatius viſum eſt ad cuſtodiam, & directionem Curiæ Monarchalis, quàm perpetuò infamem vivere. Hæc forma edicti: quod cum attonitis auribus plerique accepiſſent, dubitare cœperunt an eo tenerentur, Monarcham à ſeipſo diſceſſiſſe arbitrati. In Regia omnium oculis in me converſis, quid facturus eſſem, officium, & inſignia Judicis abjeci, cauſatus ne aut novis Colosbidocari criminibus, aut vetuſtis nondum deductis fatigatus, objectum furori populi caput in Monarchæ injuria contumeliaque foret. Ita meo deinceps ſucco vivens, per aliquot annos tuli hoſtem nunquam feriatum, quò nocentiſſimus eſſet: neque tamen is ſine pallore vixit, & ſine metu novi judicii, toties vultu, animo, oculis, voce cadens, quoties obvium in Curia declinare non potuit. Quæ de ſtipatoribus Monarchicis dicimus, proportione quadam accipienda ſunt de iis, qui Præſidibus Provinciarum, & Urbium frequentes adſunt; cum quibus niſi more, & Jure priſco agatur, de reliquis ſtatibus brevi actum puta, formidine plebejorum, conditione omnium æquata.

(*a*) Siciliæ.

Caput X.

Leges Solipſorum.

LEges & ſtatuta Solipſorum, à quo Monarchiæ forma cœpit, in quinquagena volumina ingentia excrevêre, abitura in infinita, niſi moderatio interſit. Continent autem varia decreta, tum ad univerſam Monarchiam ſpectantia, tum Monarcharum ſingularia reſcripta, admirandarum plena induſtriarum, & præceptionum circa ſingula genera rerum, munerum, perſonarum, & quæ ſub generibus ſunt ſingulorum. Præterea, quæ ſingula item Regna, & Provinciæ, velut Acta quædam Conſularia, à Monarcha approbata ſervant: ſingulæ item Urbes inſtar legum municipalium eadem auctoritate firmata, cuſtodiunt. In quibus omnibus duo potiſſimùm libet obſervare; alterum quanta religione Solipſi Monarcham ſuum colant, ſupraque omnes mortales efferant; alterum quàm acri & indefeſſa contentione terrarum orbem eidem ſubjicere ſive per fas, ſive nefas laborent: quod Evangelica luce deſtituti, barbara affectatione res caducas metiantur. Ut hinc diſcant politici quidam Europæi, longè ſe barbaris eſſe deteriores, quoties dominandi cauſæ, juris omnis humani divinique contemptu, patrocinantur. Sed jam præcipuas Solipſorum leges in quædam capita paucis redigamus. In primis & ante omnia quivis Monarchæ Solipſorum ſubditus, quocunque modo ſub poteſtatem venerit, caſu an electione; ſpontè, an coactus: noverit omni ſibi domino alieno, juri cuicumque etiam naturæ, ſacramento renuntiandum. Secundò, nullum Numen, niſi ex præſcripto Monarchæ, colet, ipſum verò Monarcham inſtar omnium Numinum cœli, terræ, maris, orci habebit. Tertiò. Quodvis ejus dictum factum, etſi nulla ratione boni apparentis, imò naturæ repugnans, ut ſacro-ſanctum laudabit, exquiſitiſque argumentis confirmabit. Quartò. Quoſcunque Monarcha perſequitur, eoſdem ipſe omni

omni conatu perdere vel ſaltem deprimere ſtudebit; ut contra, quibus is favet, omni honore & amore proſequetur; nullius præterea inviſi Monarchæ patrocinium ſuſcipiet, imò ne mentionem quidem niſi ad odium inducet, ne laus ejuſmodi Monarcham vituperet. Quinto. Cum nullo exterorum, finitimorumque cujuſvis neceſſitudinis aut officii commercium habebit, neque ullas tabellas dabit, ſignabitque, niſi priùs à tribunali conſtituto viſas, probataſque. Sed neque ullius conſilium, auxiliumve neceſſitate quavis urgente implorabit. Sextò. Dicta, factaque ulla Regni, vel Curiæ non efferet, nec quicquam ulli mortalium ſcripto, verbove communicabit, quod ad mores & ſtatuta Monarchiæ quovis modo ſpectare cognoſcitur. Contra quicquid ubique gentium, agi, dici perceperit, illico Monarcham certiorem faciet, nullis parcendo ſumptibus, minutiſſima quæque conſectando, & quæ arcana aliorum concernunt ritè excipiendo. Septimo. Nullius gentis nationem, mores, aut leges, Solipſorum nationi, moribus, & legibus anteferat; ſed neque laudet ullo modo, niſi cum prærogativa inſtituti Solipſorum, procul minimo præjudicio. Octavo. Si quem Solipſorum externa quævis Reſpublica, aut Regnum, finitimive Principatus, Conſiliarium, Ducem, Regem, aut Principem optent; is niſi conſulto & indulgente Monarcha non conſentiat; & nihilominus meminerit ſe obnoxium antiquæ ſervituti, tenerique de omnibus, quæ iſtic geruntur, manifeſtis juxta & occultis eumdem monere; nec quippiam ſeu conſulere, ſeu decernere, niſi monito priùs & probante ſuffragium Monarcha Solipſorum. Nono. Cujuſcumque ſubditorum occultum quodvis crimen, quamprimum & nulla admonitione præmiſſà Monarchæ, aut captandarum accuſationum Vicario denuntiabit, nulla ſervata juris cujuſquam forma, quidquid tandem inde ſequatur accuſato: irrito præterea quovis voto, & juramento præſtito de non denunciando: idque etiam de manifeſtis criminibus intelligendum, etſi conſtet aliunde jam innotuiſſe Monarchæ: neque curandum,

quæ moveat ſuſpicio , vera an falſa ſint referenda; præſtabit verò officium omni poſtpoſita mora, ni periculo ſuo eam eſſe velit. Decimo. Sicut curare non debet de fama alterius, juſtè an injuſtè delati, ita negligere debet ſuam, ſi fors deferatur legitimè an contra, veri an falſi poſtuletur, nec ullo jure vindicias petat: certus ſe nullum habere famæ ſuæ dominium, quod ſemel in Monarchæ poteſtate depoſuit. Undecimo. Omnium, ſive apertè, ſive clanculum geſtarum à ſe rerum rationem Monarchæ, aut ejus Vicario reddet, ſive ſponte, ſive toties quoties cum authoritate requiſitus, nullas celando quantumvis occultiſſimas, & ſolis Diis receptis, vel ignoto alicui Numini notas cogitationes, tametſi contra ipſum Monarcham, & Monarchiam conceptas, nec curioſè inquirendo, quem in finem id exigatur. Duodecimo. Quidquid de ſe conſtituatur, è manu Monarchæ ſuſcipiat, non replicando, aut obmurmurando, vel ſi prælatis indignioribus ipſe negligatur, aut ſtudio deprimatur, talentorum omnium detrimento facto, hoc ſecum ſeriò & ſedulò reputans, bene ſecum agi humine an ſublime putreſcat, cujus ſors in manu Monarchæ ſit; quem ſemel dominum errandi neſcium agnoverit, quo injuſta an injuſtè faciente appellare nefas eſto: quippe Numinis inſtar omnipotentis, ſuperiorem ſe ignorans vult æſtimari. Tertiodecimo. Caveat ne curioſè myſteria gubernationis Monarchæ, & Vicariorum veſtiget, neque hos dementiæ inſimulet in agendo, quamvis omni diſcretione, prudentia, & judicio caſſos; certus Monarchæ non expedire prudentiores ſe regimini præficere, quive non tam obſequi incunctanter ad litteram, quàm conſulere & præcipere ſecundum rationem norint. Quartodecimo. Denique certò ſibi perſuadeat, non ſolùm voluntatem omnem, & judicium ſuum ſubdendum eſſe voluntati & judicio Monarchæ, ſed etiam intellectum & rationem, non obſtante, (quidquid dicant ſuperſtitioſi Europæi) legis & luminis naturæ pugna, mancipandam eſſe in obſequium dictorum decretorumque ejuſdem, eo duntaxat mo-

momento, *quia ipſe dixit: ipſe juſſit.* Atque hæc fere eſt ſumma legum, quas Solipſi tot inſanis Pandectis complectuntur, & nullo propoſito præmio, ſed maximis intentatis pœnis diſtrictiſſimè ſervandas præcipiunt, addita hac, velut appendice, ad ſubditos animandos ſententia, ipſarumque legum anima, ut quiſque ad obedientiam & obſequium Monarchæ ſe paraturus, cogitare acquieſcat, non ſe hominem, ſed cicuratam beſtiam eſſe.

CAPUT XI.

Conſiderationes quædam circa leges Solipſorum.

OMni etiam juri naturæ renuntiare, quod primum caput exigit, diræ cujuſdam paucis cognitæ devotionis ſapit authoramentum. De quo cùm altiora quædam ex Satrapis ſcrutarer, attoniti profitebantur ſe non ſciſſe, quid juxta principia Europæorum lex naturæ præ ſe ferret: adoleſcenteſque admodum ejuraſſe, ut jam pœnitentia duntaxat, facti retractandi nullus ſuperſit modus. Lex *ſecunda* aut ad ſtatuam auream campi Duræ provinciæ Babylonis alludit, aut ad Darii Regis ex inſtituto Medorum & Perſarum decretum refert: perſæpe ſubit, ſi contingeret Solipſos Evangelio nomen dare, ex Monarchæ placito Religionem ordinandam, & pluſquam olim Tiberium, laboraturos Chriſtianos ad Chriſtum inter Numiſma recenſendum. *Tertia* habitum pravæ diſpoſitionis in intellectu ingeneret neceſſe eſt: quid enim ſi unius horæ intervallo contraria cogantur affirmare, nec veritati conſtanter aſſuefacti conſuetudine quadam mentiantur? *Quarta* mihi ſemper inhumana, & infra Scythicam barbara viſa eſt, cùm ferrem iniquiſſimè toties innocentes inauditos damnari, ſontes contra & perditiſſimorum mancipia morum, foro uti: verum ipſi incolumitatem ſuæ Monarchiæ hinc potiſſimùm ſolent æſtimare; ſi prudenti, imprudentique Monarchæ perinde aſſentiantur, nil ſua referre dictitantes,

bene an malè, dum jubeat: multoque magis ſi exemplo præeat, atque hanc ſummam membrorum inter ſe & cum capite concordiam, pluſquam ex enthuſiaſmo profitentur. *Quinta lex* multa ex prudentiæ norma commoda habet, ſi excipias malè cautum, nullius conſilium impune implorare, ingenti forſitan argumento ſuperbiæ, periclitari Rempub. malle, quàm ſapientioris conſilium auxiliumve requirere, ne turpe (credas) videatur, in tanta Monarchia paucos ſapere, & tantùm opinione ſimplicium, & obnoxiorum, Sapientiæ nomen tueri. *Sexta* verſutiſſimam in gente barbara carnis prudentiam prodit, non infra Europæorum politicorum calliditatem, ut dubites, an hi ab illis acceperint, an per abreptos traditam, poſtliminio revocârint. Cæterum ſi quid aliquando contulit ad providum regimen Provinciarum, quando ſimplicioribus expectoratis, omnium conſilia Monarchæ patebant: hodie plenum periculi negotium eſt, & quemadmodum antea proni ad mendacia perſcribebant, quæ vulgò rumore jactabantur, multiſque ea in rem ſuam exaggerabant; ità modò à callentibus hominum mores, & contraria ſimulantibus, in errores mittuntur planè ridiculos, & deliberationes Monarchæ ludos faciunt. *Septima* cum urbana humanitate pugnat, nec divines quid ad politicum ſtatum conferat, niſi certò exiſtiment, aliorum Regnorum, & legum laudem, transfugio ſuorum ex ſervitute in libertatem, Monarchiæ tyrannidis eſſe deſtructionem. *Octava* immanem dominandi libidinem manifeſtè accuſat, ob quam non multis abhinc annis, omnium finitimorum Principum odiis exerceri cœperunt, diſtrictè caventium, ne quis unquam Solipſorum in poſterum, non modò in honoris & Regni participationem evocaretur, verùm etiam, ut aditu omni arceretur; deprehenſus in forum mithellatus produceretur, & cum riſu plebis extra fines ageretur. Magnum alioqui in hac lege ſubigendi orbis totius compendium, præpoſtera cupiditas corrupit: quam ut aliquando ex parte ſanarem, quod ſub manu habui conſilium in medium attuli, cujus in-

frà

ſtrà meminero. *Nona*, ut capitaliſſima, ita olim magna religione ſervata eſt, hodie à pleriſque (an ſuo periculo eruditis) prætéritur; ut nihil ad naturam extirpandam violentius, nec pauci hoc propter ejuratâ Monarchæ fide, receptorum niſi authoritate Solipſos in odium gentium vocatos vexant. *Decima* ſimilem conſiderationem habet, nec minùs timerè prodigus eſt vitæ, qui crudelis eſt in famam; ut aliena poteſtate ſæviat in naturam, nulla aliena vita æſtimandam. *Undecima* cauſas habet odii plenas, nec tutum in humanis ſacramentum, pleriſque doloſa hæc confidentia deperit exitium, quibus manifeſtata conſcientia dux fuit ad ſupplicium, & vindictam; quoties prætextu directionis irretiti ſunt minus cauti laqueis ſinceræ confeſſionis: hodie plerique fallunt ſcrutatores doloſos, experientia docti eoſdem fuiſſe & eſſe delatores, ſi quid arcanæ cogitationis vel adverſum ſe, vel adverſum Monarcham elicuerunt, ut quos fortaſſe tacitis cogitationibus offendiſſent, eoſdem perpetuos hoſtes ſentirent, turpiſſimi facinoris architectos: Quid enim inhumanius, quàm ſpecie religionis extortam arcanam fiduciam, in fidei, & omnis confidentiæ perniciem convertere? Sed benè actum quod ſerius licet, paulatim inducendo, niſi apud rudiſſimos, obviam tum huic, ut quidam ex Aſianis ajebat animorum carnificinæ. Interrogatus haud ſemel, an quid ſimile mos Europæus ferret: reſpondi, Eſſe quoſdam Numini conſecratorum cœtus, qui tyronum ſuorum cogitatus religiosè expiſcantur: ad formandum in iis legitimum cultum, ne in cæremoniis ſecretioribus errent: cautum tamen hujuſmodi quæſtionariis, ne ſuſceptas adverſum ſe tyronum cogitationes, aut veſtigent, aut cernant. Eſſe altius forum, quo ſecreta cordium, quæ expiatione egent, ſoli Numini Europæorum inviſibili: & Sacerdoti locum ejus tenenti, ſub ſigillo Sacramenti, oris confeſſione deteguntur, acceptaque noxæ abſolutione, fruitur confeſſus tuta conſcientiæ libertate, nullo periculo, ut ex ea in judicium hominum deducantur; aut Sacerdos, qui excepit, ejuſmodi

ſecreti cognitione in rem ſuam utatur; millies moriturus antequam ſigillum violaturus. Hic, inquam, mos eſt Europæorum. At quidam Satraparum, Rectè, ajebant, ita fieri apud Europæos, quibus Deus aliquis Principibus major imperat. Solipſorum Monarcham ſupra ſe noſſe neminem; quid mirum ſi in occultas quoque mentis conceptiones jure ſibi vindicet dominatum? *Duodecima*, niſi ex æternis quas vocant rationibus pendatur, quarum tamen cura Solipſis minimè conſtat, miræ tyrannidis ſpeciem præfert, impotenter in naturam vim exercentis, nihil ut triſtius accidere queat iis, quos adulari minimè doctos favor Monarchæ non attingit. Jacent ingenui, & ad ſumma omnia nati, quibus origine ſpectata Monarcha ne dignè quidem ſerviat, ſine ulla rerum geſtarum laude, nedum præmio; contrà terræ filii, ac tantum ad genium Monarchæ facti aſſurgunt, ſervique dominis deperdito favore imperant. Nempe hæc ſumma eſt gloria Monarchæ, viris præſtantiſſimis perinde uti ad Provincias regendas & cloacas hauriendas: mediaſtinos verò ad ſolium dirigere. O tempora, ô mores! *Decimatertia* eò tendit, ut ſtulti ſapientibus moderentur, atque utinam tacendo norint ſapientiam præferre, qui loquentiâ nimiâ nunquam non melioribus officiunt. Sed hinc nimirum prudentia penditur Monarchæ, ne ſi ſapientes promoveat, ipſi cum iiſdem minime conſtet. Nam ſi difficile eſt parem ferre, moleſtius multò ſuperiorem talento, auctoritate licet inferiorem revereri. Proinde ſatius eſt inter cæcos monoculum regnare, ut de coloribus tutè aſſerat, & perſuadeat. *Decimaquarta* denique omnium aliarum eſt ſumma, qua vel ſola tota Monarchia conſiſtat perpetuò, ſi cætera ſemper futura ſint paria, ſed verendum, ne detracta aliquando larva, inter ſtultitiam, & ſimplicitatem diſcernatur, cumque lumine naturæ tranſigat diſcretio.

CA-

Caput XII.

Judicia Solipſorum.

DE judiciis ingentes habent Pandectas, ſed nullo ordine, nec arte, ob id ne à ſenioribus quidem intellectas, omnia moderante Monarchæ arbitrio, ad quem omnium Regnorum majores minoreſque cauſæ deferuntur. Is porrò nulla juris forma ſervata, nec tamen de plano, & vix etiam ſummaria cognitione, damnat, abſolvit, ut lubet. Habent nihilominus ſinguli Monarchæ ſuos modos, non ex præſcripto legum, ſed ſuæ voluntatis. Hinc tot praxes, quot Monarchæ: exempla duorum, qui meo tempore ſibi ſuccedentes imperarunt, paucis referam. Prior Avidus Cluvius *(a)* paucis poſt meum adventum defunctus, Monarchiam florentem reliquit, magni vir animi, cujus non poſtrema laudum fuerit, multa licet è ſuo genio gerentem, Majorum tamen veſtigia, ex ſapientum decretis ſanctius, & luculentiùs expreſſiſſe. Qui ſi diutiùs vixiſſet, hodie Solipſi magnam partem Chriſtiani eſſent. Succeſſit Viboſnatus *(b)* ſorte errante, ſibi potiùs quàm Reipublicæ factus, qui laxatis ignaviæ habenis, juſtitia afflicta Monarchiam haud parum labefactavit: cujus porro imperio in judiciis exercendis, hic fere mos tenuit. Reo per apparitores conſtituto, permittebatur defenſio, ad aquæ modum, nullo tamen patrono admiſſo, ſed quam ſuopte ingenio valebat adſtruere. Ea excepta Judices dati, Satrapæ, Monarchæ, Aſſeſſores, adjunctis potentioribus, qui accuſaſſent, vel accuſati fuiſſent; ne fortè aut his convictis, aut illis deficientibus, minùs potentes, & deſerti inſoleſcerent. Ea propter conſtituta etiam pœna talionis, qua in miſeros acerbè ſæviebatur, ſemper enim certi erant potentiores, ſe cauſa triumphaturos, cujus ipſi cognitores & judices eſſent. Quo fiebat ut iidem, quan-

(a) Claudius Aquaviva. *(b)* Mutius Vitelleſcus.

quantumvis criminoſiſſimi, rarò accuſarentur, accuſati damnarentur nunquam, qui jure ipſos accuſare fuiſſent auſi, etſi centum criminum capitaliſſimorum, totaque aliqua Urbe, aut Provincia manifeſtorum, argumentis veniſſent inſtructi: nihilominus dubii periclitarentur. Quare datis, quos dicebam, judicibus, conſequens erat reum minorum gentium cauſa cadere: vulgataque ſententia pœna illico ſequebatur nulla interceſſione redimibilis, & ne injuſtitia appareret, provocatione ſecluſa jura manu claudebantur; contra ſi meritò cauſæ fidentius rem geſſiſſet, fractaque potentum tergiverſatione victoriam prope manu teneret, tum judices vario prætextu procraſtinare, adeoque in diem longum ſpem irritam extendere, ut miſerum moleſtia diuturnæ expectationis emaciatum, vel cedere cogerent, vel ad ſpontaneam confeſſionem, ſi accuſatus fuiſſet, tametſi nullius criminis compertus. Quam ſi impetraſſet, monito Monarcha reus peragebatur, vix unquam abſolvebatur, ne ſi impunè abiiſſet, fruſtra à delatoribus per fas nefaſque accuſari quempiam malo exemplo fuiſſet. Si porrò adverſus iniquam moram duraſſet, tum judices, conſtantiam contumaciam interpretati, repetitis à prima ætate vel minimis noxis, nec evacuata interim exceptione præſentis judicii, cauſam vulneratam aliorſum trahebant: capita fere criminum erant ſternutando crepuiſſe, manducando labra diduxiſſe, caſum aſini riſiſſe, clam in cubili contentius tuſſiviſſe, & ſexcenta id genus. Quæ ſi reus tanquam aliena deriſiſſet, tum demum ſententia peremtoriè lata ſupplicium extremum miſero decernebatur. Hoc ordine meo tempore Afrorum quidam capitis damnatus, inopinato finitimos Principes, qui tum fortè Monarchæ ſociale bellum indixerant, appellavit; ea cauſa conſternatus Monarcha, hactenus enim nemo à tanta poteſtate provocaſſe auditus erat, rem ex compoſito geri ſuſpicatus, Surlolagerum (ita vocabatur) abſciſſa ſententia liberum pronuntiavit, proteſtatus nihil ſe de ejus damnatione ſciſſe, culpamque in Satrapas effœminatè conjecit. Nos Europæi

ſalu-

ſalutem Afro gratulati, quid facto in poſterum opus eſſet, notavimus. Pœnæ ſuppliciis debitæ apud Solipſos ſunt variæ, emaceratio, fuſtigatio, diverſa verberatio, ſed ut quiſque ſibi ſit virgator publicus, carceres, relegationes, proſcriptiones, majores minoreſve capitis diminutiones, cujuſmodi ſunt abſtentos eſſe gratia & conſpectu Principis, impotem ſuffragiorum ad honeſtiora munera, denique exoſum & peroſum, nullo ut merito favor integrari queat. Quo uno maximè ſæviebat Viboſnatus (*a*), nulli placabilis, quem ſemel etſi immerentem deſpexiſſet, ut contra nulli non favorabilis, quem ſemel, etſi nauci hominem & inſigniter diſcholum, adamaſſet. Ea res non paucos ad deſperationem, & ad acerba omnia adegit, quorum ego ſorte miſeratus, ut animos ſumerent admonui, nec tanti facerent muliebrem hominis lepore timidioris impotentiam, & qui modeſtos vexare tantùm noſſet, audaciores extimeſceret. Quamquam non pauci ingenium ad altiores cauſas adulando referebant, affirmantes Monarcham ex meritis cujuſque prævifis, & ſcientia quadam degrummata (*b*) cognoſcere, quid quiſque ſubditorum facturus foret pravi, ſi Principis gratia frueretur, aut odio non exerceretur; eoque par eſſe hujuſmodi anticipato ſupplicio plecti, etſi in oculis mortalium nondum ſontem: ut contra inſolentes ad gratiam admitti, & reliquis efferri, quòd prænoſſet Monarcha, futuros aliquando modeſtiores, dignoſque præmiis antecaptis. Quo certè modo, nec Caiphas apud Hebræos prophetavit, nec turpius actum apud illos, qui reos ſuſpicione duntaxat criminis, nulla alia probatione peractos, patibulis ſuffigere ſoliti ſunt. Deinde verò cauſa cognita ſi ſontes deprehendiſſent, dio permittere; ſi ſecus, depoſitis honorificè juſta perſolvere. Referam & aliud, ſed ludo, ne lectori bilem moveam, ut norit eſſe in Solipſis, qui Plauti comica exornet. Edicit Spinomantæus (*c*) Prætor

(*a*) Mutius Vitelleſcus. (*b*) Scientia Media.
(*c*) P. Cæſar Del Boſco.

tor Pharſacio *(a)* aulico deportationem Monarchæ juſſu, & ſcripto. Miratur is inſcius demeriti, Monarcham appellat, adit, provolutus inquirit. Negat hic ſtupenti ſimilis quicquam ſe auctore factum, & bono eſſe animo Pharſacium jubet, qui totus ſibi redditus, ſua gaudia amicis narrat. Poſtridie à Spinomantæo monetur acriùs, ad exilium ſe quantocyùs componat. Renuit ille, fidentiùs etiam, cùm Monarcha fictam juſſionem improbante, actum obtendit. Verùm Spinomantæus: Nihil mihi, inquit, cautum recens à Monarcha; inſiſto primis decretis, actutum ſaxis, ut pareas. Quid ultra? curritur ad Satrapas, participantes *(b)*, iterumque ad Monarcham, & accuſatur à Pharſacio Spinomantæus, ceu contemtor magni nominis. Iterùm geſtu, vultuque ſimulat Monarcha, ore per ambigua, ſed favorabilia errante. Inſtat Pharſacius, ut ſiſtatur Spinomantæus, coramque munita capeſſat. Hæret Monarcha, ne filum ſuccidat: mox, Perge, inquit, ſecurus voti, curabo accerſier, advertendum ne te vexet. Abit Pharſacius, & tanquam omnes fluctus eluctatus, technæ imprudens iterum triumphat. Perendino urgetur vehementiùs, ut ſarcinas componat, intra horam pedes elaturus, ſeverè plectendus ni exit. Tum Pharſacius iniqui impatiens, concita bile ad Monarchæ fores advolare. Sed negata admiſſio à docto cuſtode, ne quieſcenti, ut ajebat, intercederet; monet, ut craſtina redeat: ſcilicet ut poſt ſeceſſum Monarchæ primo diluculo ad ſuburbana, venientem fruſtret, aut ejiciendo ſpatium faciat, inſtante interim momento, quod Spinomantæus ſcorpii cauda deſignarat. Ita Pharſacius penè ob deceptionem ſui impos, extruſus eſt in exilium: quotidiana exempla ſuo quoque periculo illuſtrans. Hoc nimirum admirandæ regimen eſt ſapientiæ, colluſionibus, & ſtellionatu traducere miſeros, & dotariæ ſalutis exortes, qui æqui cauſa ex lege recurrunt, in totius vitæ ærumnam mittere perplexiſſimos.

(a) Laicos Jeſuitæ. *(b)* Patres Aſſiſtentes.

mos. Luditur ut pila, juſtitia percuſſa, repercuſſa, eluditurque afflictorum exſpectatio ; quibus ſi dolor verbum eliciat impatientius, crimen Majeſtatis in foro eſt. Si Spinomantæus barbarus, Monarchæ ſe ſtitiſſet compulſus, patuiſſet mutua ex vultibus colluſio, & technæ vafritiem, non conſtantia cum mente verba prodidiſſent. O verſutam, ſi Diis placet, politicam agyrtis plauſibilem! Gemina fuit cauſa Recuſii, ſed doloſis adinventionibus protractior. De ea conſultus ego reſpondi, artem arte eludendam. Deferret Spinomantæum apud Monarcham, quaſi de ejuſdem ignavia mutientem, ut cujus conſiliis nutaret potiùs, quàm ſtaret Regnum. Viciſſim obſcurè adverteret Spinomantæum, de inſidiis à Monarcha tentis, ut officio motum releget ad glaciales inſulas, odiis implicando imperioſam ſuperbiam. Ita futurum, ut vel committantur infenſiſſimè, provocatis etiam ad ſeditionem turbatorum animis : vel ſi dolus detegatur; hoc argumento doceantur ipſi, notas eſſe ſuas artes, quibus ſubditos ludificarent, nec ſtruendum aliis malum, quod ſibi nollent; nec aſtu, ſed prudentia, & ſcientia regendos populos, animo, quod Orator noſter notavit, non verſuto, obſcuro, fallaci, malitioſo, veteratorio, vafro; ſed qui decet, apertum, ſimplicem, ingenuum, diſcretum, juſtum denique, & bonum virum.

CAPUT XIII.

Conſiderationes circa Judicia Solipſorum.

QUæ de Judiciis, eadem de Legibus hic quoque non extra ſcamnum dici poſſunt. Judicia ſine jure tractari, prorſus ab humanitate alienum, ſed neque tolerabile ſubditis contra Magiſtratus merito conquerentibus, qualecumque jus, & æquitatem adimi: ne quemadmodum inique cauſſantur, contemnere dominos aſſueſcant, ac paulatim in Monarcham inſurgant; futurum alioquin, nemo ut Magiſtratum

inéat,

ineat, confuſaque Monarchia aditus ad Anarchiam pateſcat. Dignus prætextus, quo & ſubditi opprimantur, & Magiſtratus citra reatum impunè quidvis admittant ex Monarchæ lubentia; quæ non ſemel pretium tulit, fertque in dies ingenuis tantam iniquitatem non ferentibus, ſuaque manu vindictam ſumentibus. Vidi proinde ab his Magiſtratus non perfunctoriè vapulaſſe, qui cum accuſarentur ad finitimos Principes ſeſe recipientes, cauſam liberè dixerunt: feciſſe ſe amore juſti, quod Monarcha negligeret, eo ſolùm culpandos, quòd minus lacertoſi, pejora meritis vitam reliquiſſent: hoc modo in anteceſſum ſatis eſſe, facturos ſe in poſterum, ut Monarchæ officium facerent, aut certè ipſi quoque in jus ambularent. Turpe etiam ſervos Monarchæ favore ingenuis dominari; adulatores ac delatores ſummo loco haberi, ſeria amantes & modeſtos nullo gradu cenſeri. Qua religione ſtimulatus non nemo Aſianorum, aliquando ad libertatem conclamavit, ſed enim ex miſeris infra ſervitia depreſſis, vix erat qui ad pileum reſpiceret, multò minus, qui capita conferre auderent, quod Sacramento nonæ legis alter alteri non fideret. Quippe Solipſi nunquam tuta inter ſe ſocietate coaleſcunt, & contemta ſecreti ſanctitate, qui modò amiciſſimi, iidem paulò pòſt inimiciſſimi, nullo vel ſanguinis reſpectu, modo gratiam Monarchæ, adulatione & accuſatione ceu teſſera fidelitatis unica, parare non ceſſent. Ea cauſa aliquando in diſcrimen vocatus, bono ſidere evaſi. Fortè cuidam, ut ſimulabat, amico, oſtenderam Thema cœleſte, quo ex ritu Europæorum Principis finitimi caſum conjeceram: probavit homo verſutus, ac ut de capite Monarchæ noſtri periclitarer, callidè urgebat, jurans apud ſe clam futurum. Nec promiſi, nec abnui: is tamen velut ſponſione capta, rectà ad Monarcham perrexit, & mentitus iniquiſſimè denuntiat, tanquam ſi Magicis Europæorum characteribus de capite Monarchæ cum diris peregiſſem. Nec mora, inter inopinas apparitorum manus Majeſtatis reus acclamor, & coram Monarcha ex-

cutior.

cutior, profertur è femoralibus charta genethliaca, ſed lecto Principis Europæi vocabulo, mendax accuſator deferbuit, non erubuit. Juſſus evolvere prognoſim & rei non fallentem in Europa eventum, peritiæ laudem tuli, tum ut Monarchiæ quoque Solipſorum futuros ſucceſſus in figuras referrem, ab ipſo Monarcha monitus; reſpondi, rem eſſe ſupra artis metas, quod Europæi virtuti ſiderum influentium ſubjecti eſſent, Solipſorum Monarcha ſuperior cœlo & aſtris, conſtellationes manu regeret, alioquin Evimæum, antequam accuſaſſet, inſtantiſſimè flagitaſſe, ſi quid poſſem, in Monarchæ caput procuderem. Ita ſaluti meæ conſului, ac ut Evimæus gradu dejectus luce careret, ex lege confectum eſt. Sed is neque tum adulando defecit, perhibens denunciaſſe me ab ſe non ut plecterer, ſed ut de peritia commendarer. Dii maluerint meliora, atque talem commendationem averruncaſſint. Adhuc verò durius fortaſſe ſit prudenti imprudentique Principi perinde conſentire, mentem, ajenti, neganti venalem accommodare, ſenſum animi ducem pervertere, quos denique ipſe perperam odit perditos velle. Quoties id coram Satrapis deteſtatus, natura ipſa reclamante execrabar. Sed fruſtra, & ſurdis fabulabam. Amici ut abſtinerem nutu advertebant, in ſpeciem contradicebant, ne delatoribus obnoxii forent. Lepidum eſt quod narro. Delatus nonnemo, quod Præſidem Regni Pactelíſonavi torviùs aſpexiſſet (luſcus erat) ſecuri adjudicatus eſt; abreptum ab adſpectu Principis, & jam ducendum ad ſupplicium, cuncti certatim verbis opprobrioſis, creperos ictus minati, impetere. Ego miſeratus hominis olim amici vices, fortè interceſſi, ac ut iniquam fortunam patienter ferret hortari blandius cœpi. Tum apparitorum Præfectus, ſemihomo, & qui nuper ex patibulo ſe in aulam injecerat, adulando, mentiendoque, huc progreſſus, horrenda voce inclamare, truceſque oculos fœdè diſtorquere. Quid tu, inquit, mortalium audaciſſime, ſolaris, quem Monarcha perditum cupit? Jam jam ſocius criminis pœnam dabis. Dixit, & obtorto

torto collo ad Monarcham raptari jubet. Momento plures centenis accuſatoribus adſunt, deponunt me nullo eorum reſpectu, qui Monarchæ placituri, damnato ad ſupplicium inſultaſſent, inter manus penetraſſe, & morituro ad aures inſuſurraſſe, quibus ipſe arriſiſſet. Id quia in contemptum Principis redundaret, ridere jus, & poteſtatem jubentis, me reum eſſe mortis. Reſpondi, hortatum me, ut mortem miſer fortiter ferret; hoc ipſum, clamabant illi, eſſe contra mentem Monarchæ, ſed tamen plura alia noxia dixiſſe me jurabant. Inſtanti, ut quænam illa eſſent, in medium proferrent, aut neſcientes ad mortuum ſciſcitaturi pergerent; ludum improperant, & ridentem nova accuſatione petunt. Cæterum Monarcha nutu ſilentio imperato, ut ſi quid amplius morituro dixiſſem enunciarem, ſeriò mandavit. Reſpondi facturum me libenter, ſed remotis arbitris, ne myſteria vulgarentur. Diſceſſere omnes, & ego ex gentis more, quoties luberet, mentiri doctus, retuli: Tria me commendaſſe morituro. Primum, ut quo loco apud Inferos eſſent Monarchæ & Satrapæ noſtri, renunciaret. Alterum, ut ſi qui modus foret Monarchiæ etiam apud Inferos proferendæ, edoceret. Tertium, ut quidquid tandem iſtic novi accideret, certiorem faceret. Ita enim argumentabar, O Monarcha potentiſſime, magnam me apud te gratiam initurum, ſi quæ in cæcis illis Regnis agerentur, tibi indicarem; quando quæ in hoc mundo geruntur, quamplurimi ſunt, qui placendi ſtudio partes præoccupant, & mendaciis exaggerata referunt, nunquam ut ego tempori adſim. Atque hæc ſumma ſermonis cum morituro fuit, novo tibi placendi ſtudio, ſi verum amas. Probavit Monarcha ingenium, ac ut clam aliis, quæ ex Inferis accepturus forem, ſedulo referrem rogavit, & mox patefacta porta, mirantibus, qui foris præſtolabantur, Satrapis, me non ſolùm ſacris conſiliis & ſcriniis intereſſe juſſit, verum ut cauſas omnes cum abſoluta auctoritate cernerem, publicavit. Vidiſſes mutatos repentè plurimorum vultus, quibus mendacium & adulatio cenſus erat; plauſiſſe alios, qui

re-

reſtrictam ad ſtabiles leges diſciplinam amabant. Equidem foro uſus indignos muneribus arcere, bene meritos fovere, ex Europæorum inſtituto æquitatem moderari, perſonas non acceptare: ita orcinis amici mortui oraculis moneri perhibebam. Quid plura? ut infanda delatorum capita deprimerem, ſexcentis una nocte numellis medio loco locatis, interjectis inter ſingula centena quinis crucibus, ſpectaculum Juris edidi: totidem inſertis collis viſebantur adulatores, & ex crucibus ſinguli pendebant delatores, qui propoſita & jurata pœna talionis, probando defecerant, & mendacii & calumniarum manifeſtò comperti. In his tres quoque Satrapæ, nuper Præſides Provintiarum. Ita factum, ut deſerta pene aula Monarchæ videretur, procul præhenſatoribus, & reliquo hominum fuco, paucis admodum bonis, qui in munere ſuo verſabantur, ejuſdem conſpectui ſeſe offerentibus. Cauſam rarioris officii & ſervitiorum ſciſcitatus ille; deductus eſt unde ex patentiori loco in forum proſpiceret, attonitiſque oculis hæſit in numellatis, ac patibulatis, quidque id rei eſſet tremebundo ore quærens, audiit ex Accenſo: Hoc te ſpectaculo, ô Monarcha, recreat Cornelius, quem nuper extuliſti. Si pergit, de Monarchia brevi actum eſt: ſublatis enim adulatoribus ac delatoribus, qui te varie erudiant, ignorantia aut tædio tabeſcas neceſſe eſt. Motus ille ad hæc continuò acciri jubet, ac cur ita feciſſem, rogare. Reſpondi, ſic me juſſum à mortuo, minis quoque tibi intentis ni citò paruiſſem: quod præſtaret nebulonum genus è medio tollere, quàm horum facinoribus damnata innocentia Monarchiam probroſè regi. Nec me inclementer egiſſe, vita relicta iis, quorum cervices numellæ coercent, fame duntaxat emaciatis, & hi quidem ſunt effrontes adulatores, qui victum & honores meritis debitos manticulando adhamant. Cæteri qui ex furcis enecti pendent, gratiam tuam fictis innocentum accuſationibus nundinari ſoliti, quod pœnas talionis juxta leges Monarchiæ conſtitutas non pendiſſent, hac vice luerunt; fortunati, quòd uno,
nec

nec productiori ſupplicio perierint, majoribus digni. Ex hoc genere ſervantur adhuc in cuſtodiis, millenis ampliùs, quamprimùm directis addendi. Ita ſpero futurum, ut ſublata paulatim hac nefariorum colluvione, me conſule & Judice, Monarchiam ſtabilitum eas. Obſtupuit Monarcha, nec quid contra redderet occurrit; diriguere & ſtipatores, quos inter Colosberadorus, de quo aliàs dictum, animo defectus, lectica delatus eſt. Paulò pòſt coacto abſque me reſiduo Senatu, mutilo ſanè & manco, ut Judicis officio cederem, decretum eſt; mox etiam juſſus porrigere nomina deſignatorum ad crucem, cum inter ea Colosberadorus quoque hæreret, hic metu exanimatus, non ante fugientem ſpiritum revocavit, quàm audiſſet me ceſſiſſe. Et agebatur ſolertiſſimè de tollendo è vivis, niſi timuiſſent coalito cum mortuis fœdere funeſtiorem, quàm à numellis & crucibus, me facturum Monarchiam. Cujus rei non multò pòſt, neſcio quid, ludicri ſpectaculi ſpeciem adſtruxit. Fortè Libanotius (*a*) Ritanorum Principis Legatus per confinia Soliſpſorum iter faciens, in morbum incidit, atque etiam intra paucos dies vita functus eſt: Muſarbanus (*b*) Collegam ſepulturæ traditurus, proximæ Urbis Soliſpſorum Arontiæ (*c*) gubernatorem Tiraphernum (*d*) adit, rogat, liceat ſibi in communi civium fano cadaver ſepulturæ mandare, & juſta tanto viro ex more perſolvere: facturum ſe ut Libanotius Princeps tanti memoriam beneficii regio præſtaret officio. Negavit Tiraphernus, & nequicquam jura gentium cauſatum, inhumanè rejecit: quid enim impenderet mortuis, viventibus odioſus? Excanduit Muſarbanus, & convitio jacto indignans receſſit. Mox coacta ſuorum manu impoſitum carro cadaver, junctis elephantis, pluribuſque circum tædis accenſis advexit: ut prope mœnia ventum, cuſtodes, barritu & inſolenti

ſub

(*a*) Epiſcopus Marritanorum. (*b*) Abrahamus Marronita. (*c*) Collegium Marritanorum urbis. (*d*) Ferrantinum Jeſuitam.

ſub auroram luce territi diffugiunt, & Tirapherno prodigium narrant. Is dum arma amens capit, ſuoſque excitat, Muſarbanus interim, vi, patefacta Urbis porta infunditur, & jam medio foro funus ducit, ſtupentibus ad inuſitatum adſpectum Aronitiæ populis, quos nec tecta, nec feneſtræ capiebant. Adeſt & Tiraphernus, inclamat retrò ſe agant, nolle ſe peregrinis exuviis religionem, fanumque ſuum polluere. Muſarbano negligente inſaniam, & qui funus agebant, ordine ſervato, leſſum proſequentibus. Ille manus admovet, & Sacerdotem thura parantem humi ſternit, ſuoſque ut vim tentent vociferando urget. Tum Muſarbanus tempus adeſſe ratus, ſociis quid facto opus innuit, qui abjecta continuò pulla, ut parati erant, manus exerunt, nec tamen gladiis, ſed facibus rem gerunt, in ora Solipſorum flammeos ictus vibrantes. Siſtit interea funus, & qui in curro erant curatores, erecto etiam caſu, an ſtudio, cadavere, quaſi ad ſpectandum ſuum trophæum, jaculabantur in adverſos, quidquid aut ſtuppæ, aut picis aut ceræ ardentis funeri præpararant, ejulantibus Solipſis, quorum vultum, vel manus ferventes guttæ contigiſſent: neque hoc ſolùm, ſed laxatis elephantis, quos jam flammæ agitatæ ad ferociam accenderant; ubi hi adverſos proterere cœpiſſent, clamor ingens Solipſorum exoritur pacem deprecantium, nec ſe cum mortuis præliari velle ingeminantium. Ita pluſquam panico terrore correpti dant manus. Ipſe ante alios Tiraphernus, ambuſtis oculis, barba, mento, naſo, auriculis, primus adorat, & facturum ſe juſſa jurat. Sic pugna ſedata, reclinato cadavere, funus perrexit. Cecidêre ex Solipſis ſexcenti; totidem vultu deformati, monoculi, barba, crinibuſque deuſti, naſis picatis, colliſque cæcomaticis. Ex Ritanis (*a*) unus è carro, dum fortius agit in ſubjectos, proruens, ſolutis caligarum ligulis ridiculo ſpectaculo nates attrivit. Atque hoc genus prælii, finitimis circum populis, diu, & terrori fuit, & riſui, ſed Solipſis ingenti pudori, exprobrantibus barbariem Tirapherni pleriſque Princi-

Ff pi-

(*a*) Maronitis.

pibus. Super omnia terruit Viboſnatum, quod rumore incerto accepiſſet, à mortuis Arontiam expugnatam. Id Lucii Cornelii factione ex nupera offenſione obveniſſe ſuſpicatus, ne quid ſimile Regiæ ſuæ intentaret, hominem lenire, & priſtinis honoribus ornare inſtituit. Verum paulò pòſt certior factus, deſtitit. Miſſis quippe à finitimis, qui docerent, & Tiraphernum inhumanitatis accuſarent, de eo in ordinem redigendo cogitavit. Quare communicato cum Satrapis conſilio, perpetuis vinculis mancipandum decreverat, niſi fuiſſet qui hominem adeo deformatum, & cui timor ex ea rixa fixus, ultro ſpiritum extruſurus erat, parcendum eſſe perſuaſiſſet; proinde vocaturo à munere, gravius nihil actum eſt, quàm ut pudori ſuo relinqueretur. Porrò tum ipſe, tum reſidui Solipſorum ſæpius teſtati ſunt, ſe non tam elephantum, aliovè terrore perculſos concidiſſe, quàm, cum erectum è feretro cadaver, cominus exiſtimaſſent faces vibrare; tum ſibi viſum inconſultum pugnare cum iis, qui mortui quoque bellaturi forent. Ridiculi homines, orbi terrarum leges ſe dare ſomniant, neque tamen diſcernunt inter larvas, & veros vultus. Placuit hæc deſcribere memorando magis ſtratagemate, quàm cum Haſtingus ille Danorum Dux tot ſcriptoribus decantatus Lunam Liguriæ Urbem imaginatus Romam eſſe, objecto per dolum funeris ſui ductu, diripuit, non facibus, ſed gladiis cives interimendo.

Caput XIV.

Comitia, & Conſultationes Solipſorum.

Comitia Solipſorum duplicis ſunt generis; Majora, quæ generalia vocari lubet; Minora, quæ ſingularum Provinciarum. Illa rariſſimè, & niſi in Interregnis ad novum Monarcham legendum vix coguntur. Vacante porrò Monarchia, Præfectus Prætorii (a) auctoritate

(a) Rector Collegii Romani.

ctoritate Vicarii jus dicit, & ex omnibus Regnis evocat Satrapas, quibus in eligendo ſuffragium eſt. Ii omnes conſtituto die in Regiam conveniunt. Hìc præmiſſis diris & execrationibus, ſi quis vel ſecreta evulget, vel in non idoneum conſpiret, in conclave numeroſiſſimi ſe abdunt, adhibitiſque cærimoniis & ſui ritus carminibus, tandem ad plura vota nominant, quem Monarcham eſſe contigerit. Nec multum ambigitur, præjudicata jam ſorte, quando ex defuncti Monarchæ arte, res ita diſponuntur, ut non eligatur, niſi quem ipſe deſignarit, nemoque illo dignior communi errore cenſeatur. Solent enim Monarchæ unum alterumve ad ſuum ingenium factos, præ ceteris, omnibus muneribus iis adhibere, è quibus proximè gradus ſit ad ſolium. His verò diſpoſitione Monarchæ alternis ſibi in eadem provincia ſuccedentibus, aliiſque excluſis, & in ordinem redactis: conſequens eſt, ut Satrapæ electores, non in alios colliment, quàm quos dictis honoribus perfunctos norunt: quippe viri ſapientes perſuaſum habent idoneos non eſſe Monarchiæ regendæ, niſi qui Præſides Provinciarum malè, an benè eas adminiſtraſſent. Quo pernicioſo ergo, e fit, ut ex duobus tribuſve nauci homellis, non alio ta ento, quàm favore Monarchæ, præter meritum conſpicui, eligatur, qui veſtigiis defuncti inſiſtat, & ſexcenti poſtponantur; qui tametſi regendo Monarchæ ignavia non fuerint unquam adhibiti, eam tamen ſapientiam & prudentiam ad moderandum afferre queant, ad quam illi craſſiſſimæ Minervæ, & nunquam ſatis dedolandi perventores, adſpirare nec ſciant, nec auſint. Sed hoc eſt ingenium verſutæ philautiæ, nolle poſt ſe regnare meliores, qui rebus reſtitutis famam defuncti obſcurent, neque interim magnifacere, quidquid Reſpublica ſucceſſoris inertia detrimenti faciat. Ad Comitia redeo. Monarcha electo, fit illico tympanis pulſatis concurſus omnium, & genu flexo, libatiſque dexteræ oſculis geminantur applauſus, nihilque non terſæ adulationis ingenioſè funditur, tanta amplificatione, ut non humana induſtria, ſed divina

manu rectam ſerant hominis electionem, manifeſtis portentis oſtenſam, quòd nempe illa nocte non pluerit, quòd ſub auroram moloſſi latrarint, quòd ad egreſſum novi Monarchæ ex conclavi, muſcæ, culiceſque frequentes prævolarint, & id genus plurima, quæ deinde compoſitiſſimis verbis, dicto, ſcriptoque in vulgus ſparguntur, ac præſertim è concione confirmantur; ſingulos laudatores Monarcha, paratis ad id præmiis, donat; præ aliis habet, quos adulando excelluiſſe judicarit. His penes ipſum ſtata ſtipendia numerantur, nec unquam à latere amoventur, niſi cum honoris cauſa in Provincias eunt, idemque omnia apud Monarcham poſſunt, ſolertiſſimi voluntatum voluptatumque conjectores; unde & aliis fortunam perinde parare, & deſtruere callidè norunt, ut niſi his omni ope & ſtudio tibi devinxeris, ſpes omnis jucundè vivendi decollet neceſſe eſt. Quod ad minora Comitia ſpectat, ea ſingulis luſtris coeunt, latiſque ſuffragiis legunt, quem ad Monarcham referendi cauſa mittant, & cavetur in his quàm maximè, ne quid in deliberationem veniat, unde Monarcha notari queat, diſſimulato interim publico malo. Conveniunt proinde ex omnibus Regnis, & Provinciis frequentes ad Urbem regiam, & ſinguli Monarchæ dona eximia ferunt, argumentum honoris, & devotæ ſubjectionis. Ubi in ſecreto conſilio capita conferunt, Principem negotium, propter quod vel ſolum tractandum miſſi venerunt, ad roganda videlicet rebus quàm maximè poſcentibus Comitia majora, ſtudioſè celant, caventque unicè, ne vel mentionem injiciant, certi de offenſa Monarchæ, quem dictis comitiis repurgatum eant. Quòd ſi Monarcha ipſe callidè ſimulans inſtet, negant illi perfrictè & præfractè, operæ pretium eſſe, cùm omnia rectiſſimè habeant, & à ſagaciſſimo, omniumque mortalium ſapientiſſimo, ac planè Divino Monarcha, ſupra omnium Numinum providentiam gerantur, cui idcirco Neſtoreos annos optant, atque ut in Comitiis quibus Majoribus ſolet, omnia in poſterum

rum etiam ex arbitrio regenda commendant. Et hinc Ilias illa tot bonorum. Hic finis Comitiorum: in quibus ne tot impenſis nihil egiſſe Satrapæ exiſtimentur, ad retrimenta quædam negotiorum redeunt, & ſeriò coram Monarcha deliberant, utrùm) in poſterum phyſitergia in Civitatibus linea, an chartacea eſſe oporteat. An frixoria ahenea, vel potiùs ferrea ad artocreas adhibenda. An equitando micturos in itinere, ſpongia potiùs quàm lagenula uti conveniat: pluraque hujuſmodi, quæ recenſere perlongum eſſet. Ita demum conſiliis & conſtitutis in Acta redactis, & Monarchæ ſigillo manuque munitis, in Provincias redeunt, & præclaro de geſtis fuco ſubditis anhelantibus ad res novas facto, Reducialia læti celebrant. Hæc de Comitiis. Ad Conſultationes quod attinet, nihil illis frequentius in aula Monarchæ, ut his fere dies noctesque traducantur, admiſſione interim Principibus quoque viris excluſis. Sunt item eæ majores & minores: hæ quot ferè diebus: illæ ter in hebdomada habentur. In his Satrapæ cum ſuis honoratis adſunt Monarchæ, & de Provinciis ſuæ fidei commiſſis referunt, quæ à Præſidibus Provinciarum perſcribuntur, tractantque ſinguli ſingularum negotia. In Majoribus omnes unà Curiæ Satrapæ conveniunt, & de omnibus Regnis Monarchæ ſubjectis conſilia capeſſunt, quæve in rem opportuna videntur decernunt. In omnibus univerſim deliberationibus, ſcopus unus eſt, dilatatio Monarchiæ, & Monarchæ exaltatio: medio Principum per idoneos Legatos expectoratio. In quibus eligendis, rogantur à Monarcha in ſpeciem Satraparum ſuffragia, ſed reipſa nutu Monarchæ jam præcepta. Solet enim, ut hominem ad ſalem ſuum natum mittat, hujuſmodi fere oratione præoccupare: Venerabiles & nobis fideles Satrapæ, Provincia, & Regna Traburcana egent novo legato, & Præſide; nobis præ omnibus eſt Dorius Doridontius, placet tamen & veſtras laudationes audire. Tum Satrapæ cervice prona, ut vulpes in fabula, coram Leone, impræmeditati annuunt, laudantque Dorium, vix dignum Agaſonem, & Mo-

narcham à ſapientia efferendo, perorant. Eum nempe aut locutum cum Jove, aut Jovem in ipſo, nihil ejus conſiliis eſſe ſapientius, nihil perſpicacitate magis providum. Ita naribus velut annulo inſerto trahuntur ad votum Satrapæ, ſitque Dorius Legatus Provinciæ, qui nuper à dejectionibus olliſque tergendis faciebat. Similes ſunt, proportione quadam, Præſidum in Provinciis, cum ſuis officiis & optionibus, & Gubernatorum in Urbibus eadem norma & fine, congreſſus. Et hæ quidem Majores univerſim cenſentur conſultationes. Aliæ minores, vel ſecunda conſilia habentur in Aula Monarchæ, & ſingulis, per regna & Provincias, Præſidum Legatorumve domiciliis; coram Vicariis & certis Accenſis, in quibus ea ferè aguntur, quæ ad menſas, & reliqua Aulæ miniſteria ſpectant; An quot fercula apponuntur, tot pocula adhibenda: An catapoſia quæ vocant Regia contuſa & decocta, præterquam Monarchæ & Satrapis paſſim porrigenda. An tempora prandii & cœnæ producenda. An recta cœna more antiquo accumbendum, cultri ſingulis trimeſtribus ad cotem ducendi, & ſexcenta id genus. Verùm hic non omiſerim dignam majoribus rem Comitiis, etſi minoribus peracta ſit. Venerant miſſi, à Senceſtanis (*a*) populis, rogatum, liceret eis frigidam ex proximo Muravenii puteo haurire, quòd aqua paluſtris, cui hactenus malo ſuo aſſueviſſent, inſuavem præberet potum, & præſertim Sirio urente, maximè inſalubrem. Negavit Monarcha, audientibus & laudantibus Satrapis, & inſtantibus demiſſè Senceſtanis referri juſſit. Majores eorum hoc potu paluſtri à ſæculis uſos, nunquam de ea cauſa morbidos fuiſſe, nedum mortuos: præſtaret porrò eorum æmulatione fortiter, ac patienter durare. Commovit unum ex miſſis (Monacuſio nomen) tam iniqua repulſa; & illico invidioſo Elencho retundens; præſtaret, ait, & Monarcham prædeceſſorum ſuorum exempla ſequi, quorum nemo Regia quotidie potione Dianorum, magnis ſump-

(*a*) Catanenſibus.

ſumptibus parata, uſus, diu nihilominus provixit. Quod ſi à ſe facit tantis impenſis, cur ſubditis iniquior eſt, quibus frigida, præterquam labore bajuli, pretio nullo conſtat? Non defuit ſolertia nuncio, neque fides, continuoque ſequuta vindicta, ut Monacuſius exularet, nec niſi eo vita functo Senceſtani beneficium frigidæ ſenſerunt, ceſſante Majorum reſpectu, & prædeceſſorum apud Monarcham, de more ſuo, cum Satrapis non remittentem.

Caput XV.

Induſtria Solipſorum in Monarchia propaganda.

DIximus ſemel omnia Solipſorum tendere in Monarchiam proferendam, & Monarcham extollendum. Id ſane meris artificiis unicè procurant: quidquid unquam boni rentur in moribus peregrinis, ad ſe derivant, nec aliunde accepiſſe, ſed felicitate ſua ſe adinveniſſe gloriantur. Id jam in Gymnaſiis quoque uſuvenit, ut compilatas deſcriptaſque ſæpius ex verbo Europæorum, Aſianorumque doctrinas, ſuas faciant. Ita ſcriptores innumeri in dies ut fungi enaſcuntur; & ſi quid ipſi novi ſuo Marte cudunt, paradoxis ſcatet, ut mare conchiliis. Fuit, qui inventam à ſe novam, ut videbatur, quæſtionem profligaturus, unius anni diſpendio diſcipulos oneravit. Quærebat verò, *An barba felis unius eſſet ſpeciei, cum proboſcide elephantis*; cujus quæſiti appendicem problematicam edidit, *de antiquis Heroibus in culices converſis, ut haſtis amentatis in Gigantes pugnarent.* Ad filum redeo. Manet Monarcha Prantaticuræ, ſuæ Regiæ perpetuò affixus, niſi cùm animi gratia aliquot lapides ſecedit; unde ad viſitanda regna, nunquam ſeipſum effert, ſed cum poteſtate mittit viros plerumque flocci, quorum ingenio res Regnorum ſtat, caditque; Regna & Urbes non continuo territorio, ſed ſparſas per exterorum Principum Provincias habet: plerumque in meditullio; ita ſe miro aſtu, & vallare exte-

exterarum Urbium cuſtodia , viciſſimque in eas ſub jugum ducendas velut è ſpecula, jactant intendere; & hactenus admirabili ſucceſſu , modicíſque quod huc ſpectat expenſis evaluerunt, valebuntque in poſterum, niſi Principes , officii admoniti , ſervitutem imminentem avertant; ſi tamen Monarchia ſcindi jam cœpta non priùs exſcindatur. Hoc ſtatu non ſua ſolùm, ſed omnium aliorum Principum geſta, arcanaque conſilia callidi venatores reſciſcunt , & Monarcham per occultos veredas edocent, nec quicquam tutiùs , certiuſque reliqui Principes , quàm ex ore Monarchæ aſſequuntur: Habet hic Emiſſarios ubique ſagaces, qui Principum animos capere docti , ultro in conſilia ſe penetrant , & præceptæ opinione ſapientiæ trahunt quò volunt , ſcilicet ſpecie in amicitiam Monarchæ, re in obſequium & ſervitutem. Horum diligentia totus Orbis facile Solipſorum ſceptro hactenus paruiſſet, niſi effrænis dominandi libido proſperos ſucceſſus corrupiſſet. Qua Principes animadverſa , tempeſtivè caverunt, præclaro honeſti prætextu, nolle ſe tanti Monarchæ abuti gratia, unde & Emiſſariis paulatim viam præſtruxerunt. Quare cùm cœpta lentiùs procederent, monui clam Monarcham , moderaretur animo ſuo, futurum alioquin , ut præſumptione Emiſſariorum, qui omnia auderent, provocata Principum conſpiratio Monarchiam aut everteret aut certe humiliaret. Sat notæ jam Solipſorum artes exteris Principibus, adulandi fingendique technis pretium reliquere viliſſimum. Addidi, ſi meliora optaret , ſub manu mihi eſſe conſilium, paratumque exequendo ſtudium , id eſſe, ut admiſſa Evangelii prædicatione Romano Pontifici ſe populumque ſuum & univerſam Monarchiam exemplo aliorum Regum & Monarcharum obſtringeret. Hic ille gravi ſupercilio interrumpens, Non eſt, inquit, è dignitate Monarchæ Solipſorum ulli ſe obſtringere, qui omnes ſibi ſubditos velit : cæterum libenter Romanum Pontificem ſecundo loco ſe habiturum, ſociique & commilitonis appellatione decoraturum, ſi ipſe legibus politicis Solipſorum honeſtè pareat

reat immuni Evangelio. In hac forma daturum ſe tabulas authenticas, miſſurumque legationem, ſi primus eam Romanus Pontifex decenti ſubmiſſione imploret. Plura in hunc ſenſum dicere parantem tuſſis inhibuit, me verò inteſtina commota officii monuere. Poſt horam reverſus, Potentiſſime, inquam, Monarcha, meliora refero, quid ſi Romanum Pontificatum ditionis tuæ fecero, quid præmii abſtulero? Ad hoc ille velut è veterno curarum repente experrectus, & altùm ridens. Dum vivo, inquit, ſecundas; demortuo me, ut primas obtineas lege fato. Cui ego, malim mille capita delatorum habere in præſentiarum, quàm ad futura ambigere, & intutò adſpirare. Verùm ne conſilium fuerit internecinum, vivant miſeri, dum tuo bono; forſan & adulatores aliquando reſipiſcent. Hoc ergo cape conſilium. Ex omnibus, quibus abundas, fingendi, ſimulandi, mentiendi gnaris, mitte Romam, qui ſe in Aulas Purpuratorum callidè inſinuet, & ſapientiæ famam aucupatus, Religionem quoque Chriſti omnibus omnia factus ſtudioſè repræſentet, tectis interim mente Solipſorum Sacris, ita in omnem ſectam paratus, ſi quando occurrat ſcripto ſententiam edere, cautè noverit, in quam partem ſacer Senatus inclinat, in eamque ipſe pedibus contentim eat: quidquid animus veri in diverſum trahat; ita futurum eſt, ut placendi ſtudio, doctrinæque opinione vulgatus, facile in Purpuratorum collegium irrepat, iiſdemque artibus tandem ad Pontificatum aſcendat. Id ſi fuerit, fuerit verò citra dubium, Romanæ Eccleſiæ Principatus potentiæ tuæ cedet, accedet. Et ne te Emiſſarius fallat, duplici hominem ſacramento adſtringas, ut jam Purpuratus, Sacri Senatus conſilia quævis arcana, nullo ſecreti vinculo obſtante, tibi pandat, & Pontifex renuntiatus nihilominus obſequio tuo maneat obnoxius. Habens ſenſum conſilii: deinceps utere foro tuo. Audiit exultabundus, datoque oſculo, immortalitatem ſpopondit. Poſtridie coactis Satrapis evulgatoque pectoris arcano, cùm omnes miro cum plauſu aſſenſiſſent, divinitatem gratulati, delectus

ex omni numero eſt Salinus Geviloſius *(a)*, ad omnem horam, mentem, dictum, factum ipſe factiſſimus, qui Urbem æternam copioſus peteret, atque in eam rem feliciter intenderet, additis etiam ex ordine plebejorum *(b)* fidis, & catis latronibus, qui geſtorum omnium obſervantiſſimi Monarcham edocerent.

(a) Joannes de Lugo. *(b)* Ex laicis, ſeu Coadjutoribus temporalibus Societ. tis.

Caput XVI.

Varii rerum apud Solipſos eventus.

SAlino *(a)* profecto in Europam, Monarchæ & Satraparum animos curæ angebant, ne aut ſpes falleret, aut ſi Salinus ad Pontificatum perveniſſet, veteratoriè illuderet, utpote venalem habens opinioſiſſimam in contraria mentem, & placendi ſtudio omnia probantem. Quibus dum æſtuaretur, certatim aderant, qui ſales ſererent. Et ibant quotidie in forum, & compita, qui eos à peregrinis nundinati Monarcham oblectarent: forte advenerat circulator Ægyptius: hic in media platea ligneo crocodillo inſidens, de Luna gerras ſerere. Ajebat Lunam aliud nihil eſſe, quàm ingentis rotundi caſei formam, cujus quotidianum decrementum in Deorum convivia cederet, quoad veteri abſumpto recens per menſes apponeretur, eadem forma ac magnitudine. Quæ fabula ita Monarchæ arriſit, ut accerſitum coram audire cupido inceſſerit. Venit ille, auditusque & multis interrogatus, reddidit ſe eam doctrinam ex iis quibus comitaſſet accepiſſe, qui præterea profiterentur in Cœlo campos eſſe, lacte, butyro, & melle manantes, non niſi ad lacticiniorum frixorum, & dulcium jurulentorum uſum. Illos pone adeſſe in foro, dicturos

(a) Joanne de Lugo.

ros plura inaudita, ſi Monarchæ luberet. Dictum factum: vocati, & admiſſi, Monarcham primùm adorare, vultu ſubtriſti, ſed qui Philoſophos decet, macie reverendo; mox Senior os patulum in hæc verba laxare: Salvus ſis Monarcharum maxime, noſtra, tuaque, ſi ſunt, Numina te ſoſpitent: de Cœlo ſervavimus, meditari te Regnum proferre, ultra quàm olim bella Gigantum ſeſe explicuêre. Adſumus opportuni ſi audias, & Regnum, de quo dixit Ægyptius, ditioni tuæ ſubdituri: ſimulque exhibent auro argentoque pictas affabre divorum imagines. En cives Regni illius, quàm decori, quàm vultu amabili, & auguſto: brevi tibi ſacramentum dicturi; mox & horologia promunt curioſè facta, & demenſa diei noctiſque ſpatia tinnulè loquentia. Hæc, ajunt, manu noſtra fabricata, ſolis curſum ſignant, morantur, incitant ut lubet: unde ſcias, quæ noſtra in rerum univerſa poteſtas, experimentum poſtridie capturus. Mane deſcriptas vario colore in muris editioribus horas ſolâres, ſignaque cœleſtia monſtrare, & reſpondentes admuſſim cum umbra gnomonis lineas, ſonanteſque momentis iiſdem ex adverſo malleolos cùm oſtendiſſent, attonitum reddidêre Monarcham. Et roganti quid præmii vellent, nihil aliud ajebant, quam de Regno cœleſti pro concione verba poſſe facere. Annuit, & poſtridie coram frequentibus ordinibus de gloria Regis, de opulentia Regni, bonorum omnium affluxu, malorumque abſentia copioſè dixerunt; conteſtati, facturos ſe Monarcham ejus Regni Tyrannum, ſi dictis fidem haberet. Quibus cum pruritu acceptis, viciſſim ille promiſit, adepto eo permiſſurum ſe eorum poteſtati Solem, Lunam, & Stellas, ac ut regendo tempori perpetuò præeſſent. Convenit utrimque. Mox iſti concionales facti, nec tempus, nec modum ſervare, ſæpius excedere, & ſua horologia ſuo ſenſu moderari, rariùs contractis, ſæpiſſimè productis ad incerta ſpatia ſonis. Sed enim deprehendere dolum, quibus aures ad ventrem Satrapæ; ſenſit & Monarcha inanis, ad quem eſurientes Satrapæ; homines iſti, quos dominio

Solis, horarum, & temporum donaſti, ſi nondum inito Cœlo, miſerè adeo nos vexant, quid facturi ſunt eo adepto? nihil propiùs, quàm ut productioribus horis fame, contractioribus apepſia necent, te quoque tuo Regno, quod in præſens poſſides, exuturi. Expedit proinde reſciſſo pacto, quam primùm eos tota Monarchia faceſſere. Dum deliberatur, adſunt alii, & admiſſionem petunt, dicturi quædam ad palatum Monarchæ. Introducuntur homines barba hiſpidi, cannabo cincti, nudi pedes, vertices raſi, epomidibus à tergo pendulis, & adorato præbent humilia dona, cæras figuratas, chordulas contortas, imagines chartaceas fumo tinctas. Quas ut adſpexit Monarcha. An & hi, inquit, Cœli cives? quàm diſſimiles prioribus! niſi forte plebejos referant. Iterum, num & vos promittitis Cœlum, ſi fidem habeam? Affirmantibus illis, qua poſſent, ſi permitterentur Evangelium docere. Conſenſit, ſed addito pacto, ne Solis, Lunæ, Stellarum, ulliuſque temporis dominium uſurparent. Mirantibus illis, nec ſimile quidquam affectantibus, permiſſum loqui. Illi poſtero die coram Monarcha & Satrapis de peccato primi hominis, de redemptione per Chriſtum Crucifixum breviter & nervosè dixerunt, prolataque in medium effigie Crucifixi, omnibus non admirationem minùs, quàm horrorem incuſſerunt: auditique clamantes, aut delirare, aut mentiri centonatos *(a)* iſtos garrones, qui Regem Cœli Crucifixum vociferarentur, quem priores glorioſum prædicaſſent, niſi hic plebejus ſit, diverſus ab altero, & ob noxam plexus, cujus Hæredem indecens eſt eſſe Monarcham, vel ſi dono cederet. Tum acciri juſſos Monarcha, cùm mente ſanos & verbis ſimplices deprehendiſſet, priorum vaframentum conjectans, ut doloſi honorum & opum manticularii à fuga retraherentur mandare. Verùm illi jam exceſſerant, nunquam redituri: nec meliorem Centonatis locum reliquere, quod laus Crucifixi Regis barbarorum auribus gravis & abſona eſſet.

(a) De Capucinis ſeu Franciſcanis loquitur.

eſſet. Ut nihilominus in Regno manerent, quotidiana ſtipe victuri, nulliſque noxii ob cauſam continuò memorandam, permiſſum eſt.

Caput XVII.

Salini Genilosii (a) ex Europa littera.

Forte adſuêre ex genere erronum, portitores litterarum, compreſſo faſciculo, miſſi ex Europa à Salino, immani pretio angariati. Is inter alia renunciabat Viboſnato (*b*) de proſpero ſuo in Urbem adventu, de bene cœptis, poſtquam ſimulata religione baptiſmate tinctus in Vaticano fuiſſet, de annua penſione conſtituta, in honorum ſuſtentationem, de opinione doctrinæ antecapta, cæteriſque præſidiis ad ſublimia gradum oſtendentibus, niſi fortaſſe fata favorem Purpuratorum corrupiſſent. Id verò, ajebat, ſe metuere ob non paucos qui à Solipſis proſcripti huc evaſiſſent, & coram Principibus Europæis turpiſſima nota nomen Solipſorum traduxiſſent, irritatis omnium animis, qui niſi everſa, vel depreſſa Solipſorum Monarchia, quieturi vix forent. Nec ſibi è re videri, ut reſpondeat, vel excuſet, ni fictionem prodat, ſed magis ut vituperet, quando ipſi proſcripti Salini potiſſimùm auctoritate dictis ſuis robur ſufficiant. Facturum ſe nihilominus, ſi poſſit, ut clanculario ſcripto in vulgus ſparſo refellantur. Pergit deinde ad objectorum præcipua capita. Solipſos nulla nedum gentium, ſed nec naturæ lege vivere; omnia Monarchæ libidine conſtitui, hominis nec ore nec pectore conſtantis, ſemperque injuſti, ut qui modeſtos premat, inſolentes foveat, cujus gloria ſit mancipio habere ingenuos, dominari velle plebejos, nulla præmia præclarè factis, ſupplicia peratrocia decernere minimis erratis, nullo juris proceſſu, ſed temerè & perperam judicare, fictè agere, idem affirmare, idem negare, ini-

(*a*) Joannis de Lugo, (*b*) Mutio Vitelleſco.

iniquos delatores impunè ſervare; verbo, regnum impotenti affectu regere, leges omnium gentium ſus deque habere, ſe unum mortalibus omnibus efferre, ac ut orbem terrarum ſub jugum ducat, omni ſtudio contendere. O quàm mihi metuo, ajebat hoc loco Salinus; ne conjecto adventus mei ſcopo, luam proditoriè; ſed hactenus cautam ſervo mentem, tuisque Monarchiæ vituperatoribus obſecundans. Illud etiam acerbiſſimæ iniquitatis plenum eſſe dicunt; plerumque per multos annos dirè plecti miſeros, nulla eis cauſa indicata cur patiantur, ne aut juſtitia ſe tueantur, aut innocentia. Interdum verò ex leviſſima culpa, quæ verbo emendari poterat, Monarchæ & Satrapis inviſos, tametſi aliàs digniſſimos, abſtineri perpetuò ab honoribus & muneribus, ipſis inſciis, nec monitis cur negligantur, eoque tabeſcentibus. Denique cumplures nulla legitima ſuſpicione vocati in diſcrimen honoris & famæ, & luere extrema omnia, nulla admiſſa defenſione innocentiæ. Quæ ſi demum aliunde pateſiat, non ideo meliorem fieri conditionem, ſed laxata duntaxat pœna permitti vitæ ærumnoſæ; cæterùm, nec abſolvi, nec in integrum reſtitui, nec alio præmio conſtituto, hærente ſemper ignominia, vexari: idque fieri, ne vel calumniatores iniqui talione, vel leviſſimi cognitores pudore teneantur. Quæ omnia non niſi ex temeraria ſummæ poteſtatis præſumptione, juriſque omnis humani, & virtutis illius, quam hìc charitatem vocant, nos iſthìc neſcimus, ignorantia committi clamant. Jam & hoc in ſumma calamitatum numerant proſcripti, ſe nunquam non jure potiores, ſemper tamen cauſa excidere; quòd turpe exiſtimetur à ſubjectis vinci ſuperiores, minuſque mali juſtitiam vulnerare, quàm his notam infligere. Et ne unquam, ſive conqueri in poſterum miſeri, ſive gloriari vincentes poſſint, eos quàm longiſſimè relegari extra Solis famæque vias, ut ne audiri aliquando queat, in rerum natura alicubi ſint, an penitus extincti. Ajunt horum omnium malorum fontem eſſe Monarchæ Solipſorum perpetuitatem, quaſi

qui

qui omni juri ſuper eſt; hoc jus ipſe ſibi conſtituat, æternum legere, nec ullius Numinis, aut hominis ſupra ſe poteſtatem agnoſcere. Urgent proinde, ut collatis Europæorum viribus Solipſorum imperium aut exſcindatur penitus, aut limitato Monarchæ tempore caſtigetur. In quam rem implorata Papæ (ſic Romanum Principem vocant) auctoritate, omnia confecta putant, ſi his humiliato Monarcha aditum ad Solipſos Evangelio patefaciat: nec eſt argumentum præſtantius, quod Papam ad bellum Solipſis inferendum, Principeſque Europæos permovere queat. Pergit Salinus ſe non dubitare ſuum quoque conſilium à Purpuratis periclitandum, nec ſibi aliud mentis eſſe, ut mentem non prodat, quàm dicta proſcriptorum approbare, & Europæorum regendi rationem laudare. Hi enim aut in regnis ſuccedunt nati Reges, & legibus Regni utuntur, nil perperam agentes, ſed prudentum reſponſis auſcultantes: aut à populis leguntur, & temporanei ſunt; vel ſi perpetui, ſervare leges jurant, ſuaque ſponte coercentur, & ſapientum conſiliis reguntur. Nemo unus eſt, qui omnia ſolus velit, auſit; ſed neque Papa, qui, quemadmodum Europæi perhibent, Numinis æterni diſpoſitu perpetuus eſt, & omni legi humanæ exemptus, quicquam niſi ex conſilio ſui Senatus plerunque agit. Idipſum cernitur in Sacrorum cœtibus, quos hic Religioſos appellant. Hi aliquando perpetuos dicuntur tuliſſe Hegumenos, ſed quàm damnosè experientia docuit: & ne in poſterum durarent, judicio Papæ perfectum eſt: neque hactenus viſum, ut contra, ex temporaneis tranſirent in perpetuos, quod id nihil unquam compendii, ſemper damni plurimum rebus attulit. Ajunt quippe hanc perpetuitatem ferre ſecum, ut pauci admodum reddantur ad regendum idonei, longævitate Monarcharum ſpe ſua fracti; ac interim Monarchæ omnia miſcentis poteſtate variè exerciti, ut paucis, nec præclaris aditum ſtruat ad Regnum, ſcilicet quos ſui moris eſſe novit, nec ab exemplo diſceſſuros. Contra temporaneis, per momenta ob oculos animumque

verſati, ut brevi deceſſuri, meliorem ſucceſſoribus relinquant Rempublicam, ac interim modeſtè imperent, memores conditionis ſuæ, ex Regno oblata mox vacatione in ordinem redigendi. Idque unicum & ſalutare cenſent remedium eſſe Monarchis officio continendis. Præterea juſti tenorem non ſanctius ſervari poſſe contendunt, ne indigni aſſumantur, optimi dejiciantur; tota Monarchia nullo æquimento paulatim ad nauci homines redacta; quando, & vitia, & virtutes ad libitum finguntur. Quæruntur nimirum proſcripti, ſe non alia de cauſa ejectos, quàm juris, cùm flagitarent, non ſervati, idque capitale ſancitum, ſi flagitaſſent, cùm interim ob minimos exceſſus plecterentur acerrimè, quando omnium licèt diverſiſſimorum errorum paria eſſent vocabula; ut perinde reus Majeſtatis poſtularetur, qui pyrum comeſſet, & venenum propinaſſet; muſcam, aut bovem occidiſſet. Quæ omnia ex ignorantia juris, an inſolentia arbitrandi promanent, in medio eſt: Duo tamen plerumque præcipua expendunt contrahendi Imperii momenta; alterum grave ſanè, ſenectutem durantis non ad mentem, ſed ad vitam invalidam, unde prona ſint omnia ad labefactationem, nullius interim auctoritate legitimè recta Republica, ſed imbellibus deformata conſiliis: alterum longè gravius, ſi quæ pravitas, vitio longævè Regnantis, invaleſcat, vix futurum ex ſucceſſoribus, qui diſtorta ad normam reducere, labentia ad ſtatum erigere queat, quando vel unius anni tortitudo plurium annorum rigorem requirat: cùm temporaneus interim Magiſtratus, etſi pravus & tortus, non tantum deformitatis aut enormitatis afferat, quin unius alteriuſve ſucceſſoris prudenti regula valeat emendari. Ad quæ argumenta, inquit Salinus, cùm vix eſſet, quid pro Solipſorum Monarchia reponi poſſet; Ambitio ſe obtulit: pulchrum quippe videbatur, arcere honorum prenſatores, qui circumſcripto brevi tempore principatu, capita elati, occultiſque artibus ſceptra venati, Regnum pluribus dominis obruerent; quando vel in minimis difficile eſt ferre æmulum,

lum, nedum parem. Sed reſponderunt proſcripti, lege coërceri poſſe ambitioſos, ſi deprehendantur, nec deeſſe ſupplicia ſalvis juribus; quamvis ex horum affectatione non plus damni oriri certius ſit, quàm ex diuturnæ dominationis abſolutæ aſſuetudine; quæ, ſi competitores ſemper impellit in vota novi magiſtratus, tum interdum diu ſuſpenſos animis, in malum provocat diu regnantis. Quin verò expedire putant, plures eſſe qui ambire modeſtè norint, nec damnoſum eſſe Monarchiæ, imò maximè honorum, multos habere regno pares, nec in unius miſerandi capite ſortem omnium, & fortunam publicam miſerè errare. Hæc fere, & plura Salinus in litteris, manu quoque & fide lateronum firmata. Quæ coram Satrapis lecta, diviſos omnium animos mutuò ſe contuentium conſternarunt, metu præſertim belli impendentis, quòd ſuſpicarentur præventas à Papa plagas, quas Monarcha Solipſorum capiendo Romano principatui dolo tetenderat. Quare Comitia Majora indicenda ſuadent, ut quid facto opus eſſet, ne Solipſi humiliarentur, maturè deliberaretur. Nec defuêre, qui Salinum in animos Europæorum penetrantem, non extra dolum malum eſſe conjicerent, eumdemque, ſi fors ferret, ſplendore purpuræ captum, primum fore Solipſorum Monarchiæ hoſtemque infenſiſſimum. Sed hæc hactenus. Interim vocatis clam Centonatis (*a*), quos hac de cauſa detinuerant, ſuaſere multis promiſſis, ut pars profecti in Europam, Principibuſque callidè expectoratis, ſi quid adverſum Solipſorum Monarchiam ſuſcepiſſent, injecta ſuorum Numinum religione conarentur avertere, & meliora de Solipſis ingerere. Quod ſi perfeciſſent, futurum in Regno eorum generationi perpetuum locum, & gradum, liberumque per omnia genera commercium. Arriſêre illi, cum lubentia paratiſſimi officii, certò recipientes, facturos ſe, ut Europæi Solipſis temperent, nec deſiderare artem conciliandorum, ſæpius jam feliciter periclitantem,

(*a*) Capucinis ſeu Franciſcanis.

tem, ſemperque ſub manu eſſe conſilium verſandi in utramque partem, procul omni ſuſpicione doli, quem ſi mens condat, habitus arcet Europæos longè poſitos, nunquam, niſi per nubes incantamentis rectos, ad Solipſos ſalvo milite trajecturos; caverent potiùs à finitimis, ne iſti colluſione turbas faceſſant, Europæis morem geſturi, qui cæterò ad arma in ſe convertenda proniores ſunt, quàm remotis populis magno cum diſpendio inferenda. Hæc Centonati: quibus abituris datæ ſunt plurimæ voluminum centuriæ, quæ Solipſorum præclarè geſta, laudeſque à ſæculo incomparabiles loquerentur. Scilicet inter proceres & Principes Europæorum dono diſtribuendæ, ut vel inde conſtaret de univerſa rerum natura longè excellentius meritos eſſe Solipſos, quàm ut quiſpiam mortalium ipſis male velle poſſit: idque ut mediata peroratione Centonati omnibus conteſtarentur imperatum. Sed jam reliqua ad hujus Monarchiæ propagationem ſpectantia inſpiciamus.

Caput XVIII.

Conjugia Solipſorum, & liberorum educatio.

Conjuges Solipſi tot habent, quot alere poſſunt, nec tam adoleſcentes, quàm adultas, ſæpiuſque anus decrepitas, & has, (quod monſtri inſtar meritò mireris) fœcundiſſimas, raroque abortientes, imò ſub ipſum exitum vitæ copioſiùs enitentes. Hæ porrò omnes concipiunt, non coitu, ſed verbis & afflatu, pariuntque non utero, ſed manu, contra aliarum mulierum naturam. Admittunt & ipſæ plures maritos, ſed tum minus fœcundè pariunt, minuſque gratum edunt partum: univerſim verò nullum certum pariendi tempus habent, ſed modò citiùs, modò tardiùs enituntur, interdum Elephantinum partum ſuperant. Eo certè maritis gratiores ſunt, quò citiùs, & ſæpiùs, & copioſiùs pariunt, quamquam ultimæ ſenectutis partus ſubinde inter gratiſſimos habentur, & feliciſſimos.

Edi-

Editos liberos, non uxores, ſed mariti lactant lege Solipſorum, nutriuntque ad metas uſque adoleſcentiæ; tum aliis commendant formandos, ſed non extra tribum; poſtquam juventutem exactam, virilem ætatem ingreſſos cum fœnore altorum repetunt, vitamque deinceps domi ſecum agere jubent, ſenectutis habentes levamen. Hæc de maribus præcipuè, nam fœminas aut rarò edunt, aut editas, & vix ablactatas elocant, dote non data, ſed contra mores gentium accepta à ſponſoribus, & in cenſum converſa. Cæterùm non hoc ſolum generis prole beatos ſe cenſent Solipſi, verùm multò magis alienæ ſobolis rapina, quod ad populum parandum, gentemque multiplicandam illis unicum & ſingulare præſidium eſt: hinc ingens ubique numerus civium otioſè vitam traducentium, coloniæque ad ultimos Orbis fines exportatæ. Nimirum partubus finitimarum alieni juris gentium ita inſidiantur, ut ſerpens ovis perdicum; hoc rapiunt jam adoleſcentes, & nova velut incubatione fotos, paulatim ad mores ſuos ita efformant, ut domi genuiſſe videantur. Diceres ab urſis lambitos, niſi formoſos rapuiſſent. Nihil porrò magis curant deſtinati ad munus Emiſſarii, quàm ut delectu rapinam exerceant, nec ullos obſcuro natu deſignent, niſi quos indoles fortunave credatur elatura. Hæc rapina divinum planè ipſis quoddam inventum eſt ad ſervandam augendamque Monarchiam, ſtabilitis finitimorum fœderibus, metu liberis. Ita quippe fit ut natis Magnorum potiti, in parentes quoque conſanguineos & affines Imperium populare exerceant, adeoque integras cum familiis urbes, & Provincias ſenſim obtineant. Nec alia re magis potentiam ſuam jactat Monarcha, quàm habere ſe mancipio ſupra centum mille puerorum, alienigenarum natos, arbitratu ſuo ad omnia factos, horumque reſpectu famulantem ſibi totius mundi parentelam. Audivi non neminem ex Aſianis dolenter conqueſtum, exhauriri nobiliſſimas familias, trahique quotannis non unam adoleſcentium raptorum myriadem, ducturam in otio, & indolis oppreſ-

preſſione vitam ærumnoſam; qui alioqui ad omnia ſumma nati, patriæ, orbique univerſo, ſaluti, & ornamento futuri erant. At is tantùm abfuit, ut profecerit, ut provincia, quam adminiſtrandam ſuſcepturus erat, cedere juſſus, paulò pòſt etiam in Africam deportatus ſit.

Caput XIX.

Redditus Solipſorum.

Miro ſanè artificio diviſæ ſunt opes Solipſorum, ut ſi Præſidia Urbium excipias, quibus certa ex agris ſunt ſtipendia, aut cùm miles ad expeditionem ducendus eſt, cæteri nullos habeant certos proventus, nullos cenſus agrarios, unde victum parent, nullas præterea auri vel argenti fodinas, unde talenta cumulent, nullas denique ex mercibus aut opificiis auctiones, unde lucrum pecuniarum æſtiment: abundant nihilominus magnificis expenſis erogandoque pares, & ex ſuperfluis inſanæ paſſim ſplendidiſſimorum ædificiorum ſubſtructioni intenti. Tanta rerum fortuna largitionibus duntaxat, donariiſque finitimorum Principum, ac populorum conſtat, certa adeo, liberalique contributione, ut incerta ſit accepti copia. Atque hæc Monarcharum Satraparumque ingens eſt gloriatio, habere devinctas omnium opes, quorum liberos rapuerunt, eoſque habere nullo ſuo labore, cultu aut quavis parandi ſollicitudine tam obnoxios, quàm ſanguinis tributarios. Nemo enim unus eſt, qui filiis apud Monarcham, bene habendi cauſa, viſcera non profundat, nedum opes, muneraque conſtituat auctiora, quàm annui cenſus ferrent. Sic ſanè captata gratia filii aſſurgunt: Et ſi interdum indole caſſi nec officiis pares, præſtat defectum Monarchæ favor. Par ratio ex Tributariis. Teſtatores facit parentes, agnatoſque ſignata penes Monarcham ſuprema voluntate, æqua in vivos & mortuos poteſtate; is ſuccedit hæres non lege teſtamenti magis, quàm jure fiſci, (quod nobis

nobis Europæis eſt ſpolium) diciturque *Dominus altus.* Sed in ſummo jure non immemor beneficii, defunctorum familiam inter cives accenſet dato chyrographo, indulgetque ſolito Solipſorum privilegio, ſi quando decedant, aditum ad beata Numina, ac interim defunctos Apotheoſi donat. Jam quidquid Ganges, Tagus, cæterique auri, & gemmiferi fluvii, monteſque fundunt, aut quidquid medicamentarii terrarum abdita viſcera creperis ſcrutatorum laboribus produnt, magnam partem Monarchiæ cedit, ſupra Regium cenſum. In eam curam Præſides Provinciarum, ſi in aliam, unicè incumbunt, nihil ut non ſartum tectum repræſentetur. Totum id in quatuor partes tribuitur: primam vendicat gaza Regia; alteram Pharmacopæum publicum: tertia creandis pecuniis impenditur: quarta finitimis Principibus doni beneficentiæque titulo mittitur, magna Solipſorum æſtimatione, ob raritatem munerum, & gratiæ pretium, in amuletis maximè prorogandæ ætati idoneis: unde cùm vitam eis ſe debere blandiendo agnoſcant, paulatim & libertatem dedunt: felices pronuntiantes, qui Solipſorum Monarchæ ſerviunt, & pluſquam Regina Saba divitias Salomonis, copiam rerum peregrinarum ſtupentes, viciſſim illi talenta auri argentique reddunt. Cæterum quia coercito parentum vigilantia Principumque ſeveritate plagio, donariorum ratio labilis eſt. Expediret certa fundorum poſſeſſione cenſum conſtituere, idque Brotacano (*a*) Monarcharum primo, viſum initio, quod ſapienter præſagiiſſet, futuros aliquando Solipſos, ſive ſuo vitio finitimis exoſos, ſive æmulatione meliorum, ad quos favor reſpexiſſet, neglectos contemptoſque. Neque latuit ſucceſſores providum legiſlatoris conſilium, idque res, & tempus poſtea monuêre; ſtimulantibus etiam Principibus viris, quibus Solipſi vel cari, vel ſuſpecti, vel indiſcreta, prætextu donariorum, exactione graves erant. Verùm iſti ruſtica quadam ſui præfidentia, & tumore pectoris, quaſi

(*a*) Cantabro, id eſt, S. Ignatio.

quaſi conſtantia elati, tantùm abeſt, ut neque unquam parerent, ſuperbè obduruerint, inviſa prudentibus ſubditis obſtinatione, qui communi cum cæteris mortalibus lege victuri, optarent non prægravari oneribus, quæ Monarchæ, & Satrapæ, bonis aliorum labore paratis jucundè perfruentes, minimè ſentiunt.

Caput XX.

Bella à Solipſis geſta.

NIhil hic de vetuſtis, quæ fabuloſa ipſi in compitis & circis jactant, & in Annalibus ad nauſeam repetunt; exempli gratia olim in pugna Gigantum unos Solipſos cœleſtibus auxilium tuliſſe, duce Lopio Bumnavo *(a)*, qui idem in condendis rerum naturis, opifici præſto fuerit, formamque univerſi in palimpſeſto delineatam obtulerit: fugatos Gigantes aurum quod rapuerant ſparſiſſe per campos Cœlorum, quod deinde noctu relucens, magno mortalium beneficio, ſtellarum quas conſpicimus nomen tulit: ipſos verò poſt Herculeum fretum in Oceanum præcipitaſſe, uno duntaxat ſeniore Bulzegugo vexillifero, infimo orbe ſua mole detento. Nam cùm ætate & corpore gravis, cæteros fugientes aſſequi non valeret, tentata fractura, hæſit capite tenus inter medias rimas, reliquo corpore ſurſum verſo: hoc ipſi caput Lunam plenam eſſe dicunt, adeoque faciem Lunæ nobis viſam, faciem Bulzegugi in terram proſpectantis, & ſuorum opem fruſtra implorantis. Quod autem crebrò dichotomos, & ſyncipite, occipite tantùm corniculatus appareat, aſſiduum retro eluctantis conatum, ſi quo modo caput inſertum redimat, indicat, ac interim tergo natibuſque à cuſtodibus ſuperis vapulans, fæda non minùs quàm horrida edit ſpectacula: nam & mingit, & reflat, & ſpirat, & cacat. Hinc

(*a*) Jacoco Lainez, Præpoſito generali poſt Ignatium, qui Concilio Tridentino interfuit. *Vide Ribadeneiram.*

Hinc illi pluvias, ventos, nubes atras, tonitrua, fulmina, grandines oriri perhibent, pluraque id genus inſignitis muſca Annalibus tradunt, nec antiqua ſolùm, ſed quæ medio tempore, atque etiam poſt erectam Monarchiam geſſerunt, per Centurias deſcribunt. Quæ omnia ipſis remittentes, ea dumtaxat breviter & ordine narrabimus; quæ noſtro tempore circiterve, per annos quadraginta quinque ſuſceperunt, & ferè dubio exitu clauſerunt. Primum ſuperbia excitavit. Nam cùm Avidus Cluvius (*a*), ditione, prædeceſſorum virtute nonnihil prolata, Regnum attollere tentaſſet, nec amplius Sumonacleſtum (*b*) Sottirobuſiorum Principem potentiſſimum, cujus beneficio Manimorandiæ (*c*) provinciam poſſidebat, agnoſcere vellet: hic hominem in ordinem redacturus, dominatu privare, & in Marboreiam relegare conſtituerat, urgente potiſſimum Sennarimandomo Regni Scriba, Avidio Cluvio nequicquam ſuis juribus ſe tuente, ſed ſenium morbidum miſeranter interponente, fruſtra omnia fuiſſent, niſi Sumonacleſtum in medio conatu mors tuliſſet. Tum reductus miles Solipſis jactandæ gloriæ locum reliquit, quaſi prælio viciſſent, & Sottirobuſiorum Principem (*d*) congreſſu occidiſſent. Hoc ſucceſſu elatiores, non multò pòſt in Regno Toſeneveorum (*e*) turbas commoverunt; dominaturi, niſi iſti evigilaſſent, aut niſi Solipſi, conſiſtente jam ad pugnam acie, à Soricio Duce deſerti fuiſſent. Tum enim Toſenevei circumventos male mulctarunt, pluribuſque cæſis, & paucis precariò ſervatis, omnes demum commercio in perpetuum interdicto proſcripſerunt. Stetit hoc bellum ſane Monarchæ Viboſnato immani pretio, nunquam hactenus reſarcito, eoque triſtiori exitu, quòd omnis recuperandi juris ſpes crederetur præciſa. Memorant uno ab hinc ſæculo, Regno quoque Romullagorum (*f*) pari

(*a*) Claudius Aquaviva. (*b*) Clementem VIII. Summum Pontificem. (*c*) Romaniæ, id eſt ſtatus Pontificii. (*d*) Summum Pontificem. (*e*) Venetorum.

(*f*) pari ex cauſa ejectos Solipſos, diuque adverſis jactatos, ſerò tandem poſtliminio purgatis facinoribus revocatos, ad gentis mores & ritus ſe conformaſſe, ſua religione ejurata: hoc enim illis ſolemne ad fœdera ſancienda, dum mentem, ut perhibent, injuratam ſervent. Pene eadem tempeſtate, ſuſcepta contra Solvinianos (*g*) expeditio, quòd hi leges Solipſorum corrigere tentaſſent; & arſiſſent hoc bello, religionis, ut videbatur, prætextu, quamplurimæ Provinciæ, niſi Utoxius (*h*), qui tum Sottirobuſis imperabat, auctoritatem interjeciſſet: hunc reveriti Solviniani conceſſerunt, perſtrictis tamen ante Solipſis eatenus, ut ſe erraſſe coram Utoxio faterentur, publiciſque tabulis, ſaniorem in poſterum geſturos mentem ſponderent. Verùm hæc duo bella ante meum iſtuc adventum, & medio tempore geſta ſunt. Ad ſeriem redeo. Imperante Sottirobuſis adhuc Sumonacleſto (*i*), ingens bellum exortum eſt inter Solipſos, & Cinimonaduſios (*k*), raro inter paganos prætextu religionis, hic tamen ſpecie quadam divinitatis. Ajebant Cinimonaduſii Deum ſuum ejus eſſe poteſtatis, cui mortalium nemo valeret reſiſtere. Negabant pertinaciter Solipſi, exaggerata ſui Monarchæ prærogativa, ut ne omnibus quidem omnium gentium Diis, in unum conſpirantibus, adeſſe tantum potentiæ vellent, quo Solipſos rebellare paratos coercere poſſint. Duravit hoc bellum quinquennio, Somonacleſto Rege, & Solvinianis ad Cinimonaduſios, Alapuniis (*l*), & ex parte Latinimeraciis (*m*), aliiſque collectitiis accedentibus, victoria ad illos inclinavit, & internecione plurimorum ſopitum potiùs, quàm extinctum diſſidium. Deſiderati Solipſorum Duces Atilenavius, Tibaſavius, Calambalſineus, & plures alii: Sibalaſius, Gencaratanus deſerta acie fugerunt: Cinimonaduſii Oſmelium, & Zejulavium ſaucios avexerunt. Jactata à Soli-

(*f*) Gallorum. (*g*) Lovanienſes. (*h*) Sixtus V. Rom. Pont. (*i*) Clemente VIII. (*k*) Dominicanos. (*l*) Polonis. (*m*) Salmanticenſibus.

Solipſis victoria, tametſi relictis ſarcinis pauci evaſerint. Idem bellum aliquot poſt annos recruduit, Solvinianis (*n*) in aciem provocantibus, quod Solipſi opinione deteriores, jura gentium inceſtarent. Multis præliis, haud ſine Solipſorum depreſſione geſtis, convenit tandem ut Buſnaturii (*o*) Sotterobuſiorum Principis arbitrio res componeretur, poſitis ad tempus utrinque armis. Et hæc quidem totius gentis majora ſunt bella: Minora quædam diverſis in Provinciis agitata, nunquam adeo fortunatis Solipſis, quin meliora optarent ſæpiùs profligati. Aliqua hìc referam, ubi prius de rebellione provinciæ Abſciſſianæ (*p*) capite ſequenti meminero.

(*n*) Lovanienſibus. (*o*) Urbani VIII. Summi Pontificis. (*p*) Siciliæ.

Caput XXI.

Rebellio Abſciſſianorum. (*a*)

Populos hæc Priovincia nutrit feroces; uno tum Præſide Sinacarſio (*b*) recta, homine præcocis iræ, ingenio ruſtico, & qui nec muneris, nec Regni magnitudini par eſſet: hinc ſæpius expedire judicatum, plures immitti juriſdictione, & territoriis diviſos, ne unius numquam idonei imprudentia, ſalus omnium periclitaretur. Sed non eſt viſum Monarchæ, ne Sinacarſium amicum ingenti cenſu fraudaret, tantique Regni dominum anguſtioribus limitibus circumſcriberet. Hoc honoris auctu ſibi claudens homo iners, neque interim populis placere ſtudens, efferebat ſe in dies & ſuperbia, & ſævitia, & quaſi non precariò præeſſet, vexare ſubditos, minimiſque de cauſis mulctare, detrectantes in crucem agere. Itum ad Monarcham, quiritatum ſæpius de imminenti rebellione, niſi providè caveret: contempſit; provocatum ad finitimos Prin-

(*a*) Siculorum. (*b*) P. Hieronymo Acaſſina, Jeſuita.

Principes, quibus eminebat Maroſappanus (*a*). Hic, miſſis deprecatoribus, addidit periculum defectionis, niſi Abſciſſianis juſtè faceret. Ita factum metu, ut Provincia in plures tributa, ordinatoque Magiſtratu, populi quieſcerent. Nec tamen diu feriatum. Nam Sinacarſius deminutum ſe ægerrimè ferens, omnem lapidem apud Monarcham movit, quo rurſum integrato Regno ſolus regnaret, multoſque nobiles, ut id flagitarent, promiſſis induxit. Credulus Monarcha, miſit Buxaldinum (*b*) inquiſitum, quid è re foret. Hic qui nunquam inter Leporem & Cervum diſcrevit, perſuaſus à Sinacarſio, retulit, niſi Abſciſſianum Regnum quantocius rurſum coëat in unum, periiſſe; multiſque falſorum ſyngraphis in medium prolatis, creditum dolo, & refixum, quod pacis gratia interceſſerat, Sacramentum. Quid enim inconſtantius verbis, ubi mens fluxa? Mittitur Mimpiloſuminus (*c*) alieno tantùm cerebro ſapiens, confuſiſque juribus, ſceptra ſuſtulit, unumque rurſus Regnum initiavit, priùs tamen præſidiis clam milite obſeſſis, ne populus armis correptis omnia miſceret, uno Mimpiloſumini capite non contentus. Quievére interim concuſſi, donec paucis pòſt diebus agnito ſyngrapharum dolo vehementius exarſêre. Tum furentium agmine facto, irruere in Prætorium, exturbatoque Præſide ad finitimos provocare, & ſi manus ferrent, Regno paciſci. Impetrarunt, ut cum Monarcha de inſtauranda, caſſo dolo, fide tranſigeretur, regnumque deintegraretur: quod ſi is renueret, Sacramento ſoluti Abſciſſiani, aut potentiori finitimorum ſe dederent, aut ſuum ipſi Regem umbone efferrent. Senſit Monarcha pavidus, & certus periculi in pacta deſcendit nunquam ſervanda; facturum ſe ſatis, ſi omnium mens eadem eſſet, ut ſceptrorum dividundorum, aut populorum non unius Vicarii Imperio regundorum. Id ſibi quoque è re videri: ſtatutum fuiſſe priſcis decretis, niſi adverſantium

(*a*) Papa Romanus. (*b*) P. Hieronymum de Alexandris Jeſuitam. (*c*) P. Franciſcus Piccolomineus Jeſ.

tium ſyngraphæ obviaſſent. Cæterum firmata jam pacta antequam vulgarentur, mora ex compoſito injecta eſt, itumque interim ad antiquos dolos, ut Rantiſantius Satrapa, qui tum Abſciſſianis tyrannicè moderabatur, clam iterum omnium ſyngraphas cogeret, non honoratorum modò, ſed etiam mediaſtinorum, & ſervorum, præſcripta formula, qua omnes conteſtarentur, nolle ſe Regni ſtatum demutatum, nec niſi unum cui parerent optare. Addita dolo cautio, de non propalando ſecreto, & incuſſa violentia: quippe ex timidioribus magnam partem coactè ſubſcribere, iis, quorum pectora ſaperent, præteritis. Ita factum ut nomina magno numero miſſa finitimis fucum facerent, donec detecta barbara verſutia pleriſque iram & odium acuit; eruptura in bellum, niſi Dii faxint, ut barbari ex fide ſaltem, & jure gentium ſapere incipiant. Hactenus jura, & arma ſilent. Sed jam ad majora illa diverſis in Provinciis ſuſcitata, quemadmodum commemorabamus, convertendus ſtilus. Ea noſtro tempore ferè quaterna fuere; Rumorregienſe (*a*), & Narimeſium (*b*), quæ ferè conjuncta, Semlilenſe (*c*), & Tiremanumium (*d*). Rumorregium Urbs eſt Morandiæ (*e*) nobilis, & antiqua, cui præerat Lugarriquintinus (*f*), homo, ſi favorem Principis excipias, vilis, & regendi imperitus, qui, cùm boni & æqui non capax cives divexaret, ſeditione commota clam profugit. Princeps occurrendum ratus Rodagariſtum (*g*) mittit, qui ſorte, an meliori talento rem compoſuit. Lugarriquintinum verò, quaſi improbè factis commendabilem, Narimeſiorum (*h*) Urbi nobiliſſimæ præfecit; ſcilicet generoſis equis, & pullis buphalum. Non diu præfuit, & ruſticitatis, immaniſque duritiæ notatus, puta repentinus (*i*) Dubenus

(*a*) Collegium Græcorum urbis. (*b*) Seminarium Romanum. (*c*) Melitenſe. (*d*) Mamertinum ac Meſſanenſe. (*e*) Romaniæ, id eſt, Status Pontificii. (*f*) P. Tarquinius Gallalatus. (*g*) P. Garſadocum Jeſ. (*h*) Seminario Romano. (*i*) Dominus.

nus, ita omnes offendit, ut correptis ad ſignum armis, hominem dejicerent, ſtipatores aut jugularent, aut ſe dedentes plagoſos efficerent. Lugarriquintinus (*a*) in Turrim ſe abdens, prætereuntes magno clamore ſollicitabat, fruſtra; niſi carnifex an apparitor caſu ſe obtuliſſet. Hic celerrimè ad finitimum Principem Renſugieſum (*b*) accurrit, quo loco res Solipſorum amicorum ſint renunciat; ni ſuccurrat ipſe, omnes ad unum tota urbe cædendos priùs, quàm exigendos. Adfuit illico ingenti manu, nec quicquam initio profecit, Narimeſiorum furore gliſcente in pernitiem Lugarriquintini, quem niſi ſervorum quorumdam fides tutata fuiſſet, parato in medio atrio ligno deſtinarant. Urſit interim ad mœnia Renſugieſus, ſe non hoſtem, ſed amicum venire, non ut liberet Solipſos, ſed ut ſeditioſos ad pœnam poſcat, optare etiam ſuæ fidei dedendum Lugarriquintinum, plectendum, ſi meritus eſſet. Annuere Narimeſii amico Principi, & apertis Urbis portis, admiſſo rem ab ovo narrant, hominemque in admirationem rapiunt. Cujus gratiæ deditus Lugarriquintinus, verberibus an metu elanguens, Renſugieſus à Narimeſiis faciens illico ad Monarcham perſcripſit, niſi Lugarriquintinum tolleret, pacem à Narimeſiis non futuram, qui ſi è manu ſua ille abiret, hominis necem devoviſſent. Extimuit Monarcha perculſus, nunquam ratus audere tantùm Narimeſios, ſed eos non ſolùm ſuis viribus nixos, ubi accepit, pejora metuens, ut Lugarriquintinus poſito Magiſtratu ea urbe excederet, mandavit, ac ut cum pace deduceretur, Renſugieſi auctoritatem imploravit. Nec mora, ille non tam dimiſſus, quàm ignominioſè ejectus, Renſugieſo ægrè manus impetentium inhibente, diſceſſit, & ne ægritudine animi conficeretur Rumorregiis (*c*) Surcabinerii (*d*) gratia, qui omnia apud illos poterat, conciliatus

(*a*) P. Tarquinius. (*b*) Antonium Ricciallum, vices gerentem urbis. (*c*) Collegio Græcorum Urbis. (*d*) Cardinalis Barberini.

tus poſtliminio ad eos rediit. O miſeros terque quaterque Rumorregios! Siccine fortuna in hunc caſum vos dedit, ut quod in oculis non poteratis, in viſceribus ferretis? Ecquæ hanc apepſiam medicina ſanabit, ne perpetuus & ſonticus veſter ſit morbus? ſaltem curate diligenter ut ſæpius vomatis. Hæc de Rumorregienſi, & Narimeſio. Succeſſit Semtilenſe (*a*). Præerat hic Urbi Silvinæ Soralucus Bridenus (*b*), ſola Viboſnati (*c*) gratia; is cùm in animum Regis Elcheniæ (*d*) penetraſſet, à legibus patriis hominem tranſverſum egit, ad ſuumque modum per omnia moderantem habuit. Id indignè ferentes Picuriuri populi (*e*), honoribus, & aditu Regis arceſſiti, conſpiratione facta Bridenum (*f*) in Urbe obſident, eaque expugnata in arcem, quo is effugerat, evadunt; quæſitum ad necem cùm non inveniſſent, pluribus cæſis omnia diripiunt. Is ſe opportunè in ſubterraneum aquæductum abdiderat, unde paucorum officio totus nudus, & ſemimortuus extractus, Luna ſilente navigio effugit. Ita relicta Silvina, ad Viboſnatum evocatus cauſam dixit, qui culpam in ſe hærere ſentiens, quòd toties monitus Badenrium regendi ignarum non amoviſſet, nocentiſſimum caput non ſolum abſolvit, ſed quaſi prudentiſſimè rem, in aquæductu latens, & excernens, geſſiſſet, Moporanæ caſtro finitimo præfecit. Succeſſit Teremanumium (*g*) longè atrocius, ſed eventu ridiculo. Nam quia Solipſi ſuas ubique leges, abrogatis gentium ritibus, avidè callideque obtrudunt, forte ſubornatis viris Magiſtratui renunciant, velle ſe in Regia platea copias luſtrare, ad expeditionem Dianorum Monarchæ juſſu ducendas. Annuit benignè Magiſtratus, illi verò ducto in forum milite, ex condicto caſtra metari, & vallum educere. Qua fraude a-

(*a*) Melitenſe Collegium. (*b*) P. Carolus Ventimilia Jeſ. (*c*) Mutii Viteleſcii. (*d*) Magni Magiſtri Equitum Melitenſium. (*e*) Equites Miletenſes. (*f*) Car. Ventimiliam. (*g*) Mamertinum.

nimadverſa Tiremanumienſes *(a)* illico ad arma conclamant, factoque populi ingentis concurſu tumultuario, nihil propius fuit, quàm ut Solipſi ad unum omnes internecione delerentur. Ne id fieret, Præſes cum cohortibus interceſſit: vi tandem pluribus cæſis, ſedata turba vallumque ſolo æquatum. Ex Decurionibus Solipſorum metu non nemo ementatus, alii ſexum habitu mentiti fæminis quoque riſum fecere. Ex eo die fides parce habita Solipſis, qui nihilominus mitigatos jam ut videbatur Tiremanumios nova arte adoriuntur, tranſiguntque de Gymnaſio armorum utrique genti communi, in quo juventus ad militiam erudiretur. Nec mora locum deligunt, haud dum aſſenſis primariis proſpectu in Urbem amœno, unde etiam dominari, ſi res poſceret, valerent. Id ubi Senatores animadvertiſſent, concitatum populum, ſi libertatem amaſſet, in Solipſos armant. Extemplo concurſum eſt, cæſique complures, etſi non inulti, ſed accenſo majoribus copiis prælio, victi tandem Solipſi, & funditus everſum Gymnaſium : multi quò fuga rapuit evadentes, ne in præterfluentem præcipitarent, moderatione Prætoris cautum eſt. De vita, & civitate pactis oblatum eſt Sacramentum, ut in poſterum morigeri eſſent, ſi ſalutem amarent. Vix menſem quievere, & loco alio, quem non nemo Solipſis ſtudens pretio locarat, domicilium ordiri: quo nondum conſtituto, Decuriones turbis ad ſigna vocatis cœpta diſjecerunt: forte à ſyderato quopiam clamatum, de ritibus Deorum agi; tum verò, & furentes ſacrorum omnium cætus exciti, tanquam pro aris & focis in Solipſos irruere: qui territi repentè, niſi rebus armiſque projectis manus dediſſent, hac vice omnes perierant. Ita toties attriti, Teremanumiis fere contemptui, & ludo eſſe cœperunt, commiſeratione potiùs, quàm odio digni: hodie inter poſtremos cenſentur, raro cum civibus commercio. Id nuncii cum Viboſnatus accepiſſet, ingens in Curia ſequuta eſt perturbatio,

(a) Mamertini ſeu Meſſanenſes.

tio, dejectique Satraparum animi, quòd Solipſos, vinci neſcios, non adeo potens populus tot cladibus affeciſſet. Percrebruit is rumor, non militum ignavia, ſed ſocordia, & imprudentia Colosbiradori, cujus alibi ampla mentio, Monarchiam prope ſalute perdita vulneratam. Is deinde in jus ambulare coactus, in tam lubricâ quæſtione, linguæ aliàs impeditioris, penitus obmutuit. Mox tamen ad conſuetas ſibi cum fœminis artes converſus, lacrimis, & precibus infimis, capitis ſententiam redemit, interceſſoribus uſus iis, qui ex plebe ad Monarchæ ſervitia erant, olim artocreis recreati. Ita quem dies inſequens noviſſimo ſupplicio plectendum manebat, non ſolùm vidit abſolutum, ſed etiam Aulæ Regiæ præpoſitum, haud minori animorum, quàm rerum omnium in pejus converſione, quòd qui pridie hominem laqueis devoviſſent, execrati Monarcham, niſi legibus ſacrum caput, quemadmodum deſignarat ac jurarat, tradidiſſet: iidem poſtea à ſexcentis talentis commendarent, Monarchæ verò pluſquam divinam prudentiam admirati deprædicarent oratione dehiſcentes. Inter hos non nemo Ægyptiorum ſemibeſtiam pridem indutus, cum Monarcham ob bonum factum laudare juſſus, perplexa adulatione verba meditaretur, neſcio quo ſidere afflatus in hæc verba erupit: *Monarchia Solipſorum datus occulto fato Vibosnatus, ut lentius occumbentem urgeat: adeſte deſignatores funeris, adeſte portitores, quos efferendis Regnis ipſe extulit, properate ſpectatores ad novum ludum.* Quæ cùm liberius, iterumque dixiſſet, obmutuit. Re illico ad Monarcham delata, præſto fuêre adulatores, infandum genus, conteſtati Ægyptium inſanum neſcire ſtrophas, ſed *Lucium Cornelium Europæum*, inſignem aculeorum ſtructorem, ingeſſiſſe dirum carmen. Ita inſcius facti, nulla citatione, juriſque forma caſſa appellatione, Majeſtatis damnor, & data ab Apparitore tabella, ſententiam legere jubeor in hæc verba: *Lucius Cornelius Europæus à quadraginta quinque annis fictè Solipſus, Numinis noſtri irriſor, legis naturæ, & Evangelii cujuſdam Crucifixi ſectator, legibus noſtris palam*

lam infenſus, judicio & intellectu ad nutum noſtrum non ſe abdicans, noſtris beneficiis abutens, in adulatores & delatores noſtros fideles crudelis; in Monarchiam dicax, Satyris & Sarcaſmis omnibus illudens, omnia Solipſorum damnans: denique toti Monarchiæ pernicioſus, damnatus Majeſtatis eſto; faciem Principis non videto, intra tres horas ab Aula, intra triduum à tota Monarchia exul eſto, nec unquam revertitor. Vix lecta tabella: & continuò abreptus navi injicior, ſæpè tritæ, ſæpe fixæ, ſæpè excuſſæ malleo, reciſiſque omnibus inſtrumentis, conto protrudor. Nec mora iiſdem momentis & plagis, quibus olim vectus, & loco unde ſopitus abſceſſeram expoſitus, & carminibus ſolutus veternum excuſſi, Romamque novam adſpexi, mœnibus & muris non viſis cinctam. Mox ingreſſus, facto æris campani ex Turri Capitolina vehementiori, protractiorique pulſu, audio Urbanum Octavum Summum Pontificem ad plures exceſſiſſe. Indolui, ac ut tempus animumque fallerem, donec oſtenderetur, quem virtus ex alto Paſtorem Eccleſiæ præeſſe juſſiſſet, hæc æternæ memoriæ conſecranda ſcribebam. Et quidem de imbellia ſatis. Plura ſi amas conſu'e binos à nobis libros exaratos; alterum de inteſtinis Solipſorum, de externis bellis alterum. In iis, velut in geminis ſpeculis imaginoſis, adverſè inverſè adſpicies admirandas ſtratagematum ſtrophas, Pœnis, Romanis, Græcis ignotas, ut fruſtra præ illis, abſit verbo invidia; Herodotum, Thucydidem, Cæſarem, Vegetium, Livium, alioſque legas.

SYL-

SYLLABUS.

Seu

CLAVIS ONOMASTICA,

Quâ

Recluduntur omnia penè occluſa tam propria, quàm alia nonnulla Opuſculi hujus nomina.

Abſciſſiani	*Siculi.*
Adiaphori Solipſorum	*Novitii Jeſuitarum.*
Agarrullius	*Gabriel Vaſquez.*
Alapunii	*Poloni.*
Anontia	*Collegium Marronitarum Urbis.*
Artifices Solipſorum	*Scholares Societatis ſive profeſſi poſt biennium.*
Avidius Cluvius	*Claudius Aquaviva Præpoſitus Societatis.*
Banimonicus	*Pater Baptiſta Jeſuita.*
Barſabantinous	*D. Conſtantinus Cajetanus Abbas Benedictinus.*
Brotacanus	*Cantaber, i. e. S. Ignatius.*
Buſnatarius	*Urbanus Octavus.*
Buxaldirnus	*Hieronymus de Alexandris Jeſuita.*
Centonati	*Capucini vel Franciſcani.*
Cinamoducii, & Cinimonaduſii	*Dominicani.*
Chorunmini	*Monaci.*
Dicoſenius	*Pater Conincq Jeſuita.*
Dubenus	*Dominus.*

Egia-

Egiacæ	*Eccleſia.*
Hellinacius	*Leonardus Leſſius Jeſuita.*
Homatarrius	*Thomas Sanchez Jeſuita.*
Hyantheſii	*Theatini.*
Iliadeſia	*Sicilia.*
Latinimeracii	*Salmaticenſes,*
Libanotius	*Epiſcopus Maronitarum.*
Lugarriquintinus	*Pater Tarquinius Gallalatus Jeſuita.*
Maroſappanus	*Papa Romanus.*
Mimpiloſuminus	*Pater Franciſcus Piccolomineus Jeſuita.*
Mitra nobilium & majoris Magiſtratus inſigne	*Birretum.*
Monarcha Solipſorum	*Præpoſitus generalis Societatis.*
Manimorandia	*Romania, id eſt, Status Pontificius.*
Mucuſalterum	*Tuſculanum.*
Muſalbanus	*Abrahamus Marronita.*
Muſalgani	*Galli.*
Narimeſium	*Seminarium Romanum.*
Nobiles Solipſorum	*Profeſſi quatuor votorum Societatis.*
Pentaſiphorus	*Pater Gregorius Valentia Jeſuita.*
Phancurſius	*Pater Franciſcus Suarez Jeſuita.*
Pharſacius	*Laicus Jeſuita.*
Picuriuri	*Equites Melitenſes.*
Plebei Solipſorum	*Laici ſeu Coadjutores temporales Societatis.*
Populi Solipſorum	*Coadjutores ſpirituales formati Societatis.*
Præpoſiti Provinciarum	*Provinciales Societatis.*
Prætores urbium	*Præpoſiti domorum & Rectores Collegiorum Societatis.*
Princeps Hyantheſiorum	*Beatus Cajetanus Thianeus fundator Theatinorum.*

Ren-

Rennius	*Laicus Societatis.*
Reſultantius	*Pater Antonius Sanctarellus Jeſuita.*
Reſungieſus	*Vices gerens Urbis Antonius Ricciallus.*
Rex Helcheniæ	*Magnus Magiſter Equitum Melitenſium.*
Ritenii	*Marronita.*
Rodagariſtus	*Pater Garzadocus Jeſuita.*
Romullagi	*Galli.*
Rumorregium	*Collegium Græcorum Urbis.*
Salinus Geniloſius	*Joannes de Lugo.*
Saltalcudius Pagonias	*D. Jo. Baptiſta Caſtaldus Theatinus.*
Satrapæ & Satrapæ participantes	*Patres aſſiſtentes Societatis.*
Scientia degrummata	*Scientia media.*
Semtilenſe	*Melitenſe.*
Sinceſtanum	*Cathanenſe.*
Sinacarſius	*Pater Hieronymus Acaſſina Jeſuita.*
Solipſi	*Jeſuita.*
Solviniani	*Lovanienſes.*
Soralucus Bridenus	*Pater Carolus Ventimilia Jeſuita.*
Satirobuſii Princeps	*Totius orbis Princeps, id eſt Summus Pontifex.*
Spinomantheus	*Pater Cæſar del Boſco Jeſuita.*
Sumonacleſtus	*Clemens Octavus.*
Surcabinerius	*Cardinalis Barberinus.*
Teremanumium	*Mamertium ſeu Meſſana.*
Tiraphernas	*Pater Ferrantinus Jeſuita.*
Toſenevei	*Veneti.*
Tritubirium	*Tibur.*
Turbolani	*Benedictini Monachi.*
Viboſnatus	*Pater Mutius Vitelleſcus Præpoſitus Gener. Soc.*
Utoxius	*Sixtus Quintus.*

FINIS.

ANT 1316423

XV. B. 34.

Digitized by Google